INSTITUTIONES
THEOLOGICAE

QUAS

FR. MICHAEL MARCELLIUS

EREMITA AUGUSTINIANUS

AD USUM SCHOLARUM SUI ORDINIS

CONCINNAVIT

TOMUS V.

IN QUO AGITUR DE DIVINA GRATIA AC DE JUSTIFICATIONE

EDITIO PRIMA

SUB AUSPICIIS FAUSTISSIMIS

Illmi, ac Rmi D.

FELICISSIMI SALVINI

ACULAE EPISCOPI

TYPIS, AC SUMPTIBUS VULGATA
FRANCISCI XAVERII TOMASSINI
FULGINII 1845.

FR. PHILIPPUS ANGELUCCI

MATHELICENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI VICARIUS GENERALIS

Cum opus inscriptum: Institutiones Theologicae etc. *elaboratum ab admodum Reverendo Patre Magistro Fratre Michaele Angelo Marcelli, recognitum et approbatum fuerit a duobus Theologis Sacri ejusdem Nostri Ordinis a Nobis deputatis, tenore præsentium facultatem concedimus, ut Typis mandari possit, si iis, ad quos reliquum spectat, ita videbitur.*

Datum in Conventu Nostro S. P. Augustini de Urbe die 28 *Junii* 1844.

Fr. PHILIPPUS ANGELUCCI Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli

Magister Fr. Philippus Cascia *Ordinis Secr.*

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXVII.

BREVEM CONTINENS HISTORIAM ILLORUM, QUI CIRCA CHRISTI GRATIAM ERRARUNT, ET SIMUL DEMONSTRANS QUANTI FACIENDA SIT S. P. AUGUSTINI IN REBUS AD PRÆDESTINATIONEM, ET GRATIAM SPECTANTIBUS AUCTORITAS.

Pertractaturi de gratia Salvatoris, quoniam a primis Ecclesiae saeculis catholicum dogma maximos semper et numero, et auctoritate, et vafritie expertum est adversarios, operae pretium duximus non sparsim et suis locis, ut de aliis disserentes rebus praestavimus, sed seorsim et peculiari opusculo historicam contexere narrationem, qua lectorum oculis exhibeantur, velut in tabula, vera cujusvis aetatis de Christi gratia fides, impii haereticorum adversus illam conatus, Conciliorum, Patrum, et Augustini praesertim, summorumque Pontificum studium, ac diligentia in ea defendenda, et a contradicentium hominum artibus vindicanda. Cum vero Augustinus plus ceteris per viginti circiter annos ad Pelagianorum compescendam audaciam pro Catholica fide dimicaverit, unde malleus haereticorum ab omnibus meruit appellari, ad hujus libri calcem coronidis loco demonstrandum existimavimus, quanti in rebus ad praedestinationem, et gratiam spectantibus facienda sit hujus vere maximi Ecclesiae Doctoris ac vindicis acerrimi divinae gratiae auctoritas.

CAPUT I.

Inter Christianos primus, qui de Christi gratia male dogmatizavit, fuit Origenes.

Origenes natus est ex Leonide martyre Alexandrino an. 190. Praeceptorem habuit Ammonium Alexandrinum, sub quo adeo in studiis profecit, ut anno 203. praefectus Cathecumenis instituendis fuerit. Ob audaciam, qua se eviravit, a Demetrio Episcopo pulsus Alexandria, Jerosolymam se recepit, ubi anno 228. presbyter ab Alexandro fuit ordinatus, aegre id ferente Demetrio, *Qui tanta in eum debacchatus est insania, ut per totum mundum super nomine ejus scriberet*, inquit Hieronym. in Catal. Script. Eccl. cap. 65. Ingravescente Decii persecutione, multa passum fuisse, narrant Eusebius, Epiphanius haer. LIV. Justinianus Augustus in tract. a Synodo V. probato, Leontius in lib. de sectis, et Nemesius in lib.

de nat. homin. cap. 30., quamvis id neget Baronius. Ingenii acumine, ac feracitate ad miraculum usque excelluit, unde innumera eruditione plena scripsit opera, in quibus *ubi bene*, *nemo melius*, *ubi male*, *nemo pejus*, ut animadvertit Cassiodorus lib. de inst. div. Script. cap. 1. Hinc factum est, ut multos habuerit Origenes accusatores, multosque patronos. Sed laterem lavare ipsius defensores conantur. Nam plura in suis scriptis tradidit errorum portenta. Quare non immerito Vincentius Lirinensis in comm. cap. 23. de illo affirmat, *quod dum Ecclesiae Traditiones*, *et veterum magisteria contempsit*, *omnium pene haereticorum magister evasit*; nec injuria Theophilus Alexandrinus *hydram omnium haereseon* illum appellat in epist. 1. paschali.

Si quis autem in Origene error est, a quo nullimode purgari quovis conatu possit, proculdubio est illius doctrina de gratia Salvatoris. Ita certe de illo sensere veteris aevi Scriptores. Nam Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem loquens de Pelagio, quem de Christi gratia impie blasphemasse, nullus ignorat, appellat Origenem Pelagiani erroris principem, atque eumdem alloquens Pelagium: *Doctrina tua*, inquit, *Origenis ramusculus est*. Immo vel ipsi Pelagiani de Origenis nomine maxime adeo gloriabantur, ut idem Doctor in fine Dialog. scripserit: *Transite ad amasium vestrum*, *qui praeterita in caelis*, *et antiqua delicta solvi dicit in baptismo*, *ut cujus in ceteris auctoritate ducemini*, *etiam in hac parte errorem sequamini*. Ex quibus verbis apparet, negasse Adamantium originale quoque peccatum, cum affirmaret baptismum non culpam per Adam transfusam, sed peccata dumtaxat in altera vita patrata remittere. A Hieronymo non dissentit Orosius, qui in apol. de Pelagianis loquens: *Origenes*, inquit, *in his vivit*.

Sed testibus non indigemus, ubi ipsius Origenis scripta luculentissima suppeditant argumenta. Qui gratiam dari docet secundum merita nostra, nonne Christi gratiae obloquitur, et haereticis adhaeret Pelagianis? S. P. August. profecto lib. de don. persev. cap. 2. dogmata enumerans fidei, quae Ecclesia Catholica contra Pelagianos defendit: *Quorum unum est*, inquit, *gratiam Dei non secundum merita nostra dari*; *quoniam Dei dona sunt*, *et Dei gratia etiam conferuntur merita universa justorum*. Porro Origenes lib. I. περὶ ἀρχῶν cap. 3. scribit: *Est alia Spiritus S. gratia*, *quae dignis praestatur*, *ministrata quidem per Christum*, *impetrata autem a Patre secundum merita eorum*, *qui capaces efficiuntur*; *et unumquodque vas vel ad honorem*, *vel ad contumeliam formatur*, *prout ex se ipso caussas*, *et occasiones praestitit Conditori*. Et lib. III. ejusd. operis cap. 1. subdit: *Quod si justa haec videtur assertio*, *sicut est certe justa*, *et cum omni pietate concordans*, *ut ex praecedentibus caussis unumquodque vas vel ad honorem a Deo*, *vel ad contumeliam praeparetur*, *non videtur absurdum*, *eodem ordine*, *atque eadem consequentia discutientes nos antiquiores caussas*, *eadem etiam de animarum ratione sentire*, *et hoc esse in caussa*, *quod Jacob dilectus est*, *etiam dum adhuc in ventre matris haberetur*. Lib. I. cap. 7. docet, Deum injustum fore, et acceptorem personarum, ni-

si animam Joannis Baptistae ex propriis illius meritis elegisset. Lib. II. cap. 6. idem de maxima omnium gratiarum, de unione nempe hypostatica sentit, docens, hanc promeruisse Christum praecedentibus assumpti hominis meritis; quod adeo horrori fuit Augustino, ut in lib. de praed. SS. cap. 15. exclamaverit: *Quis non dico Christianus, sed insanus hoc dicat?*

Alterum fidei principium a Catholica Ecclesia adversus Pelagianos definitum est, non dari in hac mortali vita inter homines *impeccantiam*. Ajebant enim Pelagiani, posse homines in hac labili vita constitutos propriis suae libertatis viribus adeo virtutem excolere, ut ad illum tandem perveniant statum perfectionis, in quo peccare amplius non possint. E contra definivit Ecclesia, *in quantacumque justitia, sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere*, ut August. ait de don. persev. cap. 2. Quid vero Origenes? Si Hieronymum audiamus, in proem. dialog. testatur, doctrinam de ἀναμαρτησία, hoc est, *impeccantia* propriam esse Origenis haeresim: *Illud autem*, inquit, *Origenis proprium est, impossibile, humanam a principio usque ad mortem non peccare naturam. Et rursum esse possibile, cum se quis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem pervenire, ut ultra peccare non possit*. Neque haec de Origene affirmando Hieronymus illi calumniatur. Nam Tom. XII. in Matth. exponens illa Christi verba ad Petrum, *Scandalum mihi es*, inquit, eum, qui in charitate perfectus est, scandalum pati non posse. Et alibi: *Virum sanctum, cum ad virtutum venerit summitatem, ne in nocte quidem ea pati, quae hominum sunt, nec cogitatione vitiorum aliqua titillari*. Magna sane mortalis viri superbia! Sed non multum quidem mirari subit, quod haec paradoxa Origenes effutierit. Nam si ejus inspiciamus principia, denegasse etiam videtur originalis peccati transfusionem; quod est tertium ab Ecclesia propugnatum fidei dogma contra Pelagianos. *Tertium est*, ait S. P. Aug. lib. nuper laudato, *obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, et vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur*. Hoc inquam negasse videtur Origenes. Nam lib. περὶ ἀρχῶν II. cap. 3. ne Deum injustitiae redarguat, mortalis vitae calamitates non in Adae peccatum, sed in crimina in altera vita patrata aperte refundit. Idcirco inquit: *Justitia debet Creatoris in omnibus apparere, quae, ut mihi videtur, ita demum lucidius ostendetur, si causas diversitatis unusquisque vel caelestium, vel terrestrium, vel infernorum in semetipso praecedentes nativitatem corpoream habere dicatur*. Hoc idem docet lib. III. cap. 1. laudati proxime operis, et alibi saepe. Nil mirum ergo per Origenem, si, ablato semel per baptisma habituali scelere in superiore vita patrato, possit homo ad eum pervenire perfectionis statum, in quo sit peccati nescius. Atque pauca haec satis demonstrant, virum ceteroquin doctissimum praelusisse Pelagianis, et de divina gratia pessime dogmatizasse.

Verum his non acquiescunt Adamantii patroni, et multa in medium proponunt, quae non obscure suadere videntur, admisisse ad opera pietatis adimplenda gratiae divinae necessitatem. I. Tract. enim in Matth. de Petri lapsu verba faciens, inquit: *Per hoc instruimur, ut nunquam sine con-*

sideratione aliquid promittamus super habitudinem nostram humanam, quasi qui valeamus Christi implere confessionem ex nobis, aut aliquid praeceptorum Dei. Idem repetit hom. IV. in psal. 36. in haec verba: *Video ergo quia Domini semper auxilio indigemus, primo, ne cadamus, tum deinde, etiamsi ceciderimus, ut resurgamus*. Plura alia collegit eruditissimus Huetius in Origenianis ex lib. IV. in epist. ad Roman., ex lib. III. περὶ ἀρχῶν cap. 1., ex comm. in psal. 126., ut pravum Origenis sensum emolliat. II. Hom. VIII. in Levit. disertissime peccati originalis transfusionem agnoscit. III. Addunt, Pamphilum sanctissimum Christi martyrem apologiam adornasse, qua ab omni prorsus errore Adamantium purgare aggreditur. IV. Denique inquiunt, qui in sui erroris tutelam Ambrosii, Hilarii, Chrysostomi, aliorumque testimonia allegavit, nunquam ad Origenis provocasse patrocinium. Immo in Diospolitano Concilio exclamavit: *Et si aliter sentit, Origenista est*.

Ast vero inani prorsus conatu in Origene purgando illius advocati laborant. Et quoad primum, etsi ad bonum agendum gratiae necessitatem alicubi agnoscat, ex his tamen, quae hactenus attulimus, satis apparet docuisse, quamlibet Salvatoris gratiam erogari hominibus secundum praecedentia merita. Deinde ex locis iisdem ab Huetio citatis evincitur, duplicem admisisse Origenem fidem, alteram ex propriis viribus prodeuntem, alteram perfectiorem ex divina procedentem virtute, et energia, quod Huetius ipse observavit. Vides ergo quo sensu allatis in argumento locis Origenes loquatur. Suspicor praeterea, ne nomine gratiae, cujus necessitatem aliquando depraedicat, divinum quoddam intelligat naturalis ordinis auxilium, quo Deus ad omnes actus nobiscum concurrit. Suspicionis invenio caussam in lib. III. περὶ ἀρχῶν, ubi exponens Pauli testimonium: *Deus est enim, qui operatur in nobis velle et perficere*, quo nonnulli ad vim elevandam abutebantur liberi arbitrii, ita fatur: *Non dicit Apostolus, velle mala, aut velle bona ex Deo esse, neque item meliora, aut pejora facere; sed et universe velle, et universe currere. Ut enim a Deo habemus, ut animalia simus et homines, ita et generatim velle, et generatim, ut ita dicam, moveri. Quemadmodum igitur, etsi habeamus a Deo, ut animalia simus, et moveamur, ut haec, vel illa membra, manus, aut pedes moveamus, non tamen jure dixerimus, speciem hanc motus, ut moveamur ad caedendum, aut interficiendum, aut aliena rapienda, ex Deo habere, sed motum in universum a Deo accepimus, sed motu ad meliora, vel deteriora utimur; ita et vim agendi, qua animalia sumus, et velle ab Opifice accepimus. Nos autem, qua homines, voluntate ad honesta, vel ad contraria, quemadmodum et agendi virtute utimur*. Haec autem erat Pelagii cantilena apud Augustinum lib. de grat. Christi cap. 4. *Quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit: quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est*. Nec proinde Pelagius gratiae admittebat necessitatem.

Ad 2. Conveniunt eruditorum plerique, homilias in Levit. non esse genuinum opus Origenis, sed Cyrilli potius Alexandrini: unde inter illius

volumina relata sunt ab editoribus. Vide Natalem Alexandrum. Quod si adhuc contendas, Origenis esse, in memoriam revoca, quae de praeexistentia animarum ipse docuit, et nihil ea in homilia invenies, quod cum ejus systemate adamussim non conveniat.

Ad 3. Missa doctissimi Huetii responsione, Pamphilum videlicet pedes in eodem luto cum Origene fixisse, arbitror omnibus manifestum, integram illam apologiam fuisse ab Eusebio Caesariensi concinnatam, primumque librum sub Pamphili nomine editum fuisse ad famam et existimationem ei conciliandam. Ita visum est Hieronymo, qui in epist. ad Pammach. inquit: *Si ab Origenis inimicis libros ejus dicitis esse violatos, ut infamarentur, quare mihi non liceat dicere ab amicis ejus, et sectatoribus compositum esse sub nomine Pamphili volumen, quod illum testimonio martyris ab infamia vindicaret?* Consimilia scribit in cat. scriptorum eccl., et in apolog. ad Rufinum.

Ad 4. Non ignorabat Pelagius quam male apud Latinos audiret Origenes. Hinc consueta haereticorum arte ab illius alleganda auctoritate abstinuit: atque ubi de poenarum agebatur aeternitate, anathema in eum dicere non dubitavit. Ceterum Pelagiani, et Origenistae arctissima jungebantur amicitia. Sed legendus Norisius lib. I. hist. Pelag. cap. 1. Daniel Huetius in Origenianis, Natalis Alexand. saec. III. dissert. 16. Vossius de hist. Pelag., et alii.

CAPUT II.

Post Origenem Pelagianis praelusit Rufinus Aquilejensis.

Rufinus, quod in Castro parvo prope Aquilejam juxta Hieronymum apol. II. natus sit, Aquilejensis cognominatus, an. 370. in Aquilejensi Ecclesia monachum induit. Anno autem sequente una cum Melania seniore in Ægyptum navigavit, et ob exortam ibi persecutionem per universum Orientem diu peregrinatus est. Fama subinde Dydimi Alexandrini motus in Ægyptum denuo remeavit, ac Alexandriae sedem fixit, ubi per sexennium eumdem Dydimum praeceptorem audivit, et post viginti quinque peregrinationum annos in Occidentem an. 396. rediens, Romae fere per biennium substitit, Aquilejam reversus ineunte anno 398. Quo tempore Romae commorabatur, in publicis privatisque colloquiis libros περὶ ἀρχῶν ad sidera usque extollebat; unde a Macario nobilissimo viro fuit rogatus, ut illos latinitate donaret. Praestitit id non integrae fidei monachus, nec solum Origenis errores, sed sua quoque paradoxa aureo poculo Romanis propinavit, ut testis est Hieronymus in suis apologeticis scriptis; sicque ortum habuit in Occidente pestilentissima haeresis pelagiana adversus Christi gratiam, et originalis peccati transfusionem. Nam per id tempus Pelagius et Caelestius Romae commorantes, studiosissimi fuerunt Rufini discipuli, quibus brevi temporis spatio se se adjunxerunt, non modo Melania, Macarius, et Apronianus, sed et sacerdotes quoque ac monachi nonnulli. Longius Rufini

insania progressa fuisset, nisi nobilis vidua Marcella illi et ejus sectatoribus publice restitisset. Ea de caussa, impetratis a Siricio tunc summo Pontifice litteris formatis seu communicatoriis, Roma discedens, Mediolanum se contulit, quo S. Venerium illius urbis Episcopum ad Origenianas partes pertraheret. Cum vero id frustra tentasset, Aquilejam reversus est. Interea Marcella, Pammachius, et Oceanus de omnibus per litteras certiorem fecerunt S. Hieronymum, qui, gravissima epistola ad Pammachium et Oceanum rescripta, audax Rufini facinus detestatus est. Atque hoc initium fuit contentionum Rufinum inter et Hieronymum, quae acres adeo fuerunt, ut Rufinus, omni fracto veteris amicitiae ac honestatis vinculo, tres contra S. virum libros scripserit; quibus ut responderet, totidem apologetica volumina edere coactus est Hieronymus adversus Rufinum. Mortuo Romano Antistite Siricio, in ejus locum suffectus est Anastasius, qui, curante Marcella, Apostolica auctoritate proscripsit libros Origenis περὶ ἀρχῶν recens a Rufino interpretatos, et Rufinum ipsum acriter increpavit in epist. ad Joannem Jerosolymitanum, ubi haec inter alia leguntur: *Rufinum scito, quod propria mente Origenis dicta in latinum transtulit, ac probavit, nec dissimilis ab eo est, qui alienis vitiis praestat assensum. Illud denique scire te cupio, ita haberi a partibus nostris alienum, ut quid agat, et ubi sit nescire cupiamus. Ipse denique viderit, ubi possit absolvi*. Post Anastasii mortem summus Pontifex renuntiatus est Innocentius I., cujus Pontificatus initio Rufinus visus est respirare. Cum enim Theophilus Patriarcha Alexandrinus, insignis Rufini adversarius, nimio ductus in Origenistas zelo, turbas contra Joannem Chrysostomum excitasset, et Innocentius I. cleri Constantinopolitani legatione commotus in Theophilum fuisset iratus, Origenistae inducias a Pontifice obtinuerunt: atque ita Rufinus Romam denuo reversus est, ubi non multum commoratus, ob depopulatam a Gothorum exercitu, duce Rege Alarico, totam Italiam, in Siciliam se recepit, ibique anno 410. vel initio sequentis extremum clausit diem, et quidem in pace Ecclesiae, cum Romam rediens fidei suae confessionem coram Innocentio ediderit, qua errores a se assertos, vel sibi imputatos aperte condemnavit. Rem totam fusius exponit Cardinalis Norisius hist. Pel. lib. I. cap. 2., ubi legere quoque est integra Rufini palinodia. Ex hactenus rerum exposita serie apparet, Rufinum Aquilejensem hostem aliquando fuisse divinae gratiae, ac Pelagianae haeresi praelusisse. Juvat tamen expressius hoc loco demonstrare, pravam revera de gratia tenuisse sententiam. I. Rufinum omnes adoptasse Origenis errores, non solum patet ex Anastasii epistola ad Joannem Jerosolymitanum, cujus verba paullo ante dedimus, sed etiam ex eo quod in transferendis Origenis libris in latinum eloquium, etsi multa de suo addiderit, alia desererit, alia immutaverit, ut probe demonstrat Huetius in Origenianis, ea tamen, quae contra Christi gratiam erant, intacta reliquit. Immo verba illa, ex quibus demonstrari solet, Origenem male sensisse de gratia, quaeque in latina Rufini versione leguntur lib. I. περὶ ἀρχῶν cap. 3., in nullo prostant graeco exemplari. Hinc suspicatur Huetius, *illa de sua Pelagianismi officina largitum esse Rufi-*

num. II. Nullum haberet finem oratio, si loca omnia, in quibus Hieronymus appellat Rufinum Pelagii magistrum et praecursorem, in medium afferre vellem. Legantur S. Doctoris apologiae. Et in proemio in lib. IV. Jeremiae acriter illum reprehendit, quod in latinam linguam librum Sexti Empirici sub S. Sixti Rom. Pontificis nomine verterit; ex quo libro talia depromebant Pelagiani testimonia, ut S. P. Augustinus putans librum esse revera S. Sixti, aegre se ab illis expedire posse fateretur in lib. de nat. et grat. cap. 64., quanquam cognita fraude in lib. II. retract. cap. 42. opus illud ad Ethnicos amandaverit. Idem Hieronymus in epist. ad Ctesiph. de Rufino rursus conqueritur, quod latinitate donaverit librum Evagrii, in quo doctrina de impassibilitate et impeccantia luculentissime traditur. *Hujus libros*, inquit, *per Orientem Graeci, et interpretante ejus discipulo Rufino plerique in Occidente lectitant*. III. Marius Mercator, qui aetate Augustini floruit, illorum recensens errores, qui mortem conditionem esse naturae tenent, non poenam peccati, in com. ad Pintam scribit: *Hanc ineptam, et non minus inimicam rectae fidei quaestionem, Anastasio Romanae Ecclesiae summo Pontifice, Rufinus quondam natione Syrus Romae prius invexit; et ut erat argutus, se quidem ab ejus invidia muniens, per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum monachum tunc decepit, et eum ad praedictam apprime imbuit, atque instituit impiam vanitatem*. IV. S. Gelasius in Concilio Romano LXX. Episcoporum haec de Rufino habet: *Rufinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam Scripturas interpretatus est; sed quoniam in aliquibus B. Hieronymus eum de libertate arbitrii accusat, illa sentimus, quae praedictum B. Hieronymum sentire cognoscimus*. Rufinus igitur nimis extulit libertatem arbitrii, adeoque non bene de gratia sentiebat. V. Rufinus Aquilejensis opinabatur cum Origene, gratiam dari secundum merita nostra; quod liquido patet, tum ex quo nimis libertatem extolleret arbitrii, tum ex his, quae habet in invect. II. advers. Hieronym. ubi docet, *recte sentire eos, qui dicunt, inaequalitatis caussas unamquamque sibi animam jam ex anterioris vitae, quam in caelestibus habuit, motibus et sensibus comparasse*. VI. Quid vero de Origeniano paradoxo impassibilitatis et impeccantiae senserit, satis colligitur ex ejus studio ac diligentia in vertendis in latinum sermonem Evagrii monachi Pontici, et Sexti Pythagorei philosophi libris, ut supra ex Hieronymo diximus, et ex aliis, quae idem Hieronymus habet praefat. lib. IV. in Jerem. ubi tradit, haeresim Zenonis, id est impassibilitatis et impeccantiae, quae olim in Origene, et dudum in discipulo ejus Grunnio, Evagrioque Pontico, et Joviniano jugulata est, in Pelagianis revixisse. Quo in loco Grunnii nomine Rufinum intelligere, norunt omnes. VII. Tandem pessime dogmatizavit noster Aquilejensis de peccato originali. Nam, ut cetera silentio praeteream, interrogatus in Carthaginensi Concilio coram Aurelio totius Africae Primate Caelestius, quid de peccato originali sentiret, ita apud August. lib. de peccat. orig. cap. 3. respondit: *Dixi de traduce peccati me dubium esse*;

ita tamen, ut cui donavit Deus gratiam peritiae consentiam; quia diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesia catholica constituti sunt presbyteri. Paulinus diaconus (hic accusator erat) dixit: *Dic nomina eorum.* Caelestius dixit: *S. Presbyter Rufinus Romae qui mansit cum S. Pammachio: ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit.* Paulinus diaconus dixit: *Est ne aliquis alius?* Caelestius dixit: *Non tibi sufficit unus sacerdos?* Non inaniter itaque ducimur ad affirmandum, Rufinum Aquilejensem in iis, quae ad gratiam pertinent, Origenis fuisse discipulum, ac Pelagii Caelestiique magistrum.

Joannes nihilominus Garnerius magna confidentia affirmat, Rufinum illum, qui haereticam Pelagio et Caelestio circa gratiam insinuavit doctrinam, alium a Rufino Aquilejensi sibi videri. Et quoniam ex ecclesiasticis monumentis luculenter nimis apparet, Rufinum aliquem haeresim praeformasse Pelagianam, velut divinando conjectat, fuisse illum Rufinum quemdam Syrum, de quo Hieronymus in epist. LVI. Garnerii sententiae accedunt presbyteri Veronenses Ballerinii, et dubii hac in caussa haerent Patres Maurini. Videamus itaque quaenam habeant hi critici argumenta, ut a communi opinione recedant. Ajunt I. Rufinus magister Pelagii a Mario Mercatore appellatur Syrus; non ergo fuit Aquilejensis. II. Rufinus Pelagianae haeresis praeformator Romae commorabatur in domo Pammachii, qui Hieronymi amicissimus erat; quod credibile non est de Rufino Aquilejensi, qui, cum insignis esset Hieronymi antagonista, hospitio a Pammachio non fuisset receptus. III. Cum Rufini Aquilejensis nomen clarum esset in universo Occidente, quomodo de illo Marius Mercator loquens potuisset scribere: *Rufinus quidam?* IV. Juxta Marium eumdem Mercatorem Rufinus inimicam fidei quaestionem Romam invexit sub Anastasio. At Aquilejensis Romae vixit sub Siricio, teste S. Hieronymo. V. Verba Caelestii apud Augustinum paullo ante citata demonstrare videntur, Rufinum, a quo pravam ille de originali peccato doctrinam ebiberat, tempore Carthaginensis Concilii adhuc fuisse superstitem; appellat enim illum S. presbyterum, non autem beatae recordationis presbyterum. Verum Aquilejensis ab an. 410. vel initio sequentis jam ex vivis excesserat. VI. Paulinus diaconus, de quo in supra commemoratis verbis, audiens a Caelestio Rufini nomen, reponere potuisset, fuisse hunc ab Anastasio damnatum, si Rufinus ille fuisset Aquilejensis, et extra Ecclesiae obiisse communionem. Hae sunt praecipuae Garnerii conjecturae ad suadendum, Pelagii praeceptorem fuisse Rufinum potius Syrum, quam Aquilejensem.

Sed inani prorsus labore. Quis namque sibi facile suadere poterit, Rufinum Syrum, S. Hieronymi discipulum ac familiarem, contrariam fidei doctrinam voluisse Pelagium Caelestiumque docere? Missus fuerat, fatente etiam Garnerio, a S. Hieronymo Mediolanum ad Venerium Episcopum, et ad S. Anastasium Romam ad ecclesiastica peragenda negotia; et praesertim ad Origenistarum procurandam damnationem. Quis ergo putet in illorum incidisse errores; maxime cum Origenistarum proscriptio revera acciderit? Quod vero addit Garnerius, Rufinum Syrum procurasse Romae apud

Anastasium alterius Rufini Aquilejensis damnationem, id omnino falsum est; cum eo tempore, quo Syrus Romam pervenit, fracta adhuc non esset a Rufino Aquilejensi cum Hieronymo pax, ut ex ejus epist. LXVI. ad Rufinum data colligitur, ubi inquit: *Sanctum quoque presbyterum Rufinum ob quamdam causam per Romam Mediolanum misimus; et oravimus, ut nostro animo et obsequio eos videret*. Praeterea pugnantia, ni fallor, affirmare videtur Garnerius. Si namque Rufinus Syrus Origenistis aeque ac Rufino Aquilejensi adeo infensus erat, uti ipse ait, ut adversus illos ex Oriente Romam navigaverit, quomodo esse potuit Pelagii, ac Caelestii praeceptor, cum Origenistae, Rufinus Aquilejensis, Pelagius, atque Caelestius mutua inter se essent necessitudine conjuncti?

Ad 1. ergo Garnerii conjecturam respondeo, Rufinum Aquilejensem a Mario Mercatore dici Syrum, quod per viginti quinque, aut viginti septem annos fuerit in Syria commoratus, et ex Syria Romam venerit, ubi primum falsam de peccati traduce disseminavit sententiam. Ob similem caussam Faustus etiam a Possessore dictus est Gallus, quamvis gente Britannus esset.

Ad 2. Rufinus Aquilejensis non adhuc fregerat cum Hieronymo amicitiae vinculum, quando a Pammachio hospitio receptus est. Praeterea Pammachii domus commune erat monachorum diversorium. Rursus amicus erat Rufinus Paulini Nolani Pammachio conjunctissimi. Ceterum Rufinus post solutam cum Hieronymo amicitiam Pammachii domo discessit.

Ad 3. Falsum est in textu Mercatoris legi, *Rufinus quidam*, sed habetur: *Rufinus quondam*.

Ad 4. Cl. Norisius pluribus demonstrat, Rufinum Roma initio Pontificatus Anastasii discessisse. Quare optime inquit Mercator, sub Anastasio Romae inimicam fidei disseminasse quaestionem. Deinde cum haeresis adversus peccati traducem fuerit ab Anastasio damnata, quid mirum, si putavit Mercator, ortum habuisse sub Anastasii Pontificatu?

Ad 5. Obiit Rufinus Aquilejensis initio an. 411., ut diximus; Concilium vero Carthaginense celebratum fuerat initio anni sequentis. Non adhuc forte Africani Patres noverant mortem Rufini; praesertim cum ob Gothorum incursionem, Italiae rebus turbatis, litterarum commercium intermissum erat.

Ad 6. Anastasius anathemate feriens libros περὶ ἀρχῶν, et omnia Origenistarum paradoxa, et eos, qui Origenis colebant doctrinam, expresse non nominavit Rufinum Aquilejensem, qui ea de caussa per literas Anastasio gratias egit, quod aures obtrectatoribus suis non accommodasset. Hinc habitus non est ab omnibus tanquam haereticus, ut patet etiam ex quo Melania senior, S. Paulinus, et alii religiosam cum eo coluerint amicitiam, quod plane non fecissent, si haereticum illum existimassent. Id non ignorans Paulinus diaconus noluit in Carthaginensi Concilio adversus Rufinum Aquilejensem excipere. Ceterum ex quo idem Paulinus statim ac a Caelestio Rufini nomen audivit, alio sermonem verterit, dicens: *Est ne alius?* satis ostendit, nihili se fecisse Rufini auctoritatem.

CAPUT III.

De Pelagio, atque Caelestio Gratiae Salvatoris inimicis.

Multos habuit Romae doctrinae suae sectatores Rufinus Aquilejensis; sed ceteris studiosiores discipuli ejus fuerunt Pelagius, atque Caelestius, ambo monachi occidentales, ut cap. praecedente diximus. Fuit autem Pelagius natione Britannus, teste S. Prospero initio carm. de ingrat. in haec verba: *Pestifero vomuit coluber sermone Britannus*, et Orosio in apologia de Pelagio dicente: *Britannus noster mox, ut voluerit, se posse confidit*. Tradidit id etiam Beda lib. I. hist. Anglic. inquiens: *Ab anno Incarnationis* 394., *et Arcadii et Honorii imperio Pelagius Brit. contra auxilium gratiae venenum ... dispersit*. Immo hoc ipsum affirmaverat jam S. P. Augustinus in epist. ad Paul. 106., et Hieronymus in epist. ad Ctesiphon. An vero fuerit Scotus, Hibernus, vel Anglus, disputant eruditi. Garnerius rem in incerto reliquit. Lambertus Danaeus putat, fuisse Britonem Gallum, in quo a Norisio merito redarguitur, cum aetate Pelagii Gallia Celtica Britannia adhuc non appellaretur.

Fuisse vero professione monachum, traditur apertissime ab Augustino in lib. de haeres. cap. 87., ubi ait: *Pelagianorum haeresis hoc tempore omnium recentissima a Pelagio monacho exorta*. Nec obstat, quod a Zosimo Romano Pontifice laicus appellaretur in epist. ad Aurelium Africae Primatem. Nam non erat Pelagius caenobita; multoque minus presbyter, vel aliqua insignitus ecclesiastica dignitate; sed de genere illorum, qui pulla veste induti domi vivebant, et de civitate in civitatem etiam cursitabant, nulli subditi Archimandritae. Quin immo Paulus Orosius, qui Pelagium de facie cognovit, in apologet. describit illum tanquam ministrum mensarum, balneis epulisque deditum, latos humeros robustamque cervicem gestantem, ac praeferentem etiam in fronte pinguedinem. Quid mirum ergo, si a Zosimo laicus, et ab Augustino in lib. de gest. Pelag. cap. 35. *veluti monachus* dicitur? Vossius, et alii arbitrantur, monasticam egisse vitam in Oriente, quoniam Chrysostomus in epist. ex Armenia, ubi exulabat, data, Pelagii casum deplorat. Sed decipiuntur, cum epist. illa scripta sit anno 405.; Pelagius autem in Orientem non transfretaverit, nisi anno 411. Unde fatendum est, de alio monacho Pelagio verba facere Chrysostomum. Patria ergo relicta, Romam se contulit an. 384. ut plerique arbitrantur, ibique sedem adhuc habebat an. 396., quo Romam una cum Melania venit Rufinus Aquilejensis; ante cujus adventum tres scripsisse libros de Trinitate, erroribus contra Spiritus Sancti processionem scatentes, affirmant Honorius Augustodunensis, et Gennadius in cat. de scriptorib. ecclesiast. Inita subinde cum Rufino amicitia, totum in illius se se tradidit disciplinam, ab eoque blasphemare didicit contra Christi gratiam, existentiam originalis peccati, aliaque catholica dogmata. In hujusmodi palaestra exercitatus commentarios edidit brevissimos in Epistolas Apost. Pauli, in tresdecim libros, vel ut Vossius putat in quatuordecim distributos. Probat No-

risius lib. 1. hist. Pelag. cap. 3. post Vossium, et Jansenium Yprensem Episcopum, hos Pelagii commentarios eos ipsos esse, qui edi inter opera Hieronymi solent. Ut ut sit, in commentariis illis peccatum tollebat originale, et divinae gratiae virtutem elevabat; ut ex Marii Mercatoris supplici libello ad Theodosium Imperatorem, nec non ex Aug. lib. de gestis Pelagian. apparet. Anno 405. epistolam dedit ad Paulinum, et anno 408. aliam scripsit epistolam ad Constantium, ambos Episcopos, ut ex Augustino cap. 35 et 36. de gratia Christi colligitur.

Antequam Alaricus Romam copiis suis expugnaret, Pelagius una cum Achate suo Caelestio, de quo postea loquemur, in Siciliam se recepit. In ea consistens insula, duos, ut aliqui autumant, edidit libros, consolatorium unum, alterum hortatorium ad viduam; quamvis melius putent alii, scripsisse libros illos antequam Roma discederet. Fama interim percrebuit, fore in Africa celebrem collationem Donatistas inter ac Catholicos, jam ab Honorio Imperatore indictam, habendam; unde Pelagius, et Caelestius anno 411. eo iter arripientes, Hipponem pervenerunt, absente Augustino, ut ipse narrat in lib. de gest. Pelag. cap. 22. dicens: *Postquam in Africam venit, me absente, nostro, id est, Hipponensi littore exceptus est .... Postmodum ejus faciem Carthagine, quantum recolo, semel vel iterum vidi, quando cura collationis, quam cum haereticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui*. Relicto Carthagine Caelestio, Pelagius in Palaestinam navigavit, et a Joanne Episcopo Jerosolymitano benigne exceptus est, validum ab eo sperans praesidium adversus S. Hieronymum, a quo insectabatur, quod Origenistis aliquo modo adhaereret. Joannis expectationi respondens, Pelagius illico Hieronymi in Epist. ad Ephes. commentarios carpere aggressus est. Quod cum ad notitiam pervenisset S. Doctoris, epistolam dedit ad Ctesiphontem, in qua Pelagium Origenismi, renovataeque Stoicorum impassibilitatis et impeccantiae disertissime accusat, illumque reprehendit, quod inter fratrum jurgia laetaretur videns alios de Christi, alios de suo nomine nuncupari. Ex quo colligitur, jam in secta coalescere coepisse Pelagii discipulos, qui non scriptis, sed verbo pravam ab illo excipiebant doctrinam.

Anno 413. satis prolixam scripsit ad Augustinum epistolam, artis ac vafritiei plenam; et quo eum benevolum sibi faceret, illius ingenium, rarasque animi dotes summis laudibus extollebat; cui Augustinus brevissime respondit, optime agnoscens haeretici acutas fraudes. Dedit eodem anno et aliam epistolam ad Demetriadem nobilissimam virginem Romanam, quae Augustini suasione nuptiis renuntians, una cum matre Juliana sacrarum virginum choro se adjunxerat Jerosolymis; in qua epistola haereticum virus adeo callide catholicis phrasibus admiscuit, ut a multis vel Augustini, vel Hieronymi credita sit. Hanc primus scripto refutavit Paulus Orosius an. 415., cum ad Augustini manus non pervenerit, nisi anno 417. Anno autem 414. Pelagius, quodam edito opusculo, refutare aggressus est S. Hieronymi epistolam ad Ctesiphontem. Timens autem, ne, si scriptum aliquod in lucem ederet, haeresis facilius revinci ac damnari posset, se-

creto discipulis suis libello communicabat. Sedebant inter ceteros illius auditores duo adolescentes, Jacobus et Timasius, qui suadente Pelagio monasticam vitam agebant. Atque ii Pelagii librum ad Augustinum, cui jam noti erant, miserunt. Huic S. Doctor librum opposuit de natura et gratia, quem Jacobo et Timasio, ut Pelagianam ejurarent haeresim, nuncupavit. Hoc eodem anno S. P. Aug. ut quinque quaestiones occasione Pelagianae haeresis institutas Syracusis explicaret, epistolam scripsit ad Hilarium, sive, ut alii volunt, Hilarum, postea Episcopum Syracusanum, qua gratiae necessitatem, et originalis peccati in parvulos transfusionem demonstrat. Librum etiam exaravit de perfectione justitiae, quo sexdecim Caelestii sophismata, quae reperit in commonitorio sibi a Paulo et Eutropio Episcopis Gallicanis exhibito solveret. Duo hi Episcopi Hipponem usque venerant, ut Augustinum tanquam christiani orbis oraculum consultarent.

Anno 415. S. Hieronymus, ut amicorum votis satis faceret, libros edidit dialog., in quibus necessitatem divinae gratiae, et *apathiae* vanitatem adversus Pelagium erudite demonstrat. Interea Paulus Orosius, qui anno superiore ex Hispania Augustini fama permotus Hipponem appulerat, ejusdem Augustini suasu ad Hieronymum in Asiam venit, secumque ex Africa Augustini libros attulit de peccatorum meritis, et remissione, ejusque litteras ad Hilarium Syracusanum, utrumque volumen contra Caelestium elucubratum. Narravit praeterea Hieronymo, quae Carthagine adversus eumdem Caelestium contigerant, quae omnia in caussa fuere, ut catholica plebs non parum adversus Pelagium commoveretur. Hinc Joannes Jerosolymitanus, qui Pelagium catholicum existimabat, aegre ferens talia de amicissimo suo spargi, urbanam convocavit Synodum, in qua, judicio instituto, Pelagium tanquam reum, Orosium autem veluti accusatorem, sistere jubet. Adeo tamen callide in eo judicio se gessit Pelagius, ut nihil de eo definiri potuerit. Caussa integra ad Innocentium Romanum Pontificem delata est. Soluto Concilio, talia Pelagiani coram Joanne Jerosolymitano moliti sunt adversus Orosium, ut hic de arbitrii libertate apologiam coactus sit exarare, in qua tamen ab initio ad calcem gratiae necessitatem semper commendat. Sub ejusdem anni finem Eros et Lazarus Episcopi, qui variis de caussis e Gallia pulsi in Palaestinam se receperant, agnoscentes Pelagii conatus contra catholicam fidem, edito accusationis libello, in jus illum vocari procurarunt coram Eulogio Episcopo Caesariensi, totiusque Palaestinae Primate, a quo Liddae, seu Diospolis Synodus quatuordecim Episcoporum in caussa Pelagii habita est. Ob unius aegritudinem non interfuere Concilio Episcopi accusatores. Hinc solitis artibus absolutionem a Concilii Patribus Pelagius suffuratus est, et tanquam catholicus receptus. Propter hoc Hieronymus epist. XXIV. inter Augustinianas eamdem Synodum appellat miserabilem, non quod Pelagiana probaverit paradoxa. Ut cetera namque omittam, ita de eadem Synodo loquitur Augustinus lib. de peccato orig. cap. 16. *Quando tibi* (Pelagium alloquitur) *illa damnanda objiciebantur, non ea catholici Episcopi sic intelligebant. Ideo, cum illa damnares, catholicum te esse credebant. Propterea ergo, quod te illi sape-*

re existimabant, *absolvendum fuit ; quod vero tu sapiebas*, *damnandum fuit . Non ergo tu absolutus es*, *qui damnanda tenuisti*, *sed illud absolutum est*, *quod tenere debuisti* . Vide Concilii hujus vindic. apud Norisium lib. I. hist. Pelag. cap. 8., et Natalem Alexand. diss. 1. saec. V. Infelicem caussae exitum deplorantes Eros et Lazarus per Orosium, qui eo tempore in Africam revertebatur, rem totam ad Africanos Episcopos scripserunt. Pervenerunt interea ad Augustini manus literae, quas Pelagius superbia tumidus et ad Augustinum ipsum, et ad amicos suos dederat; in quibus de sua orthodoxa fide a Synodo Diospolitana approbata gloriabatur. Rursus idem Pelagius quatuor conscripsit libellos conviciis calumniisque plenos adversus S. Hieronymi dialogos. Haec omnia in caussa fuere, ut Aurelius totius Africaę Primas Concilium 68. Episcoporum Carthagine celebraverit, in quo etsi Pelagii Caelestiique personis, quod ob illorum inauditam vafritiem non tam facile erroris revinci possent, parcendum decreverint, nihilominus generaliter damnarunt eos, qui dogmatizabant, ad vitanda peccata, et divina observanda praecepta sufficere naturam, et parvulos nullo obnoxios nasci peccato. Tum quo edito fidei decreto vis major accederet, Innocentio summo Pontifici illud subscribendum misere. Convocatum subinde fuit a Sylvano Numidiae Primate aliud Milevi Concilium LXI. Episcoporum, cui praesedit Augustinus, in eoque id ipsum, quod in Concilio Carthaginensi, actum est, licet damnationis decretum non ediderint; sed ut illud Innocentius Papa ederet, libello interposito accusationis curarunt. Etiam Augustinus privatas dedit literas ad Innocentium, quae ut majoris ponderis essent, signatae quoque fuerunt ab Alipio Episcopo Tagastensi, Evodio Episcopo Uzalensi, et Possidio Calamensi. Atque haec omnia evenere anno 416.

Anno sequente Innocentius, acceptis per Julium Episcopum literis Carthaginensis ac Milevitani Conciliorum, atque Augustini, re mature discussa, evoluto etiam volumine de natura et gratia, quod ab August. una cum ejusdem epistola ad Pelagium acceperat, Pelagium, Caelestium, eorumque prava dogmata anathemate percussit; et Patribus tum Carthaginensibus, tum Milevitanis, ipsique Augustino, quem plurimum diligebat, humanissime aeque, ac gravissime respondit. Subinde vero, quasi nihil gloriosum magis, ut Norisius inquit, agere posset, ad superos evocatur IV. idus Martii. Non ante hoc tempus ad Augustini manus pervenerunt Acta Concilii Diospolitani, in quo Patres errore facti decepti, Pelagium tanquam catholicum absolverunt. Unde hoc anno, et non ante librum edidit de gestis Pelagii, *ne illo veluti absoluto eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse*, *quae ille nisi damnasset*, *nullo modo ab eis*, *nisi damnatus exisset*, ut inquit lib. 2. retract. cap. 47. Quamvis tam solemniter Romae Pelagiana haeresis damnata fuisset, in Campania tamen non pauci erant, qui Pelagii dogmata sectabantur. Hinc metuens Augustinus, ne Paulinus Nolanus Antistes, quem mirifice colebat, a Pelagio olim amico suo deciperetur, satis prolixam ad illum scripsit epistolam, in qua Pelagii artes de-

tegens, magna argumentorum copia de praedestinatione electorum, et reproborum disputat damnatione.

Quae in Africa, et Romae gesta erant, resciverunt in Asia ubi degebant Pelagius atque Caelestius, consilioque inter se inito, summum Pontificem adeundum esse statuerunt. E re vero visum est Pelagio non relinquere Asiam, sed Caelestium Romam mittere, qui eo libentius iter aggressus est, quo certior est factus de morte Innocentii, et de Zosimi assumptione ad cathedram Petri. Dederat Pelagius literas suas ad Pontificem, in quibus se injuste ab Erote et Lazaro accusatum fuisse conquerebatur, et auctoritatem jactabat Concilii Diospolitani, a quo obtinuerat absolutionem. Transmisit una cum literis symbolum fidei suae, in quo proprios dissimulabat errores. Praylius quoque, Joannis in Jerosolymitana cathedra et in Pelagii amicitia successor, commendatitiam pro illo ad Pontificem misit epistolam. Caelestius ergo Romae in Basilica S. Clementis in judicium a Zosimo vocatus obtulit in primis propriae fidei libellum, omnes continentem articulos, incipiendo *a Trinitate unius Deitatis*, ut Augustinus de peccato originali cap. 23. scribit, *usque ad resurrectionem qualis futura est mortuorum, de quibus eum nullus interrogabat*. Tum se paratum ostendit ad singula damnanda ac retractanda, quae contra fidem viderentur Apostolicae Sedis: ac demum a Pontifice his verbis interrogatus: *Illa omnia damnas, quae jactata sunt de nomine tuo?* Absque ulla haesitatione respondit: *Damno secundum sententiam b. memoriae praedecessoris tui Innocentii*. Admirans Zosimus tam promptam Caelestii literis Innocentii obedientiam, eum non damnavit, sed neque absolvit. Datisque literis per Basiliscum ad Africanos Patres, jussit, ut Eros, et Lazarus, et Paulinus diaconus Pelagii ac Caelestii accusatores intra duorum mensium spatium Romam accederent, *ut praesentem redarguerent, aliter sentire, quam libellis et confessione contexuit*. Accepit subinde Zosimus Pelagii ac Prayli literas, de quibus supra diximus, hisque magis commotus Africanos Patres iterum increpuit, quasi inconsulto atque praecipiti judicio Pelagium veluti haereticum damnassent. Zosimi literis Africani Episcopi responderunt, mirari se, quod post datam ab Innocentio sententiam Pelagii et Caelestii iterum retractaretur caussa, enixeque S. Pontificem deprecati sunt, ne ante Africanae Synodi, quam celebrare constituerant, relationem quidquam decerneret. Interim Aurelius plenarium totius Africae Concilium Carthagine convocavit. Haec omnia gesta sunt sub finem anni 417.

Initio autem anni sequentis 418. dum Pelagiani Romae graves undique turbas excitabant, Carthaginem convenerunt 214. Episcopi, qui, Pelagii Caelestiique caussa diligentissime retractata, plenis calculis definierunt, non esse a sententia Innocentii recedendum; statimque Synodalia gesta ad Zosimum per Marcellinum subdiaconum miserunt. Ex his didicit Zosimus quam callidis uterentur artibus Pelagiani. Quare illico diem dixit Caelestio, qui agnoscens, se fraudis ab Africanis Patribus fuisse satis superque convictum, clam fugam arripuit, ut examini se subduceret. S. Pontifex, nulla interposita mora, sententiam tulit, qua Caelestii ac Pelagii doctrinam a catholica

fide alienam declaravit, illiusque auctores tanquam haereticos habendos esse definivit: tum datis ad omnes Episcopos literis infamem haeresim ubique proscripsit. Et quia Caelestius ejusque fautores jactabant, se magnum habere Romae patronum, Sixtum nempe Romanae Ecclesiae tunc presbyterum, postea Episcopum, hic, concione advocata, in Pelagium, Caelestium, illorumque nefandam doctrinam primus anathema pronuntiavit; atque ut sibi injustam infamiae notam penitus amoveret, de his per literas certiores reddidit Aurelium Africae Primatem, Augustinum, et Alipium: ad quem Augustinus satis prolixam rescripsit epistolam, gratulans illi quod Pelagianos damnaverit, atque *probans per testimonia sanctarum Scripturarum, et bona opera nostra, et pias orationes, et rectam fidem nullo modo in nobis esse potuisse, nisi haec acciperemus a Deo*, ut Augustinus ipse de hac epistola loquens scribit ad Valentinum abbatem, et monachos Adrumetinos. Patres autem Africani, lectis in plenario Concilio tum Zosimi, tum Sixti literis, Pelagianam haeresim iterum condemnantes, octo ediderunt adversus illam anathematismos, seu regulas, quas excriptas vide in hist. Pelag. Norisii lib. I. cap. 13. Longius interim Zosimi vigilantia progressa est. Nam, damnatis Pelagio ac Caelestio, egit cum Honorio Imperatore, ut impiae haeresis auctores toto pellerentur Imperio: quod statim piissimus Princeps executioni mandavit, dato ad Palladium praetorio Italiae praefectum edicto. Pelagius hoc anno in Palaestina una cum Albina, Piniano, ejusque uxore Melania degebat, rerum suarum exitum expectans. Hi ergo, Albina nempe, Pinianus, atque Melania, cum tot tantaque contra Pelagii fidem spargi audirent, hominem conveniunt, ut propriam circa originale peccatum et gratiam sententiam declararet. Pelagius absque ulla haesitatione respondit: *Anathema, qui sentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam*. Haec more suo, subdole nimirum, fassus est de gratia. De peccato autem originali subdidit: *Iisdem Sacramenti verbis debere baptizari infantes, quibus majores*. Sancti illi conjuges, viri ad fallendum assueti artes non cognoscentes, significant Augustino, cum quo veteres colebant amicitias, catholicam Pelagii doctrinam. Hic e vestigio duos composuit libros, unum de gratia Christi, de peccato originali alterum, in quibus Pelagii detegit fraudes, simulque necessitatem ac naturam gratiae, et originalis culpae in omnes Adae posteros transfusionem validissimis demonstrat argumentis. Sub hujus anni finem e vita decessit Zosimus, unde schisma inter Eulalium, ac Bonifacium, utrumque in summum Pontificem electum, ortum est Romae. Inde occasionem arripuere Pelagiani Zosimi memoriae sacrilege obloquendi, quasi ob damnatam ab illo Pelagianam doctrinam Eulalii schisma permiserit Deus.

Dum ita se Romae gerebant Pelagiani labente anno 418., et initio 419., Honorio delatum fuit, quosdam Episcopos in Africa sinere, ut nuper damnata paradoxa publice defenderentur; ideoque e re judicavit, rescriptum ad Aurelium Africae Primatem dare, illum exhortans, ut sua religione ac

auctoritate Episcoporum compesceret pertinaciam, qui pravas Pelagianorum sententias vel tacito consensu adstruebant, vel publica oppugnatione non destruebant. Idem rescriptum missum ad Augustinum, testatur Baronius, quod in Vaticano codice legatur: *Eodem tenore etiam ad Augustinum datum rescriptum*. Hoc anno forte S. Pater edidit Enchiridion ad Laurentium Ecclesiae Romanae primicerium, in quo haereses tum Pelagianam tum etiam Nestorianam validissime refellit; quamvis non adhuc Nestorius Ecclesiam turbare coepisset.

Annus 420. mortem nobis exhibet magni Hieronymi acerrimi Pelagianorum profligatoris. Scripsit ille adversus infamem haeresim celebrem ad Ctesiphontem epistolam, et tria volumina dialogorum. Ut Augustinum Julianus Eclanensis, ita Hieronymum Pelagius verbis ac scriptis lacessivit, illumque quatuor pestilentissimis libris tentavit oppugnare. Hos autem noluit refutare Hieronymus, quoniam ex Augustinianorum lectione voluminum de peccatorum meritis ac remissione satis didicerat, unum Augustinum ad pessimos debellandos haereticos sufficere. Hinc per literas illum rogavit, ut decretoria in sui ipsius defensionem induceret arma. De magno illo sene inquit Idatius Episcopus in Chronico: *Pelagianorum sectam cum ejusdem auctore adamantino veritatis malleo contrivit*. Elegantiora etiam de eodem habet Prosper in carm. de ingratis cap. 2. Pelagiani Romae degentes audita Hieronymi morte, laetati sunt, in spem erecti, posse post haec resumere vires. Hinc Caelestius, qui Epheso ejectus fuerat, et redierat in Italiam, clam Urbem ingressus per domos cursitabat, ut catholicorum animos in sui commoveret defensionem. Gliscenti tamen malo illico occurrit Bonifacius, qui, superato Eulalii schismate, legitimus post Zosimum agnitus est Pontifex, atque cum Constantio, ab Honorio in Occidentalis Imperii consortium nuper adscito, agens, obtinuit, ut Haeretici omnes, ac nominatim Coelestius ejusque fautores, edito rescripto, Urbe ad centesimum lapidem pellerentur. Publicatum est edictum a Volusiano, viro quidem ethnico, sed Augustini studiosissimo, anno 421. Quo anno etiam Pelagius damnatus denique fuit in Synodo Antiochena, Theodoto Antiochiae Antistite, totiusque Orientis Primate, praeside, et Hierosolymis a Praylo, Pelagii quondam amicissimo, illius urbis Episcopo. Rem autem ita narrat Marius Mercator in comm. ad Theodosium: *Adhuc etiam Hierosolymis constitutus Pelagius, accusatus apud Synodum, et primo quidem tergiversando ambiguis quibusdam se professionibus tegens, et prosequens dubia et respondens, illam tunc videtur Episcoporum audientiam delusisse. Sed postmodum evidenter deprehensus, insistentibus accusatoribus, a posteriore Synodo, cui s. memoriae Theodotus Antiochiae praesedit Episcopus, atque detectus, a sanctis quoque ac venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus, ejusdemque S. Theodoti ad reverendissimum urbis Romae Episcopum, et s. recordationis Prayli Hierosolymitani Episcopi missa rescripta testantur*. Deinceps de Pelagio nulla penes historicos occurrit commemoratio: quare credendum est, profugum et extorrem vitam miserrime cum morte commutasse.

Nunc pauca de Caelestio dicenda sunt; pleraque enim illius gesta jam delibavimus. Scotus ille gente fuit, ut post Baronium, Norisium, aliosque ex Hieronymo praefact. lib. III. in Jerem. demonstrat Laurentius Berti, non Romanus vel Campanus, ut Garnerius divinat, deceptus proculdubio S. Prosperi versu, qui de Juliano prolatus est. A prima juventute monasterio juxta Norisium nomen dedit; juxta Garnerium autem, aliosque, pallium induit. Videtur enim fuisse monachus ad instar Pelagii, de illorum scilicet genere, qui domi morabantur. Unde S. P. Augustinus Pelagianae haeresis auctores appellat *veluti monachos;* et Timotheus presbyter C. P. ait: *Pelagius, et Caelestius, quemadmodum ajunt, nec Episcopi, nec clerici, nec omnino ex ordine sacro fuerunt; sed veluti monachi vagabantur. Fuit Caelestius acerrimi ingenii vir; et antequam Pelagianum dogma incurreret, immo adhuc adolescens scripsit ad parentes suos de monasterio epistolas in modum libellorum tres*, inquit Gennadius de script. ecclesiast. cap. 44. Eadem de Caelestii ingenio tradit quoque Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagii cap. 3., quamvis contrarium sentiat Hieronymus. Natus creditur circa annum 370. nobili quidem genere, sed *naturae vitio eunuchus matris utero editus,* uti scribit Marius Mercator in comm. ad Pintam. Circa an. 400. scholam frequentare coepit Pelagii Romae, ubi familiaritate usus ejusdem Pelagii ac Rufini Aquilejensis commoratus est usque ad annum 409., tantumque in Pelagianis profecit deliramentis, ut de ipso Hieronymus ad Ctesiphont. scripserit: *Unus discipulorum ejus, immo jam magister, et totius ductor exercitus etc.* Ob expugnatam ab Alarico Romam in Siciliam una cum Pelagio magistro suo se recepit, ut supra narravimus, anno 410. Post brevem ea in insula moram, Hipponem appulit, absente Augustino; tum fama celeberrimae collationis inter catholicos et Donatistas commotus, Carthaginem cum Pelagio venit. Hic statim fere in Asiam navigavit, Caelestius autem Carthagine substitit, ubi summa licentia, et palam sua prava dogmata spargens, totam fere urbem dissidiis, disputationibusque replevit; donec zelo motus Paulinus diaconus ad Aurelium, aliosque Africae praesules de more tunc Carthagine Concilium celebrantes illum detulit. In judicium ergo vocatus Caelestius cum damnare impiam haeresim detrectaverit, *ecclesiastica communione privatus est; a qua sententia ad Romani Episcopi examen credidit appellandum. Qua mox idem ipse appellatione neglecta, Ephesum Asiae urbem contendit; ibique ausus per obreptionem locum praesbyterii petere*, ut narrat Marius Mercator. Morabatur eo tempore Carthagine Flavius Marcellinus, illuc ab Honorio Imperatore, ut collationi catholicorum cum Donatistis praeesset, summa cum potestate missus. Hunc propositis quaestionibus ad solvendum difficilibus in proprias trahere partes conabantur Caelestiani. Sed perperam. Immo quaestionum illarum solutionem per literas petiit ab Augustino, qui piissimo viro morem gerens tres conscripsit libros de peccatorum meritis, et remissione. Evenerunt haec an. 412. sub finem.

Caelestius itaque in Asia degens, a Pelagianis, in Africa jam, in Aegypto, et in Italia damnatis, destinatus est veluti legatus ad Atticum C. P. Epi-

scopum, quo illum ad Pelagianas partes trahere omni adhibito studio conaretur. Sed spem fefellit eventus. Nam statim ac Costantinopolim appulit, suique itineris caussam Attico exposuit, tanquam haereticus damnatus, e regia urbe expulsus est. Hoc accidisse an. 417. constat ex common. Marii Mercatoris. Neque confundenda est haec ad Atticum Caelestii legatio cum illa, quam idem Caelestius iterum tentavit anno 421; cujus meminit Prosper in carm. de ingrat. cap. 2. Quid post annum 421. versutissimus haereticus egerit, quove se receperit, omnino ignoratur, nec quidquam aliud praeter narrata de illo produnt Historici.

CAPUT IV.

Ubi Theodori Mopsuesteni, Juliani Eclanensis, et Anniani adversus catholicam de Christi gratia fidem gesta breviter describuntur.

Antequam Pelagii, Caelestiique nefandos adversus catholicam fidem ausus describerem, narrare debuissem, quae Theodorus Mopsuestenus contra gratiam Salvatoris gessit, cum hic aetate illos, doctrina, ac dignitate praecesserit, illorumque fuerit praeceptor, fautor, et antesignanus. Sed quoniam Theodori Pelagianismus ex eo maxime innotuit, quod in Pelagii, Caelestiique gratiam libros contra Hieronymum, et Augustinum exaraverit, de eo cum cl. Norisio agendum distuli hoc in capite. Patriam ille habuit Antiochiam, praeceptorem Libanium sophistam, atque Adragasthium philosophum, condiscipulum vero Joannem Chrysostomum. Principio forum secutus verba clientibus venditavit; tum verbis ac exemplo motus Joannis Chrysostomi, foro relicto, monachum induit. Sed non multum in eo vitae genere perstitit. Hinc monasticam fastidiens disciplinam, urbem forumque repetiit, animo uxorem ducendi. Admonitus tamen a Chrysostomo gravissima epistola, *et phrasi, ac sensibus diviniore, quam mens humana capere queat ... resipuit: ac rursus relictis facultatibus, et abdicatis nuptiis, consiliis Joannis acquiescendo, servatus est, et ad philosophicam vitam reversus*. Ita scribit de eo Sozomenus lib. 8. hist. eccl. cap. 2. Imbuendum deinde se tradidit sacrarum Literarum scientia Carterio, et Diodoro, qui postea Episcopus fuit Tarsensis, tantumque in disciplinis illis profecit, ut brevi temporis spatio peritiores in sui traxerit admirationem. Ingenio quippe ad miraculum usque acutissimo ac feracissimo pollebat.

Anno circiter 391. mortuo Olympio Mopsuestiae Antistite, celebris in secunda Cilicia urbis, in ejus locum suffectus est Theodorus Antiochenus. Mirum dictu est, quot in Episcopatu subierit labores in vellicandis ac refellendis haereticis. Ingentem enim librorum numerum scripsisse, narrant historici; et Theodoretus in fine ecclesiasticae historiae illum describit adversus Arianum, Eunomianumque dogma quasi in acie dimicantem, atque latrocinium compescentem Apollinaris. Testatur etiam Liberatus in breviario, confutasse Origenis paradoxa. Sed vir ob sacrae profanaeque litteraturae co-

piam celeberrimus, nimia scientia inflatus, ingenioque suo magis, quam par esset, indulgens, absurdissima tradidit dogmata, atque haeresum magister evasit, Pelagianae praesertim ac Nestorianae. Rufiuus namque Aquilejensis, qui, ut ex Mercatore diximus, Pelagium decepit, non aliunde sua impia scita derivavit, quam ex Origenis ac Theodori operum lectione. Immo suspicatur Norisius, Rufinum audivisse Theodorum, vel quando sacra loca visitavit, vel quando ipse Theodorus adhuc praesbyter catechesim Antiochiae exponebat. Quidquid sit de hoc, (nolo enim de re, quam historici dubiam relinquunt, certum proferre judicium) dubitari non potest, quin Theodorus Mopsuestenus iniquam Pelagianorum doctrinam tradiderit, illamque redegerit in systema. Nam Marius Mercator, cui tota habenda fides est, utpote qui ea florebat aetate, carusque Augustino fuit, in commonit. ad Pintam presbyt. scribit: *Quaestio contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, et praecipue in Cilicia a Theodoro quondam Episcopo oppidi Mopsuesteni jam dudum mota ... progenitores videlicet humani generis Adam et Evam mortales a Deo creatos, nec quemquam posterorum sua transgressione laesisse, sed sibi tantum nocuisse: se mandati reos apud Deum fecisse, alterum penitus nullum etc.* Narrat deinde, hanc blasphemiam ab Anastasio Romanae urbis Episcopo damnatam fuisse in Rufino, qui Romae Pelagium decepit. Praeterea quando Pelagius, Caelestius, eorumque asseclae circa annum 414, et 415. a Hieronymo et Augustino exagitari coeperunt, (ille enim circa id tempus tres dialogorum libros; hic autem volumina de peccatorum meritis et remissione jam publicaverat) Theodorus furore quodam in catholicos agitatus, quinque composuit libros, quibus titulum fecit: *Contra asserentes, peccare homines natura, non voluntate*. Extabant hi quinque libri aetate Photii, a quo in magna sua bibliotheca recensentur cod. 177. In his autem non solum tetro commate Hieronymum delineat atque Augustinum, sed etiam aperte tradit, multisque probare nititur argumentis, *Adam mortalem factum; qui sive peccaret, sive non peccaret, mortuus fuisset. Occidentales haereticos esse, quod teneant, Adae peccatum humanam infecisse naturam*. Rursus in quibusdam ejusdem Theodori fragmentis in latinum eloquium a Mario Mercatore translatis, plura argumenta adversus originalis peccati transfusionem leguntur. Unde antequam Mercator illa recitet, ita praefatur: *Cujus autem perfidiae sit etiam praefatus Theodorus, ex scriptis ejus, quae de graecis transtulimus, approbemus*. Deinde prosequitur: *Theodori Mopsuesteni Episcopi de secundo codice lib. 4. §. 10. contra S. Augustinum defendentem originale peccatum, et Adam per transgressionem mortalem factum catholice disserentem*. Vide haec relata ac fuse descripta apud Norisium, qui primus fragmenta illa ex Vaticana bibliotheca deprompta in lucem edidit. Ac denique anno 423. Julianus Eclanensis Episcopus acerrimus Pelagianae doctrinae defensor, Roma, totaque Italia a Caelestino pulsus, ad Theodorum in Ciliciam navigavit, ut sub tanto magistro octo scriberet libros contra secundum Augustini volumen de nupt. et conc. Id ex Mario Mercatore discimus, qui in commonitorio inquit: *Simul ad-*

monere volens , Julianum etiam Episcopum oppidi Eclanensis haereticum Pelagianum , seu Caelestianum hunc secutum esse Theodorum , ad quem peragratis terris , et exarato mare , atque Oriente lustrato cum sociis ... tanquam ad Christianorum dogmatum praedicatum magistrum tetendit ... unde haeresis Pelagiana , seu Caelestiana , quam defendendam suscepit , ab ipso confirmaretur , atque inde velut instructus , octo contra fidem catholicam potius quam s. memoriae Augustinum volumina illa , ut putat , prudentissima conderet . Haec omnia satis demonstrant, quam male de catholica circa originale peccatum fide et Christi gratia, uti et circa alia plura dogmata Theodorus Mopsuestenus sentiret. Mortuus est eodem anno, nempe 427, ut ex Theodoreto demonstrat Norisius lib. II. hist. Pelag. cap. 4. Post ejus obitum nomen e sacris diptychis Mopsuestenis deletum est, ut ex responsione Anatholii patet, quae legitur coll. 5. Synodi V. Oecum. *Theodorum veterem Antiochenum nostrae civitatis Episcopum nescio in sacris diptychis recitari .*

Agendum modo breviter de altero Pelagianae sectae insigni propagatore Juliano Episcopo Eclanensi. Dissentiunt invicem viri docti de hujus pessimi viri patria. Gennadius , Baronius , Ughellius Capuanum illum faciunt ; Gelasius Celanensem , Petrus diaconus Edanensem , Vignerius Celiensem , Holstennius Celennensem , Ballerinii Atellensem . Sed subscribendum arbitror Norisio , qui ex Mario Mercatore demonstrat , Julianum fuisse Eclanensem. Fuit autem Eclanum antiqua Hirpinorum urbs, M. P. XV. vel XVI. distans Benevento . Nec obstant haec Augustini verba , quae lib. 6. op. imp. cap. 18. de Juliano leguntur : *Neque enim quia te Apulia genuit etc.* Nam Servius lib. 7. Æneid. Hirpinos Apulos vocat , et Vossius ex veteribus , recentioribusque Geographis Eclanum in Apulia Peucetia locat . Patrem habuit Julianus nobilissimum virum Memorium , qui postea fuit Episcopus Capuanus ; matrem vero Julianam , *qua nihil honestius inter reverendissimas matronas invenias* , ut inquit Marius Mercator . Adolescens bonis artibus adeo studuit , ut rethor peritissimus dicatur a Beda praef. ad Cant. Admodum juvenis duxit uxorem , Æmilii viri consularis , et Episcopi Beneventani filiam . Sacro Epithalamio celebres reddidit nuptias Juliani S. Paulinus Nolanus Antistes : ex quo Epithalamio intelligimus , Julianum tum , cum uxorem duxit , lectorem fuisse . Mos autem erat tunc temporis , ut lectores cum ad annos perveniebant pubertatis , cogerentur aut uxorem ducere, aut profiteri continentiam , ut ex can. XIV. Chalcedonensis Concilii constat . Intimas eo tempore fovebat Augustinus cum Memorio patre , Julianoque filio amicitias , ut ex ejusdem S. Patris ep. 131. apparet . Soluto matrimonii vinculo (an uxoris morte , an communi voto incertum est) Julianus ad sacrum diaconatus ordinem ascendit ; quo in gradu liberalibus disciplinis magis , quam sacra delectabatur litteratura . De hac re Augustinus cum patre ejus Memorio conquerebatur . Peritiores in omnibus disciplinis digni illis temporibus habebantur , ut Episcopi consecrarentur . Scientia quippe quam maxime necessaria est Episcopo , ut ad salutaria pascua gregem ducat , et a luporum insultibus servet incolumem . Et quoniam Julianus acer-

rimo erat ingenio, exoticis abunde, divinis quantum satis eruditus erat litteris, et arte dicendi etiam clarus, teste Gennadio, ab Innocentio tunc Rom. Pont. Episcopus consecratus est Eclanensis. Initio episcopatus ingruente fame, omnia sua pauperibus erogavit, ut idem Gennadius affirmat, atque magnam hoc modo comparavit sibi famam.

Hic, in quo nihil, quod ad optimum Episcopum pertinet, deesse videbatur, in Pelagianam haeresim tandem turpiter incidit. Quo id acciderit tempore, definiri non potest. Illud certum est, vivente Innocentio, non modo ausum non fuisse contra catholicam fidem mussitare, verum etiam damnationi ab eodem Innocentio in Pelagium et Caelestium latae subscripsisse, ut testis est Marius Mercator in common. ad Theodosium; qui in altero common. ad Pintam narrat quoque, sub Zosimo, cum de originali peccato disputaretur, eumdem Julianum Romae commorantem libere loqui pro Pelagianis coepisse. Anno 418. Zosimus, edito in Pelagium atque Caelestium damnationis libello, ut illum publicaret, encyclicas ad universi orbis Episcopos dedit, ut capite superiore narravimus. Tunc Julianus Zosimi decreto subscribere renuit, ut refert idem Marius Mercator, quamvis non adhuc ex toto Pelagianus esset; cum in epist. ad eumdem Zosimum damnet eos, qui negant, mortem poenam esse peccati, quod Adam admisit. Post damnatos a Zosimo Pelagianos, nonnulli agnoscentes, majores in ea caussa pro catholica fide partes habuisse Augustinum, imponere illi tentarunt penes Valerium comitem V. C. Honorii ducem militum, eique carissimum, quasi idem Augustinus, ut peccatum adstrueret originale, nuptias damnaret. Sed vani apud Valerium Pelagianorum fuere conatus. Nam illico certiorem de omnibus fecit Augustinum, cum quo veteres colebat amicitias; qui statim ad Valerium librum I. transmisit de nupt. et concup., quem eidem comiti nuncupavit. Videtur liber hic ab Augustino scriptus labente an. 418, vel initio sequentis. Quum vero iis temporibus Pelagiani proscripti jam essent tum a Zosimo, tum ab Honorio, ut supra diximus, Julianus, totius Pelagiani belli summa in se suscepta, in arenam confidentissime descendit. Primus buccinae ejus strepitus fuit, priorem Augustini librum de nupt. et concup. ad Valerium, quatuor elucubratis voluminibus, refutare. In iis excripsisse videtur argumenta, quae in suis quinque libris contra Hieronymum et Augustinum tradiderat olim Theodorus Mopsuestenus, quos ab Anniano diacono Pelagiano forte acceperat. Librorum, quos Eclanensis Antistes initio pontificatus Bonifacii edidit, nullam habuit Augustinus notitiam, nisi an. 421. Ita autem ad manus illius pervenerunt. Quum Alipius Tagastensis Episcopus ex Africa in Italiam navigasset, ut celebrem de appellationibus quaestionem Imperatori commendaret, Ravennam se conferens, legationeque sua functus, a Valerio comite didicit, quanta Pelagiani contra Augustini librum de nupt. et concup. effutirent. Romam deinde profectus ad Bonifacium Papam, duas ab eo accepit deferendas Augustino *epistolas Pelagianorum*, quarum alteram Julianus Romam, alteram vero decem et octo Episcopi eadem infecti labe ad Episcopum Thessalonicensem miserant, ut Augustinus ipse lib. II. de nupt. et concup. nar-

rat. Ad Alipium Romae adhuc consistentem misit Valerius excerpta quaedam ex quatuor Juliani libris deprompta, ut ea secum in Africam deferret. Quibus Augustinus pervolutatis, dubius paulisper haesit, an illius excerpta illa confutanda essent, an a Valerio integri quatuor Juliani libri expectandi. Sed vicit demum Religionis zelus; statimque librum elucubravit II. de nupt. et concup., quem Valerio pariter nuncupavit, in quo meritas haeretico vices rependit. Animum etiam applicuit ad duas Pelagianorum epistolas, a Bonifacio Papa per Alipium acceptas, refutandas; quod quatuor praestitit libris Bonifacio ipsi dicatis. Haec omnia scripta Romam, atque Ravennam statim delata sunt ab Alipio in secunda quam habuit in Italiam navigatione, anno videlicet 421. Sequente vero anno accepit S. Pater a Claudio Episcopo catholico integros quatuor Juliani libros, e quibus excerpta erant a Valerio comite, magnumque aggressus est opus, ut illos funditus convelleret, ac refutaret. Distinxit opus in sex libros, quos tot, tantisque Scripturarum et SS. PP. testimoniis, tam selecta eruditione, tantaque ratiocinationis vi adornavit, ut adversarium non modo vicerit, sed oppresserit prorsus, atque prostraverit. Hinc per quatuor fere annos altum tenuere Pelagiani silentium. Nam licet Julianus sub Bonifacii pontificatus finem calamum denuo acuerit, ac duo exornaverit volumina contra secundum Augustini librum de nupt. et concup., ausus tamen non est, fidelium manibus illa tenenda tradere nisi an. 427., quando ecclesiasticis Infulis privatus ex Italia a Caelestino pulsus, ut supra diximus, in Ciliciam ad Theodorum Mopsuestenum se receperat; ubi duobus in Italia elucubratis libris alios sex addidit. Hoc anno ergo 427. Alipius octo librorum Juliani exemplaria Romae reperta ad Augustinum refellenda misit; qui licet ob Vandalorum incursiones ad multa distractus esset, animum tamen a distringendo calamo non retraxit ut suppetias catholicae fidei ferret: atque eodem anno quatuor complevit volumina contra Juliani libros. Interpellatus interim quotidianis amicorum quaestionibus, litteris Quodvultdei, novisque Gallorum disputationibus, distulit responsionem contra Julianum ad annum sequentem animo addendi alia quatuor volumina quatuor jam exaratis, ut totidem libris Juliani opuscula confutaret. Et jam sextum inter armorum strepitus perfecerat, cum gravi febri correptus scribendi finem fecit ad superos evocatus: unde divinum illud opus contra Julianum *imperfectum* vulgo nuncupatur.

Sed ad Julianum revertatur oratio. Hic, mortuo Theodoro Mopsuesteno, Ciliciam reliquit, ut in regiam C. P. urbem se reciperet. Audierat enim illius Ecclesiae Episcopum novum a suo non absimile dogma in mundum invehere. Illuc ergo una cum Orontio, Floro, nonnullisque aliis appulsus et benigne a Nestorio exceptus nullum non movit lapidem, ut ad sui partes traheret clerum, ac Theodosii imperatoris imploraret patrocinium. Sed perperam: nam Marius Mercator, qui C. P. eo anno degebat, statim libellum edidit, quem appellavit commonitorium, in quo contracta oratione narravit, quae in Africa, in Italia, et in Asia contra Pelagianos antehac gesta fuerant, et illud clero, et imperatori obtulit ne a novis haereticis imponi sibi permitterent. Nestorius interim factus Pelagianorum advocatus

iteratas dedit ad Caelestinum litteras, quibus a Romano Pont. sciscitabatur, quid de Juliano, et aliis occidentalibus ex-Episcopis esset sentiendum, se scire dissimulans damnatos jam ab universo orbe veluti haereticos fuisse. Indignatus Caelestinus Nestorio tum quod haereticorum se faceret patronum, tum etiam quia a Cyrillo Alexandrino didicerat, quae contra Incarnationis fidem moliri aggrediebatur, distulit responsionem. Sed acres tandem ad Nestorium litteras dedit, quas ita absolvit: *Causam tuam magis modo quam aliorum catholica ac festina deliberatione curato; quia convenienter dicimus: Medice, cura teipsum qui aliis desideras subvenire*. Verum antequam ad Nestorii manus Caelestini epistola perveniret, Theodosius Marii Mercatoris commonitorii lectione commotus Julianum et alios Pelagianos a regia urbe expulerat. Hi tamen scientes futurum anno sequente generale concilium Ephesi celebrandum moras traxerunt, ut una cum Nestorio concilio interessent. Facta sunt autem haec anno 430. Anno autem sequente cum Ephesi concilium celebraretur, Nestorius una cum individuo comite Juliano, et aliis Pelagianis ex-Episcopis illuc se contulit sperans se tali comitatu stipatum catholicorum res eversurum. Sed spem fefellit eventus. Nam eo in concilio et Pelagiani et Nestoriani damnati sunt.

Anno 432. Caelestinus damnationem Pelagianorum ac Nestorianorum iterum confirmavit, ut ex litteris ad Constantinop. datis patet, et post paucos dies sancto fine quievit; eique in Petri cathedra successit Sixtus nominis hujus tertius, qui ante annos quatuordecim primus post Zosimum anathema in Pelagianos pronuntiaverat, et ad quem ea occasione epistolam dederat Augustinus. Julianus interim post concilium Ephesinum desiderio amissi episcopatus adeo exarsit, ut non solum in Italiam unde ejectus fuerat redire non erubuerit, sed poenitentiam praeterea callide simulans in Eclanensem sedem irrepere non dubitavit. Ast Leo Romanae Ecclesiae archidiaconus, qui postea Sixto in Pontificatu successit, ejus conatibus restitit, et summo Pontifici auctor fuit ne Juliani poenitentiae fidem praeberet. Hinc anno 439. Julianus ex invasa Eclanensi sede denuo expulsus est. In sancti Sixti locum, qui an. 440. obiit, substitutus est Leo cognominatus Magnus. Quid contra Pelagianos gesserit narrat in lib. de promiss. Dei cap. 6. Prosper. Et haec quidem gesta sunt anno 443. Quo deinceps se Julianus receperit, quid gesserit, et quomodo vitam finierit, incertum est. Id tantum ex Gennadio scimus; obiisse nempe Valentiniano imperante.

Alius Pelagiani dogmatis architectus fuit diaconus quidam Annianus, de quo S. P. Augustinus et Alipius ad Hieronymum scripserunt, num Anniani libros contra ejus epistolam ad Ctesiph. exaratos vidisset ac refutasset. Sed cum hi libri, quos se recepisse testatur Hieronymus per Eusebium presbyterum, jamdudum interciderint, nec eos Hieronymus quod fuerit morte praeventus refutare potuerit, quis iste Annianus fuerit divinare nituntur eruditi. Baronius ad an. 417. putat in codicibus legendum esse *Valerianum*, et legi per errorem Annianum. Vossius lib. I. hist. Pelag. cap. 6. sub Anniani nomine designari arbitratur Julianum; Jansenius vero Pelagium. Ast cardinalis Norisius ex epistola, quae est apud Bedam, nec

non ex praef. in homil. S. Joan. Chrysostomi erudite demonstrat extitisse Annianum Pelagianismi magistrum a Valeriano, Pelagio, ac Juliano diversum. Annianus ergo, quem latinae et graecae linguae peritum magni faciebant Pelagiani, Pelagio praebens se comitem individuum cum illo profectus est in Asiam. Diospolitano concilio interfuit, et auctor fuit Pelagio ut ea de quibus accusabatur fidenter negaret. Post hanc synodum rediit in Italiam, ubi nonnullis editis voluminibus Hieronymi epistolam ad Ctesiph. impugnare aggressus est: quae volumina, ut dixi, jamdiu perierunt. Animadvertentes subinde Pelagiani omni veterum patrocinio propriam destitutam esse sententiam, S. Joannis Chrysost. opera nonnulla, in quibus erroris sui fulcrum aliquod inveniri sibi suadebant, in latinam vertere statuerunt linguam. Opus hoc in se suscepit Annianus, qui primus e graeco in latinum eloquium Chrysostomi homilias *de laudibus S. Pauli* transtulit, et illas Evangelio cuidam Pelagiano praesbytero nuncupavit. In epistola dedicatoria appellat Augustinum et omnes catholicos *traducianos*, quod traducem admittant originariae culpae; Augustinumque reprehendit, quod verba illa epist. ad Rom. cap. 7. *Non enim hoc facio quod volo bonum, sed quod volo malum hoc ago*, de ipsius Pauli persona dicta esse contendat. Deinde ab Orontio Pelagiano Episcopo impulsus interpretationem omnium homiliarum Chrysostomi in Matth. aggressus est. Octo tamen tantum ex illius versione modo habemus. Num reliquas etiam transtulerit, incertum est. Dedicavit octo illas homilias supramemorato Orontio, et in praef. passim multa semina sparsit Pelagianismi.

Fuerunt illis temporibus alii Pelagiani tum laici, tum Episcopi, a quorum describendis gestis brevitatis caussa abstineo. Duos tantum hic breviter commemoro, Vincentium nempe Victorem, et Fastidium Britannorum Episcopum. Ille adversus Augustini librum de origine animae edidit duo opuscula, in quibus sex tradidit Pelagiana paradoxa. Refutatus tamen ab Augustino quatuor libris ad meliorem frugem reversus est, ut S. Doctor in lib. 2. retract. cap. 56. testatur. Fastidius autem librum de vita christiana ad viduam composuit, in quo negat originale peccatum, et impeccantiam admittit in sensu Pelagii. Legitur volumen hoc inter opera Augustino supposita tom. 8. Modo de Pelagii erroribus breviter disserendum erit.

CAPUT V.

De erroribus Pelagii, et variis illius haeresis statibus.

Viginti enumerat S. P. Augustinus Pelagii errores, duodecim scilicet in ep. ad Paulinum, reliquos octo in aliis ejus operibus. Sic autem habet in laudata epistola: *Objectum est enim dicere* 1. *quia Adam sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* 2. *Et quod peccatum ejus ipsum solum laeserit, non genus humanum.* 3. *Et quod infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante praevaricationem.* 4. *Et quod neque per mortem, neque per praevaricationem Adae omne genus huma-*

num moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. 5. *Et infantes etiamsi non baptizentur habere vitam aeternam.* 6. *Et divites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos posse habere regnum Dei.* 7. *Et gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.* 8. *Et Dei gratiam secundum merita nostra dari.* 9. *Et filios Dei non posse vocari, nisi omnino absque peccato fuerint effecti.* 10. *Et non esse liberum arbitrum, si Dei indiget auxilio; quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere aliquid, vel non facere.* 11. *Et victoriam nostram non ex Dei adjutorio esse, sed ex libero arbitrio.* 12. *Et quod poenitentibus venia non detur secundum gratiam et misericordiam Dei, sed secundum meritum et laborem, qui per poenitentiam digni fuerint misericordia.* Duodecim hos articulos tanquam haereticos objecerunt Pelagio Diospolitanae synodi Patres, quos ipse Pelagius, ut damnationem vitaret, aperte anathematizavit. Alii autem octo errores recensentur ab Augustino variis suorum operum locis, suntque 1. *Posse hominem, si velit, carere omni peccato.* 2. *Non opus esse Deum rogare, ne nos inferat in tentationem, nobisque peccata dimittat.* 3. *Negabat necessitatem orationis, quam pro infidelibus fundit Ecclesia, ut convertantur ad Deum.* 4. *Affirmabat, Ecclesiam in hac quoque vita esse sine ruga, et sine macula.* 5. *Et tam a veteri lege, quam ab evangelio sanctissimos viros prodiisse, ut solam legem cum exclusione gratiae commendaret.* 6. *Novum testamentum proinde par veteri praedicavit.* 7. *Asseruit, peccatum esse jurare etiam in veritate.* 8. *Docuit solitarium hominem de virgine natum, et eruditorem potius humani generis esse, quam Redemptorem.*

Sed haec est erroris proprietas, ut sibi diu constare non possit. Hinc varios habuit Pelagiana haeresis status, in quibus enumerandis non omnes eruditi conveniunt. Alii namque duos, alii tres, alii etiam quinque recensent. Ut ut sit, primus certe Pelagianae haeresis status erat purus putusque paganismus. Recepta enim ab ethnicis, maximeque Stoicis semper doctrina fuit, hominem ad virtutem sapientiamque comparandam Deo non indigere, sed sibi soli sufficere. Hinc Seneca epist. XX. scribit: *Huc cogitationes tuae tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, et ex te nascentibus bonis. Quae posset esse felicitas Deo propior?* Et epist. 31. *Unum bonum est, quod beatae vitae causa et firmamentum est, sibi fidere.* Quibus consona sunt, quae habet Cicero in lib. de nat. Deor. *Judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a seipso sumendam esse sapientiam.* Hoc idem ab initio affirmavit docuitque Pelagius, quando a veritatis tramite coepit aberrare, solam videlicet naturam, ut a Deo conditur et ex matris utero prodit, absque ullo externo, multoque minus interno auxilio, per proprii arbitrii vires, sibique innatam potentiam ad omne opus bonum agendum, imo vel ad ipsam αναμαρτησίαν, *impeccantiam*, sufficere. Nec mirum. Quum enim Pelagiani negarent originale peccatum, ac libertatem arbi-

trii ad bonum ex aequo et ad malum admitterent, sicuti nullum concedebant voluntati extrinsecum adjutorium ad peccandum, ita nullum extrinsecum adjutorium cognoscebant ad bonum agendum. Unde apud Augustinum homil. 44. cap. 7. ajebant: *Si volo, justus sum, si nolo, justus non sum. In potestate habeo justum esse, et justum non esse.* Quod autem principio ita Pelagiani sentirent, innumeris demonstrare possem argumentis. Sed mentem eorum perscrutemur ex paucis excerptis Hieronymi, Augustini, et Innocentii I., qui praecipui fuerunt Pelagianorum debellatores. Hieronymus ergo in epist. ad Ctesiph. *Illud vero*, inquit, *quod ad decipiendos homines quosque huic sententiae coaptarunt, (non absque Dei gratia) quum prima legentes fronte decipiat, introspectum et diligentissime ventilatum decipere non potest. Ita enim Dei gratiam ponunt, ut non per singula opera ejus nitamur et regamur auxilio, sed ad liberum referunt arbitrum etc.* Ac si dicat: modo non absque Dei gratia bonum fieri fatentur, quamvis decipiant homines; quum eam gratiam ad liberum referant arbitrium. Initio igitur nullam admittebant gratiam, sed puram naturam cum libertatis arbitrio. Apertius adhuc S. P. Augustinus serm. XI. de verb. Ap. cap. 2. *Haec enim est disputatio eorum, quando primum exoriri coeperunt, et contra gratiam disputare ... Disputantes contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis et catholicis offensionem.* Quare principio negabant, aut saltem non affirmabant liberum arbitrium esse gratiam Dei. Progressu tamen temporis ad frangendam invidiam commenti sunt, liberum arbitrium esse gratiam, ut dicere possent: *Non contra gratiam Dei disputamus. Quoniam a Deo accepit homo liberum arbitrium, invenerunt ad revelandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei disputo.* Ita S. P. Augustinus ibidem. Et in ep. ad Paulin. ait, *Pelagianos sentire quemadmodum philosophi hujus mundi, qui vehementer egerunt, ut putarentur, vel putarent, sibi beatam vitam virtute propriae voluntatis efficere.* Innocentius denique in ep. ad PP. Carthaginenses inquit: *Quid tam mortiferum tam praeceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil quaeramus? ... Quasi jam amplius quod possit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit.* Nudum igitur liberum voluntatis arbitrium initio suae haeresis ad bonum agendum Pelagius admisit. Quod manifestum est magis ex iis, quae de secundo illius haeresis statu dicemus.

Alter itaque Pelagianae haeresis status semi-ethnicismus appellari potest, cum nomine tantum non re a primo statu differat. Resonabat enim in illorum ore *gratia*; sed nomine gratiae naturam ipsam intelligebant, juxta quod scripsit olim Seneca in ep. XC. *Quis dubitare poterit, quin Deorum immortalium munus sit quod vivimus; philosophiae quod bene vivimus? Itaque tanto plus nos debere huic, quam Diis, quanto majus beneficium est bona vita, quam vita.* Non absimili ratione de gratia sentiebant Pelagiani: *Non peccare*, inquiunt apud Augustinum de nat. et grat. cap. 48., *nostrum est, posse vero non peccare non nostrum.* Et lib. de grat.

Christi cap. 4. *In voluntate et opere bono laus hominis est; imo et hominis et Dei, qui ipsius voluntatis et operis possibilitatem dedit; quique ipsam possibilitatem gratiae suae semper adjuvat auxilio*. Caussa autem cur ad id Pelagiani devenerint, exponitur ab Augustino serm. XI. de verb. Ap. cap. 7., ubi narrat, quod reprehensi a fidelibus, quod contra Dei gratiam disputarent, ad amovendam invidiam dicebant, se contra gratiam non disputare, quod liberum defenderent arbitrium: *Quia hominem Deus creavit, et liberum donavit arbitrium, quidquid homo potest de libero arbitrio cujus gratiae debetur, nisi ejus qui eum condidit cum libero arbitrio?* Hanc sententiam Pelagius praesertim in eo libro propugnavit, cui Augustinus suum opposuit opus de nat. et grat., ubi cap. 1. ait: *In hoc libro ille Dei gratiam non appellat nisi naturam, qua libero arbitrio conditi sumus*. Eo itaque tempore quo Pelagius librum in commendationem scripsit naturae, cui Augustinus, uti diximus, librum opposuit de nat. et grat. divinae gratiae nomine nil intelligebat aliud, quam purum putumque voluntatis arbitrium a Deo auctore naturae homini collatum. Quamquam eo etiam in libro voluntatis arbitrio aliquando (tenuiter tamen nec satis aperte) conjungeret vel adjutorium legis, vel remissionem peccatorum, ut observat Augustinus in libro de gest. Pel. cap. 13.

Judaei in nullo alio magis quam in lege gloriantur. Hinc si a Judaeo quaeras, in quo justificetur homo? respondet: *In lege*. Huc Pelagiani venere circa Diospolitanae synodi tempora; gratiae nimirum possibilitatis, seu liberi arbitrii gratiam addiderunt legis, atque doctrinae. *Nam cum urgeri coeperint, quomodo id praesumant asserere, fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vident quam sit impia, et non ferenda. Sed ajunt, ideo sine ope divina ista non fieri, quia et hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, et dando praecepta ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum*. Sic inquit S. P. Augustinus in lib. de spir. et littera cap. 2., ubi haec affert Pelagianorum verba: *Ideo sine operatione gratiae Dei nos justi esse non possumus, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia praecepta mandavit*. Quare idem Doctor de illis in epist. ad Paulinum dicit: *Merito Judaeis similes sunt; qui quum profiteantur se esse Christianos, ipsi gratiae Christi sic adversantur ut se humanis viribus divina existiment implere praecepta, et non quidem nomine, sed errore judaizant*. Immo tertius hic Pelagianismi status Judaismo deterior mihi videtur. Judaei enim contendunt legem ad bonum agendum esse simpliciter necessariam; quum Pelagiani e contra illam ad facilius dumtaxat operandum admitterent. Scimus hoc ex Augustino, qui in libro de grat. Christi cap. 7. haec refert Pelagii verba: *Etiam Deus gratiae suae auxilium subministrat, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam, quam nos*, prosequitur Pelagius, *non in lege tantummodo, sed in Dei esse adjutorio confitemur. Quis non hic desideret*, subdit Augustinus, *ut ostendat quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maxime de illo expectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in lege*

tantummodo se gratiam confiteri. Sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit intuemini: Adjuvat enim nos, inquit, Deus per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis ne praesentibus occupemur futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi et ineffabili dono gratiae caelestis illuminat ... In his omnibus non recessit a commendatione legis, atque doctrinae, concludit Augustinus in Pelagium gratiam internae illuminationis admittentem, quae a lege atque doctrina non differt, ad facilius dumtaxat operandum. Et cap. 41. ejusdem libri postquam S. P. dixerat gratias a Pelagio admissas *ad nihil aliud adhibendas, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id, quod agendum esse didicerit, etiam dilectione et actione perficiat*, e vestigio subdit: *Ut videlicet tanquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis ne deficiamus in via; quamvis et ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura, sed facilius, si adjuvet gratia*. Pelagius ergo eo pervenit ut fateretur, praeter liberum arbitrium legem requiri atque doctrinam sive extrinsecus resonantem, sive etiam illuminantem intrinsecus, non quidem ut simpliciter necessariam, sed ad facilius dumtaxat operandum.

Claris. noster Berti lib. XIV. de Theol. disciplinis cap. 5. arbitratur, Pelagium gratiam internae illuminationis in lege atque doctrina consistentem admisisse ut simpliciter necessariam ad bonum operandum. Hoc probat ex eo quod in Diospolitana synodo Pelagius damnaverit eos, qui dicunt non esse necessariam gratiam ad singulos actus, gratiae nomine legem intelligens atque doctrinam, ut observat S. P. Augustinus in lib. de gest. Pel. cap. 14. Verum ex iis, quae Pelagius in ea Synodo gessit, erui illius germana sententia minime potest. Nam totus fuit, ut aequivocis locutionibus, et mentalibus restrictionibus, putidisque mendaciis a Patribus absolutionem suffuraretur. Quare Augustinus in lib. de grat. Christi cap. 3. scribit: *Quandoquidem ipse Pelagius damnaverit eos, qui dicunt gratiam Dei non ad singulos actus dari, ubi putabamus ejus de hac re omnes tergiversationes esse consumptas; tamen in libris, quos edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in epistola, quam Romam misit, nihil aliud sentire monstratur, quam id, quod damnasse videbatur. Nam gratiam Dei et adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura et libero ponit arbitrio, aut in lege, atque doctrina*. Dici praeterea potest gratiam quam Pelagius in Diospolitano concilio tanquam necessariam ad singulos actus admisit, gratiam esse qua Christus in hunc mundum venit peccatores salvos facere; nempe vel remissionem peccatorum, vel mortis Christi memoriam, vel exemplum Dominicae conversationis, ut Augustinus lib. de gest. Pel. cap. 2. interpretatur. Nam ab Albina, Piniano, ac Melania mentem suam circa Christi gratiam coactus aperire, ait: *Anathema qui vel sentit vel dicit gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas, vel singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam*.

Non acquiescit tămen praeclarissimus auctor, et inquit. S. P. Augustinus in lib. de grat. Chr. cap. 47. scribit: *Si Pelagius consenserit, etiam ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, et agamus, eamque esse gratiam Dei per J. C. D. N. nihil de adjutorio gratiae, quantum arbitror, inter nos controversiae relinquetur*. Ex quibus colligitur, peccasse Pelagium circa gratiae naturam, non circa necessitatem. Facilem tamen habet difficultas haec solutionem. Nam licet Pelagius in eo etiam erraret, quod gratiam internae illuminationis ad facilius dumtaxat agendum admitteret, controversiae nihilominus inter Augustinum et Pelagium cardo versabatur circa adjutorium voluntatis et actionis, quod haereticus inficiabatur. Unde bene ait S. Doctor, se consensurum Pelagio, si ad singulos actus gratiam admitteret voluntatis. Nam, hac semel admissa necessitate, fassus etiam fuisset necessitatem legis ac doctrinae per internam illuminationem; quum omnis voluntatis motus ab intellectus praeveniatur cognitione juxta vulgare proloquium: *Nil volitum, quin praecognitum*.

Gratia ergo Pelagianorum praecipua liberum erat arbitrium hominis, cui addidere deinceps legem atque doctrinam. Ut autem illuderent simplicibus, et sub gratiae delitescerent larva, eamdem legem atque doctrinam variis efferebant nominibus. *Legem quippe diversis locutionibus, et varietate verborum in omnibus disputationibus suis intelligi volunt gratiam*, ut Augustinus observat lib. IV. ad Bonif. cap. 5. Et modo appellabant eam *revelationem*, quatenus non solum praedicatur in auribus, sed intus etiam a Spiritu Sancto manifestatur. Nunc vero dicebatur ab iis *oculorum adaperitio*, per internum videlicet Spiritus S. magisterium. Aliquando gratiae illi *futurorum* tribuebant *demonstrationem*. Unde Pelagius in cap. 5. ep. ad Rom. ajebat: *Filium Dei Spiritum Sanctum nobis dedisse, qui jam ostendat gloriam futurorum*. Illud quoque munus adscribebant gratiae, quod *diaboli panderet insidias*, quod *mentem illuminaret*, et quod *denique suaderet omne, quod bonum est*. Collegit haec omnia paucis Pelagius apud Augustinum lib. de grat. Chr. cap. 41. in haec verba: *Adjuvat nos Deus per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi et ineffabili dono gratiae caelestis illuminat*. Et cap. ejusdem lib. 10. addit: *Dum nobis suadet omne, quod bonum est*. Verum optime S. P. Augustinus inquit: *In his omnibus non recessit a commendatione legis, et doctrinae. Nam ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia reveletur; ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere et suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinae generalitate concluditur, quae quibuscumque sermonibus, vel litteris continetur*, inquit S. Doctor loco laudato.

Sed ut Pelagii mentem penitius introspiciamus, animadvertendum insuper est, in tres status universum distinxisse genus humanum; atque pro statuum diversitate variam invexisse ad bonum agendum gratiam. *Primum*,

ajebat in lib. de pecc. orig. cap. 26. *vixerunt justi homines ex natura, deinde sub lege, tertio sub gratia*. In statu naturae gratia ad bonum agendum erat, per Pelagium, purum putumque liberum voluntatis arbitrium. Ait enim in ep. ad Demetriadem: *Nec illud est parvum argumentum ad comprobandum naturae bonum, quod illi primi homines per tot annorum spatia* (ab Adam nempe usque ad Moysem) *absque ulla admonitione legis fuerunt; non utique quod Deo aliquando creaturae suae cura non fuerit, sed quia talem sciebat hominum fecisse naturam, ut eis pro lege ad merendam justitiam sufficeret*. Invalescente autem peccandi licentia et consuetudine, adeo pravis exemplis, subdit haereticus, corrupta est humana natura, ut poliri legis instructione debuerit. Idcirco Deus per Moysem legem dedit hominibus: *Quando recentioris*, verba sunt Pelagii, *adhuc naturae usus viguit, nec humanae rationi veluti quamdam caliginem longus usus peccandi obduxit, sine lege dimissa est natura, ad quam Dominus, nimiis jam vitiis obrutam et quadam ignorantiae rubigine infectam, limam legis admovit, ut hujus frequenti admonitione expoliretur, et ad suum posset redire fulgorem*. Ast magis magisque humana crescente corruptione, nullumque peccandi finem faciente, lex ad justificandum non erat amplius sufficiens, proindeque tanquam medicus Christus venit in mundum, ut homines adventus sui medicina sanaret. Porro hic fuit tertius humani generis status. *Sed posteaquam nimia peccandi consuetudo praevaluit, cui sanandae lex parum valet, Christus advenit, et jam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per ipsum medicus ipse subvenit*. Ita Pelagius apud Augustinum lib. de grat. Christi cap. 26. Nec proinde credendum est agnovisse tandem in hoc tertio humani generis statu veram Christi gratiam. Nam Christus, juxta haeretici hujus deliramenta, triplicis generis gratiam morte sua attulit mundo, quarum nulla voluntatem movet, et excitat ad bonum agendum; nempe *remissionem peccatorum*, *doctrinam evangelicam*, *et virtutis exemplum*, ut observat S. P. Augustinus in lib. de nat. et grat. cap. 18.

Et quod Pelagius fassus reapse sit, Christum humano generi remissionem promeruisse peccatorum, etiamsi inficientur id Vega lib. VII. in Trid. conc. Suaresius in prol. V. de grat. cap. 2. et Tournely lib. I. de grat. q. 3., extra tamen dubitationis aleam positum arbitror ex iis, quae S. P. Augustinus lib. de grat. et lib. arb. cap. 13. habet, ubi inquit: *Pelagiani dicunt, gratiam Dei, quae data est per fidem J. C., quae neque lex est, nec natura, ad hoc tantum valere, ut peccata praeterita dimittantur, non ut futura vitentur*; nec non ex Milev. concilio, quod hunc in Pelagianos canonem statuit num. III. *Si quis dixerit, gratiam, qua justificamur, valere ad remissionem peccatorum, quae commissa sunt, non vero ad adjutorium, quo non committantur, anathema sit*. Et ne quis suspicetur agnitam a Pelagianis fuisse remissionem peccatorum per Christum, quatenus meram dicit poenae relaxationem, non quod anima per habitualem gratiam renovetur interius, vetant, quae idem Pelagius habet comm. in cap. 6. ep. ad Rom. super illa verba: *Gratia Dei vita aeterna*.

In quae sic scribit: *Non dixit similiter stipendia justitiae, quia non est antequam remuneretur in nobis. Non enim nostro labore quaesita est, sed Dei munere condonata*. Et in cap. 5. jam dixerat: *Quare multa peccata dimisit abundantia donationis Spiritus S.? Quia multa sunt dona. Ipsa enim justitia donatur per baptisma, non ex merito possidetur*. Hoc idem docuit Julianus apud Augustinum lib. I. op. imp. *Nos igitur in tantum gratiam baptismatis omnibus utilem aetatibus confitemur, ut cunctos, qui illam non necessariam etiam parvulis putant, aeterno feriamus anathemate: sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quae multis opima muneribus, ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus et humanorum statuum diversitatibus una tam remediorum collatione, quam munerum virtute medicatur. Quae cum admovetur, non est mutanda pro causis. Jam enim ipsa dona sua pro accedentium capacitate dispensat*. Hoc est, in adultis remittit peccata; pueris autem nullum, in Pelagianorum sententia, peccatum habentibus confert libertatem, sanctitatem, justitiam, filiationem, fraternitatem Christi, haereditatem, illosque constituit membra Christi, templum et organum Spiritus S.. Hos baptismi effectus describit Julianus Joannis Chrysostomi verbis apud Augustinum lib. I. cont. Jul. cap. 6.

Sed neque in hoc catholice sensere Pelagiani. Nam licet gratiam admiserint habitualem, eam tamen conferri autumabant secundum merita nostra; et valere dumtaxat ad remittenda peccata praeterita, non ad vitanda futura. Et quoad primum, clara sunt, quae Augustinus habet haer. 88. ubi sic loquitur: *Pelagius affirmabat, non a Deo accipere, sed a seipsis homines habere gratiam, qua liberamur ab impietate, et hanc secundum merita nostra dari*. Gratia porro, qua liberamur ab impietate, remissio est peccatorum. Alterum vero patet ex can. III. conc. Milevitani, a quo Pelagius damnatus est, *quoniam asseruit gratiam, qua justificamur, valere ad remissionem peccatorum, quae commissa sunt, non vero ad adjutorium, quo non committantur*. Hinc Augustinus in lib. de grat. Chr. cap. 30. jure dicebat: *Istam quippe gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, in Pelagii et Caelestii scriptis, quaecumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri*.

Opponit tamen contra nostram hanc sententiam Suaresius. 1. Pelagiani solam naturam ad actus supernaturales sufficere putabant; unde non admiserunt gratiam habitualem, quae propter supernaturales actus datur. 2. Affirmavit Pelagius hominem nunc in eo nasci statu, in quo erat Adam ante peccatum. Adam juxta haeretici sententiam gratiam non habuit habitualem. 3. Augustinus ep. XCV. testatur remissionem peccatorum secundum Pelagium in aeternae poenae consistere relaxatione; negavit enim fieri per internam Spiritus S. subministrationem: *Sive gratiam dixerit liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis praeceptum, nihil eorum dicit, quod per subministrationem Spiritus S. pertinet ad concupiscentias tentationesque vincendas*. 4. Idem S. P. in lib.

de grat. Chr. cap. 2. tradit, Pelagium putasse homines *in peccatorum remissione adjuvari non aliqua subministratione virtutis , sed viribus propriae voluntatis*. Ergo etc.

Resp. ad 1. Etsi Pelagiani habitualem gratiam dare homini vires ad supernaturales actus negarent, volebant tamen conferre animae decorem, et ornatum; quod verbis exprimere solebant Joan. Chrys. ut supra observavimus. Asserebant quoque gratiam habitualem hominis animam renovare, ut ex hisce Juliani verbis apud Augustinum lib. III. contra Julianum cap. 3. apparet: *Quos fecerat condendo bonos, fecit innovando adoptandoque meliores*. Atque id cohaerenter ad doctrinam Pelagii, qui apud eumdem Augustinum lib. IV. ad Bonifacium cap. 2. ajebat, ab Apostolo dici baptisma *lavacrum renovationis Spiritus S., quia nos Spiritus S. per baptismum renovavit*. Dicebant similiter unum ex baptismi effectibus esse naturam instaurare. *Vide*, inquit Pelagius ad Demetriadem scribens, *quid Christiani facere possunt, quorum in melius per Christum instaurata natura est*. Quamvis ergo non admitterent Pelagiani habitualem gratiam, quae homini vires ad supernaturales actus conferat, ut catholici credunt, admittebant tamen illam ex aliis capitibus.

Ad 2. Ratio cur affirmabat Pelagius hominem nunc in eo statu nasci, in quo conditus fuerat Adam, in eo praecise consistit, ut peccati originalis negaret transfusionem, ac liberi arbitrii integritatem propugnaret. Ceterum non negabat homines ad imitationem Adae peccasse, proindeque ad vitam promerendam aeternam indiguisse peccatorum remissione et aliis animae ornamentis per habitualem gratiam conferri solitis.

Ad 3. et 4. solutio patet ex ipsis Augustini verbis in argumento relatis. Exigebat a Pelagio S. P. Augustinus, ut internam Spiritus S. admitteret subministrationem, quae voluntatem ad bonum agendum moveret. Haereticus ut catholicis imponeret, multa confitebatur genera gratiarum, ut in superioribus diximus, sed nihil eorum dicebat, quod *per subministrationem Spiritus S. pertinet ad concupiscentias tentationesque vincendas*, quoniam putabat bonum agere homines *viribus propriae voluntatis adjutos*. Admisit itaque Pelagius gratiam habitualem, sed non in sensu recto. Cum vero Ecclesia in suis orationibus assidue a Deo postulet praeter remissionem peccatorum aliud quoque gratiae genus ad vitanda peccata tentationesque vincendas, ne praxi Ecclesiae aperte repugnarent, aliam Pelagiani adacti sunt admittere gratiam, quam ajebant esse *doctrinam evangelicam, ac virtutis exemplum*. *Solent nobis dicere*, inquit S. P. lib. de grat. Chr. cap. 11. *in eo Christum ad non peccandum praebuisse adjutorium, quia juste ipse vivendo, et juste docendo reliquit exemplum*. Et ipse haeresiarca comm. in cap. 6. ep. ad Rom. *Qui participes sunt*, inquit, *gratiae Christi, didicerunt, quemadmodum oportet vincere passiones, et Deum diligere et proximum*. Quod inferius explicans addit: *In doctrina et exemplo Christi, qui non solum peccata, sed etiam occasiones auferri docuit peccatorum*. Hactenus multa gratiarum genera admisit Pelagius; sed in his omnibus nunquam fassus est ad bonum agendum veram Christi Servatoris gratiam. Videndum modo, quid de eadem gratia senserit deinceps.

CAPUT VI.

An ante Zosimi Papae decretum aliquam internam voluntatis gratiam admiserint Pelagiani, et quid post condemnationem de gratia senserint.

Joannes Laurentius Berti, nunquam sine honore laudandus, lib. XIV. de theol. disciplinis cap. 5. arbitratur, Pelagium in altero sui erroris statu, praeter legem atque doctrinam, et gratiam admisisse, quae dilectionem inspirat, quamvis ad facilius, non ad simpliciter operandum. Norisius autem lib. I. hist. Pel. cap. 15. demonstrat, nunquam eo pervenisse Pelagium, ut internam voluntatis gratiam fateretur. Puto distinguenda esse tempora, quae praecesserunt, ab iis, quae subsecuta sunt Zosimi Papae decretum adversus Pelagianos. Ego quidem pro certo ratoque habeo, neque Pelagium, neque discipulos ejus, antequam a Zosimo proscriberentur, fassos unquam fuisse veram Christi gratiam, quae dilectionem inspirat, neque ad simpliciter, neque ad facilius operandum. Nam ut silentio praeteream, quae duo concilia Carthaginense ac Milevitanum, et Innocentius I. adversus Pelagianos gesserunt, ea dumtaxat de caussa, quod omnem gratiam in natura, lege, atque doctrina constituerent, ut in antecedentibus demonstratum est, S. P. Augustinus, cui occultiora pelagiana dogmata manifestissima erant, post Innocentii mortem ita ad Paulinum, ut contra Pelagianorum fallacias illum praemuniret, scripsit: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest reparare, quod perdidit?* Hactenus ergo Pelagiani neque necessitatem gratiae Conditoris admittebant. Idem S. Doctor in lib. de grat. Chr., quem post damnatos a Zosimo Pelagianos edidit, cap. 25. fuse demonstrat, non propter intellectum solummodo, sed etiam propter voluntatem et operationem bonam, Dei gratiam esse commendandam. Tum cap. seq. subdit: *Istam Dei gratiam in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius manifeste fateatur, seque tamdiu contra sensisse non operiat, sed aperiat.* Et cap. 34. inquit: *Nec alicubi potui reperire, hanc eum gratiam confiteri, qua non solum possibilitas naturalis voluntatis et actionis, quam dicit nos habere, etiamsi nec volumus, nec agimus bonum, sed ipsa etiam voluntas et actio subministratione S. Spiritus adjuvatur.* Et cap. ejusdem lib. 30. jam scripserat: *Istam quippe gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris etc., in Pelagii ac Caelestii scriptis, quaecumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Quibus in locis non modo Augustinus loquitur de gratia, quae justificat *formaliter*, quaeque gratia est habitualis, sed etiam de gratia, quae justificat *dispositive*, scilicet de gratia actuali; atque Spiritus S. charitatem opponit legi, et doctrinae. In lib. I. denique cont. duas ep. Pelagii, quem sub Bonifacio concinnavit, cap. 19. ita Pelagia-

nos alloquitur: *Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum opus bonum voluntate, nihil eam credatis operari*. Nescio, num clariora his desiderari possint ad demonstrandum, Pelagianos ante illorum sub Zosimo condemnationem veram Christi gratiam, quae per dilectionem operatur, nunquam admisisse, neque ad facilius operandum.

Verum cl. Berti S. P. Augustini in contrarium affert verba quae habentur cap. 26. lib. de gr. Chr. *Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur etc., sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste, qui cum dicit, propterea dari gratiam, ut quod a Deo praecipitur, facilius impleatur, quid de illa sentiat, satis ostendit, scilicet, quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen, quod divinitus praecipitur, potest*. In eo ergo erravit Pelagius, quod gratiam dilectionis admitteret ad facilius dumtaxat operandum. II. Hinc idem Doctor cap. 29. ait: *Tolle facilius, et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus*. III. Intercedunt alii viri docti, et celebrem afferunt Pelagii locum ab Augustino ex illius libris de lib. arb. et de grat. Chr. cap. 10. desumptum; qui locus ita se habet: *Operatur in nobis Deus velle, quod bonum est, velle, quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, et mutorum more animalium tantummodo praesentia diligentes, futurae gloriae magnitudine et praemiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiae in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est*. Quid est, stupentem succendere et suscitare voluntatem, nobisque suadere omne quod bonum est, nisi gratia voluntatis et dilectionis? Hanc igitur aliquando admisit Pelagius.

Resp. ad 1. S. P. Augustinus in lib. de grat. Chr. tres aggreditur eliminare Pelagianorum errores: primum, quo Pelagius negavit adjutorium voluntatis, cujus necessitatem ad bonum agendum S. P. demonstrat per integrum librum; alterum, quem refellit ibidem Augustinus, gratiam nempe dari secundum merita nostra; tertium denique, quo haereticus dogmatizabat, nobis firmum ad non peccandum habentibus liberum arbitrium gratiam subministrari, ut adversariis facilius resistamus. Vult ergo eo in libro S. Doctor, ut Pelagius, si de gratia recte sentire desiderat, tres illos condemnet errores. Ita enim eodem, quod objectum est, capite inquit: *Istam Dei gratiam* (nempe voluntatis de qua in praecedentibus disseruerat) *in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius manifeste fateatur*. Et paullo post: *Et si consenserit nos gratia Dei accipere charitatem, non sic sentiat, tanquam ulla merita nostra bona praecesserint*. Et infra: *Gratiam Dei, qua charitas etc. sic confiteatur ... ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste, qui cum dicit propterea dari gratiam, ut quod a Deo praecipitur, facilius impleatur, quid de illa sentiat, satis ostendit, scilicet etc.* Verborum ergo Augustini sensus est: Pelagius, qui gratiam ad-

mittit legis et doctrinae, fateatur etiam gratiam voluntatis. Quod si in hoc consenserit, fateatur simul hanc gratiam non secundum merita nostra dari. Et hoc admisso, fateatur denique eamdem gratiam, non ad facilius, sed ad simpliciter operandum hominibus dari. Capitibus deinde seq. 27. 28. 29. demonstrat, non aliam Pelagium admisisse gratiam, quam illam, qua homo adjutus facilius potest bene operari. Idcirco cap. 30. inquit: *Emendet haec omnia Pelagius*, illos nempe recensitos errores.

Ad 2. Jure meritoque S. Doctor ait: *Tolle facilius, et sanus erit sensus*; quoniam in sensu catholico fatendum est, *ut quod homines per liberum facere jubentur arbitrium, possint implere per gratiam*. Sed de qua loquitur gratia? Non legis et doctrinae, quam Pelagius admittebat; sed de gratia voluntatis, quam ipse inficiabatur, quamque agnoscendam esse Augustinus praecedentibus capitibus demonstraverat.

Ad 3. De doctrina in quatuor Pelagii libris de lib. arb. contexta, unde allata verba deprompta sunt, ita loquitur S. P. Augustinus lib. de grat. Chr. cap. 41. *Sed in his etiam quatuor libris quaecumque pro gratia videtur dicere, qua juvamur, ut declinemus a malo bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo a verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium gratiae credant, qua naturae possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrina*. Et de gratia legis et doctrinae laudata verba exponit S. P. eodem cap. 10. Nam e vestigio subdit: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem et doctrinam? In lege namque et doctrina sanctarum Scripturarum futurae gloriae atque praemiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur; ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne, quod bonum est*. Haec omnia scilicet se tenent ex parte intellectus, et quandoque per externam hominis docentis fiunt operationem. *Sed nos eam gratiam*, prosequitur Augustinus ibidem, *volumus iste aliquando fateatur, qua futurae gloriae magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur et speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam amatur; nec suadetur solum omne, quod bonum est, verum etiam persuadetur*.

Hactenus Pelagiani de seipsis ita superbe senserunt, ut quamvis varia ad Christi gratiam exprimendam nomina adhiberent, *tamen omnia ad fidelem piamque vitam pertinentia tribuerunt libero voluntatis arbitrio;* ait Augustinus in ep. ad Vitalem. Deinceps vero, post editum nimirum adversus illos damnationis decretum, alium induerunt vultum, non quidem Pelagius et Caelestius, (hi namque a legis et doctrinae confessione nunquam recesserunt) sed pessimi horum discipuli, Julianus nempe Eclanensis Episcopus aliique illius socii, qui catholicorum pressi clamoribus, fassi tandem sunt, ad perfectionem assequendam justitiae veram internamque gratiam esse necessariam. Sed in hoc recedere ab errore noluerunt, quod eam necessitatem statuerint, non ad simpliciter, sed ad facilius dumtaxat obtinendam perfectionem. Immo antiquae rursus mordicus adhaerentes blasphemiae propugnabant, interiorem Dei gratiam nobis secundum merita

nostra dari. Quae impia sententia quartus est pelagiani erroris status, et semi-christianismus potest appellari; quum primas libero tribuerent voluntatis arbitrio, ut optime observat Augustinus in lib. II. ad Bonif. cap. 5.

Ad hunc autem statum pelagianam haeresim pervenisse, duce Juliano, breviter demonstro variis magni Augustini locis. I. Serm. CLVI. de verb. Ap. cap. 12 Pelagianos, quod tandem talem confessi fuerint gratiam, sic laudat simul et corrigit: *Non sicut quidam dicere coeperunt, qui coarctati sunt aliquando gratiam confiteri: et benedicimus Deum, quia vel hoc aliquando dixerunt. Accedendo enim proficere potuerunt, et ad id, quod vere rectum est, pervenire.* Per haec sane verba non ait Augustinus, quod Pelagiani gratiam aliquando fassi sint legis atque doctrinae; non enim benedixisset Deum, quod gratiam denique admiserint, cum legem et doctrinam vel ab initio commendaverint, ut supra docuimus. Admiserunt itaque aliquando veri nominis gratiam. Sed non recto atque catholico sensu. Nam eam gratiam admittebant ad facilius dumtaxat, non ad simpliciter agendum necessariam. Unde citato capite prosequitur S. Pater: *Jam ergo dicunt, adjutricem esse gratiam Dei ad facilius facienda ... Velo facilius, remo difficilius: tamen et remo itur. Jumento facilius, pedibus difficilius: sed tamen et pedibus pervenitur. Non est sic etc.* II. Idem S. Doctor Ser. XXX. de verb. ps. 118 et Ap. cap. 8. de divinae gratiae natura, quatenus in dilectionis suavitate consistit, fuse disputans, haec inter cetera habet: *Regit te sub jugo tuo, et sub sarcina tua. Ut enim sarcina ejus sit tibi levis, et jugum ejus suave, ille tibi amorem inspiravit. Amanti suave est. Dominus dedit suavitatem.* Nonne hic habetur catholica et sana gratiae confessio? Videamus nunc quomodo in ea consentiant Pelagiani. *An forte*, sequitur ibidem S. D., *quia vel venisti audiens, venite ad me, hoc ipsum tibi arrogare contendis, quia venisti? Ecce, inquis, veni ad illum arbitrio meo, voluntate mea. Quia veni, reficit me; quia veni, jugum suum imponit mihi suave; quia dat amorem, sarcinam suam levem imponit mihi amanti, et diligenti. Haec omnia fecit in me, sed quia veni ad eum.* Duo hisce in verbis affirmant Pelagiani: primum, dari ad bonum agendum hominibus gratiam, quod illis in verbis exprimitur: *Deus reficit me: Deus jugum suum imponit mihi suave*; et quidem gratiam, quae in charitate, et dilectione consistit: *Jugum suum imponit mihi suave, quia dat amorem*: secundum, eam gratiam secundum merita nostra dari. *Ecce, inquis, veni ad illum arbitrio meo, voluntate mea. Quia veni, reficit me etc.* III. In lib. de grat. et lib. arb. cap. 14. ita S. P. Augustinus scribit: *Sed cum fuerint convicti, non defensores, sed inflatores et praecipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinae legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quae per J. C. D. N. datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur. Cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim: Etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, tamen secundum merita*

bonae voluntatis datur: quia bona voluntas praecedit orantis, quam praecessit voluntas credentis, ut secundum haec merita gratia sequatur exaudientis Dei. Ecce Pelagianos veram Christi gratiam confitentes. Nam disputando depulsi fuerunt a gratia naturae, legis et doctrinae, ac remissionis peccatorum, eamque admisere gratiam, quae *facit ut lex adimpleatur, ut natura liberetur, ut peccatum non dominetur*. Attamen in ea confitenda gratia errarunt turpissime, affirmantes dari secundum merita nostra, quatenus fidei ac bonae voluntatis initium a nobis, reliquum a Deo sit. IV. Julianus in lib. de amore apud Bedam lib. I. in Cant. cap. 2. haec habet: *Ad eam magnitudinem atque pulchritudinem sapientis animus studiis procedit ac meritis, ut generosum ejus ignem (hoc est amorem) gratia S. Spiritus incipiat ventilare. Tunc fit illa caritas, quae non propinquos solum aut cives, sed ipsum genus humanum gremio suo conatur amplecti*. Quae verba ita Beda interpretatur, ut Spiritus Sanctus juxta mentem Juliani adjuvet voluntatem, non quomodo fax, cum accenditur, caliginosam adjuvat domum, sed potius *quomodo ardentem sive lucentem ventus juvat ignem, ut amplius clarescat; qui quidem et sine flatu venti accendi atque ardere, ac magnam consumere silvam poterat, sed tamen vento impellente magis magisque flammescit*. Tria itaque in allato mox testimonio Julianus affirmat: primum, dari Spiritus sancti gratiam, quae in caritate consistit; *generosum enim animi ignem, hoc est, amorem, gratia Spiritus S. incipit ventilare*; *et tum fit illa caritas etc.*: secundum, praeveniri tamen sanctam ejusmodi dilectionem ab humanis meritis; cum ad magnitudinem et pulchritudinem illius sapientis animus studiis procedat ac meritis: tertium, gratiam Spiritus sancti dari ad facilius dumtaxat juvandum animum, quemadmodum *ventus juvat ignem, ut amplius clarescat*. In quarto itaque erroris statu, post damnationis videlicet decretum a Zosimo Papa promulgatum, Pelagiani fateri non detrectarunt gratiam, quae in motione voluntatis per caritatem et dilectionem consistit, ut hactenus vidimus. Sed quoniam non absolute, sed hypothetice gratiam illam adstruebant, hoc est, volebant, ut diximus, ad facilius non ad simpliciter operandum a Deo conferri; hinc etiam post eorum damnationem in asserenda gratia legis et doctrinae, per quam natura, seu liberum adjuvetur arbitrium, constanter semperque perstiterunt. Atque haec ratio est, cur Augustinus etiam in scriptis contra Julianum totus est, ut gratiam legis et doctrinae ad bonum agendum non sufficere, toto conatu demonstret. Sed de Pelagii, Pelagianorumque mente pro instituti nostri ratione satis multa diximus. Tempus est igitur, ut ad historiae filum animum iterum convertamus.

CAPUT VII.

De ortu et progressu Semipelagianismi.

Semipelagiani primitus orti sunt in Africa, in Byzacena nimirum pro-

vincia. Res autem ita se habuit. *In Byzacio urbs est maritima, Adrumetum dicta, magna olim et populosa, et ob id metropoleos nomen et dignitatem sortita*, inquit Procopius libro 6. de aedific. Justiniani. Celebre erat in ea urbe coenobium, cujus praefecturam circa an. 424 Valentinus gerebat. Florus ejusdem coenobii monachus suos invisendi caussa Uzalam, quae Uticae colonia est, et cujus urbis Episcopus erat Evodius, profectus, a Felice monacho celebrem S. Augustini epistolam CV. ad Sixtum accepit, illamque Adrumetum ad concellitas suos misit. Hi avide illam legentes, nec altissima intelligentes gratiae ac praedestinationis mysteria in diversas distracti sunt sententias, autumantibus aliis liberum interimi in Augustiniano systemate arbitrium, et ineluctabile fatum induci; aliis autem id aperte negantibus, quamvis utrique rectam auctoris non intelligerent mentem. Ignorabat interim Valentinus abbas suorum dissidia, donec a Floro Carthagine Adrumetum reverso, qui contentionum auctor publicabatur, de omnibus certior factus, ut gliscenti malo obviam iret, Augustinianae interpretationem epistolae petendam esse censebat ab Evodio Episcopo Uzalensi, Augustini discipulo, ac viro celeberrimo: moleste enim ferebat, ut ea dissidia innotescerent Augustino. Sed Felix et Cresconius e contra ad Augustinum confugiendum esse existimabant. Quare obtento a Valentino viatico Hipponem perrexerunt, ubi per plures dies detenti, quo ad suos instructiores reverterentur, (erant enim harum rerum satis ignari) post paschalia festa Adrumetum repetierunt, secum afferentes librum de grat. et lib. arb., hac occasione ab Augustino elaboratum, nec non epist. ad Valentinum abbatem, epistolas conciliorum Carthaginensis atque Milevitani, quinque Episcoporum ad Innocentium Papam, et hujus ad omnes Africae Episcopos rescripta; item Africanae synodi epistolas ad Zosimum, hujus litteras ad totius orbis Episcopos, ac canones demum plenarii concilii Carthagine celebrati an. 418. Quid liber de grat. et lib. arbitrio contineat, explicat Augustinus ipse in lib. II. retractationum cap. 66. Ubi Adrumetini monachi librum hunc et alia pro gratia Dei monumenta illuc a Felice et Cresconio allata legerunt, prioribus sedatis dissidiis, nova excitarunt. Etenim ex quo legissent omnia bona opera esse dona Dei, quidam dicere coeperunt, *neminem esse corripiendum, quod Dei praecepta non faciat, sed pro eo ut faciat tantummodo orandum*. Ne malum ultra progrederetur, Valentinus epistolam per Florum ad Augustinum misit, ab eo flagitans novae hujus difficultatis solutionem. Morem gerens S. P. Valentino librum conscripsit de corrept. et grat., in quo exposita catholica de lege, doctrina, et gratia fide, ostendit quam juste mali corripi debeant, et puniri, quamvis donum Dei gratuitum sit velle, operari, et usque in finem perseverare. Demonstrat praeterea praedestinationem ad gloriam esse gratuitam, atque adeo numerum electorum certum esse et determinatum. Docet etiam ibi diversam fuisse gratiam, qua Adam ante peccatum ad perseverandum indigebat, ab ea, quae necessaria est in statu naturae corruptae. Librum hunc S. Prosper appellat *plenum divinae auctoritatis*. Unde nil mirum, si libri illius lectione ad bonam revocati sunt frugem. Ex dictis apparet praecipuum il-

lorum monachorum errorem fuisse gratiam dari secundum merita nostra, quod fuit capitale Semipelagianorum dogma.

Sed liber idem, qui Adrumetinos monachos in pace composuit, in Gallias allatus an. 428. vel seq. multos Augustini nomini peperit hostes. Fuerunt hi Massilienses quidam presbyteri, et monachi Lerinenses, qui pravam de gratia ac praedestinatione doctrinam biberant ex lectione collat. Joannis Cassiani. Quis ergo Cassianus fuerit, et quaenam ejus scripta nunc est breviter dicendum. Joannes Cassianus juxta nonnullos, quibus suffragari videtur Gennadius de script. ill. cap. 6., natione Scitha, juxta alios autem in Galliis apud Provinciam ortus, circa an. 398. a Joanne Chrysostomo Constantinopolitanae Ecclesiae diaconus ordinatus fuit. Antequam illam consequeretur dignitatem monasticam in Ægypto vitam sub Abrahamo una cum Germano individuo ejus socio egerat. Eudoxiae augustae furore in exilium cum Joanne Chrysostomo pulsus, postquam pro antistite suo Romam ad Inn. I. legatus venit, monasticae vitae desiderio flagrans Massiliam se recepit, ubi, ingenti constructo monasterio, multorum monachorum pater evasit. Cum vero Massiliense coenobium in ore famae esse coepisset, Castor per litteras a Cassiano petiit, ut aliquid de Ægyptiorum monachorum, cum quibus vixerat, institutis ad se transmitteret. Demandatum opus in se Cassianus suscepit, ac duodecim libros veluti commentarios composuit de institutis monachorum, in quorum XII. cap. 14. aperte tradit initium boni operis esse ex nobis, perfectionem vero ex gratia Dei. Et cap. 15. duris admodum phrasibus reprehendere videtur Augustinum pro catholica fide contra Pelagianos laborantem. Quo anno fuerit opus hoc a Cassiano scriptum, non constat. Circa an. 420. in lucem edidit Cassianus et aliud opus decem continens Patrum collationes, quas nuncupare eidem Castori decreverat; sed hoc vita functo, illas Leontio Episcopo et Helladio monacho dedicavit. In his minus male de Dei gratia, quam in libris de institutis monachorum loquitur. Florebant ea aetate in insula Lerina monachi Lerinenses nuncupati, quos inter eminebat Honoratus monasterii illius conditor, Eucherius, Maximus, Hilarius, Faustus, et alii, qui cum Cassiani collationum lectione plurimum delectarentur ad fovendam pietatem et mentem excolendam novas ab auctore flagitarunt collationes, et alias septem ab eo obtinuerunt; in quibus Cassianus animosior factus non haesitanter ut in prioribus decem collationibus fecerat, sed aperte liberi arbitrii vires contra Dei gratiam extollit, ut demonstrabimus.

His ergo falsis imbuti principiis Cassianus et Lerinenses monachi, circa annum 428., aut seq. quum ad manus eorum liber pervenisset de grat. et lib. arb. ab Augustino ad Adrumetinorum componenda dissidia elucubratus, gratuitam tum ad gratiam, tum ad gloriam electionem eo in volumine traditam impugnare coeperunt, parum honorifice ejusdem S. Doctoris nomen traducendo, ac si a veterum recessisset sententia. Quum paullo post liber de corrept. et grat. pro Adrumetinis monachis erudiendis nuperrime compositus delatus fuisset, Semipelagiani majores excitavere tumultus, blaterantes, gratuitam praedestinationem *et lapsis curam resurgendi adime-*

re, et sanctis occasionem afferre teporis : sub hoc praedestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem, aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo alius possit esse, quam factus est. Postremo, quidquid etiam in libris contra Julianum ab ipso sub hac quaestione objectum solutum ab Augustino erat, hoc totum ab illis intentiosissime conclamabatur, ut narrat Prosper in ep. ad Augustinum. Multos habuere in Galliis sectatores nascentes Semipelagiani; sed non defuerunt quamplurimi, qui Augustini, divinaeque gratiae jura pro aris et focis defenderent. Quos inter proculdubio eminebat Prosper Aquitanus, cui Hilarius Augustini quondam in Africa discipulus se adjunxit, amboque per litteras certiorem de omnibus illum fecerunt. Sanctissimus itaque gratiae propugnator et vindex, his auditis, duo exaravit volumina; primum de praedestinatione Sanctorum, alterum vero de dono perseverantiae, sanctis viris Prospero et Hilario inscripta; in quorum priore demonstrat, non satis a Pelagio recedere, qui gratiae initia a libero repetunt arbitrio: praedestinationem ponere, non supponere humana merita: Deum injustum non fore etiam si neminem praedestinasset; quum in omnibus sit originale peccatum: ac tandem nihil se contra Pelagianos docuisse quod traditum antea non fuerit a beatis Cypriano et Ambrosio. In libro autem de dono perseverantiae tradit, perseverantiam in bono esse donum Dei: aliquibus a Deo ex misericordia dari, aliis vero negari ex justitia: cur unus salvetur, alter pereat, inscrutabilia esse Dei judicia, ut videre est in parvulis: et usque in finem perseverantiam solis conferri praedestinatis. Etiam Prosper, vivente adhuc Augustino, Semipelagianorum errores eruditissima epistola ad virum amicissimum Rufinum, quem Vasquez inscite nimis appellat Aquilejensem jamdiu vita functum, confutavit.

Haec tamen aurea Augustini et Prosperi scripta, quae tantam subinde in Ecclesia obtinuerunt auctoritatem, ad Semipelagianorum reprimendam insolentiam non valuerunt; immo illorum in Augustinum dicteria in dies augebantur. Hinc Prosper et Hilarius, tum de S. Doctoris, tum maxime de Ecclesiae auctoritate solliciti, an. 432. iter Romam ad S. Caelestinum Papam arripuerunt, qui aegre ferens, ab invidis Gallis creari invidiam, cineresque ventilari Hipponensis Episcopi sui quondam amicissimi, litteras ad Episcopos Galliae dedit, eos reprehendens, quod tantam non coerceant licentiam in nescio quibus presbyteris; tum Semipelagianos ipsos acriter increpans, audaces ac temerarios appellat; ac denique totus in Augustini laudes effusus inquit: *Augustinum s. recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus; nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper praedecessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit, et honori. Unde resistendum talibus, quos male crescere videmus.* Huic Caelestini epistolae decem adtexta sunt capitula, quae illius S. Pontificis non esse observarunt doctissimi viri Vossius, Norisius, Natalis Alexander, aliique. Interea mo-

ritur hoc anno Caelestinus, eique successit Sixtus III. Nescio an sancti illius Pontificis mors, an potius Semipelagianorum audacia in caussa fuerit, cur Massilienses gravissimae illi epistolae non acquieverint. Hoc unum scimus, illos Caelestini illusisse auctoritati, affirmantes, S. Pontificem approbasse quidem omnia priora Augustini scripta contra Pelagianos, non vero libros de grat. et lib. arb., de corrept. et grat., de praedest. SS. et de dono persev. Aliunde vero Cassiani, ejusque collationum fama in dies augebatur. Quare S. Prosper e re judicavit calamum contra collationes illas acuere, easque refutare, uti egregie fecit eximio volumine, quod inscripsit, *Contra Collatorem*, an. juxta Norisium 433. Eodem tempore cum absurdas quindecim propositiones nonnulli sub S. Augustini nomine promulgaverint, Aquitanus noster librum edidit, sub hoc titulo, *Responsiones ad capitula Gallorum*. Item alio elucubrato volumine inscripto, *Ad excerpta Genuensium Responsiones*, nonnullas solvit difficultates, quas Camillus et Theodorus presbyteri Genuenses ei proposuerant, quasque illis lectio libri de praed. SS. pepererat. Post an. 433. ex hac vita cessit Cassianus cum fama sanctitatis. Quo vero praecise anno obierit ignoratur.

Alter Semipelagianorum coriphaeus post Cassianum fuit Faustus, qui anno eodem abbas renunciatus est monachorum Lerinensium post Maximum, cui etiam in episcopatu deinceps successit. Fuit is natione Britannus, juventamque suam optimis disciplinis, ac philosophiae praesertim dicavit. Lerinensium patrum fama permotus, in ea insula monachum induit. Cumque summa scientia, omniumque virtutum nitore fulgeret, monasterii praefecturam adeptus est, quam per viginti et amplius annos retinuit; ac proinde an. 453. in Maximi locum suffectus est in cathedra Rejensi. Tanta fuit in Galliis Episcopi hujus doctrinae ac sanctitatis fama, ut illustriores illarum praesules provinciarum ad Faustum tanquam ad oraculum confugerent. Hinc cum nonnulli per summam invidiam sparsissent, Augustini sectatores in gratuita praedestinatione tum ad fidem tum ad gloriam defendenda in oppositos errores incidisse, eaque de caussa a S. Leontio Arelate concilium indictum fuerit, eo absoluto, communi PP. consensu Fausto Rejensi injunctum fuit, ut quae fuerant in synodo definita fuse pertractaret. Paullo post alterum habitum est Lugduni concilium ad alios recidendos circa divinam gratiam errores; et ab hujus concilii quoque Episcopis Fausto cura falsa illa dogmata refutandi demandata fuit. Hac occasione itaque Rejorum antistes, Cassiani suorumque Lerinensium insistens vestigiis, ut animo erat in Augustini sententiam averso, duos edidit libros *de grat. et lib. arb.* in quibus gratuitam praedestinationem impugnat, Massiliensium objectiones jam ab Augustino contritas rursus instaurat; renovatque in S. Patrem calumnias, quas Prosper jamdiu propulsaverat. Scripsit praeterea Faustus, teste Gennadio, libellum adversus Arianos, et Macedonianos, ubi aperte tradit, nullam creaturam esse incorpoream; refutatus proinde tribus libris a Claudiano Viennensi, Fausti tamen nomine non expresso, et ab Avito Episcopo item Viennensi in ep. ad regem Burgundiorum. Ab Evarico Ariano in Galliis tunc regnante pulsus fuit in exilium, restitu-

tusque Rejis eo ipso anno, quo episcopatum Lemovicensem indeptus est Ruricius, Fausti amicissimus. Mortuus est decrepita aetate, sed antequam libri ejus de grat. et lib. arb. a Gelasio damnarentur. Refutati deinceps fuerunt octo eruditissimis libris a S. Fulgentio. Sed hi temporum injuria interciderunt.

In eodem Semipelagianorum luto pedes fixit Vincentius quoque Lerinensis monachus, vir apprime eruditus atque sanctitatis fama percelebris. Fuit is S. Lupi Trecensis Episcopi frater, ut testis est Eucherius in ep. ad Hilarium de laude eremi, ubi de Lerina loquens ait: *Haec habuit reverendi nominis Lupum ... Haec habuit germanum ejus Vincentium*. Vixit aliquandiu in monasterio Massiliensi, obiitque in insula Lerinae, ubi ejus adhuc venerantur reliquiae. Duo composuit Vincentius volumina, in quibus Semipelagianum se apertissime prodit; scilicet an. 434., ut Norisius demonstrat, sub nomine *Peregrini* vulgavit *commonitorium*, cujus scopus est demonstrare, quamlibet novitatem esse suspectam; defendenda vero dogmata a veteribus tradita: deinde simul congessit (incertum tamen quo anno) absurdissima quaedam consectaria, veluti a S. Augustino et Prospero asserta, quae idem Prosper opusculo, cui titulus, *Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum*, confutavit.

Ante Vincentium an. nempe 429. Cassiano adversus Augustini systema adhaeserat Hilarius Arelatensis. Et hic Lerinae incola fuit, immo ceteris Lerinensibus monachis eruditione ac sanctitate superior successit in cathedra Arelatensi S. Honorato eodem anno, quo Prosper, et alter Hilarius certiorem Augustinum fecere de iis, quae contra illius de praedest. sententiam eveniebant in Galliis, anno videlicet 429. Hoc eodem anno e vita decessit Eucherius Lugdunensis Episcopus, maximus Hilarii encomiasta. Exstat hujus sancti praesulis T. V. bibl. PP. fragmentum ad Leonem Papam, ex quo colligitur, proposuisse sibi describere carmine librum Geneseos. Suspicatur Norisius poema de providentia inter opera Prosperi esse ejusdem Hilarii; cum Semipelagianismum undique spiret. Improbabile tamen non est, sanctum hunc virum ante mortem errorem suum ejurasse. Sequitur deinde Gennadius Massiliensis, quem Semipelagianum fuisse, nemo unus inficias ire poterit, ut legentibus librum illius de script. illustr. facile apparet. Nam ibi Augustini, Prosperi, aliorumque cum iis sentientium nomina deprimit; Cassiani autem, Faustique opera usque ad sidera extollit. Gennadio tribuitur ab Hadriano Papa in ep. ad Carolum M. liber etiam *de Ecclesiasticis dogmatibus*. Scripsit eruditus hic presbyter Massiliensis circa annum 490. Errores tamen suos cum pertinacia non defendebat. Nam statim ac audivit a Gelasio Rom. Pont. in septuaginta Episcoporum synodo Cassiani Faustique opera fuisse damnata, fidei suae libellum Romam ad summum Pontificem misit. Unde cap. ult. de script. illustr. inquit: *Et opus de fide mea misi ad beatum Gelasium urbis Romae Episcopum*.

Anno igitur 493. Gelasius Rom. Pont. post proscriptos in Dalmatia Pelagianos; post repressam in Piceno Senecae deliri senis, qui pelagiana dogmata renovabat, loquacitatem; decoratis insuper in omnibus suis epistolis

Augustini ac Hieronymi nominibus meritis praeconiis, Romae concilium convocavit septuaginta Episcoporum, in quo Augustini et Prosperi opera commendata sunt, et e catholicorum manibus erepta volumina Cassiani ac Fausti Rejensis. Ita enim decretum habet: *Cetera, quae ab haereticis sive schismaticis scripta sunt vel praedicata, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana Ecclesia. E quibus pauca, quae ad memoriam veniunt, et a catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda*. Tum paullo post addit: *Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apocrypha. Opuscula Fausti Rejensis apocrypha*. Haec tamen, quae Romae gesta sunt, reprimere non valuerunt hominum opinandi libidinem. Nam Fausti libri non tantum in Gallia, sed Constantinopoli quoque invenere patronos. Nam monachi Scythae, de quibus in lib. de Incarnatione fuse pertractavimus, dum turbas in regia urbe pro ea propositione: *Unus de Trinitate passus est*, excitarunt, egerunt quoque de gratia divina, atque Augustini et Prosperi principia sectantes, Pelagium ac Caelestium aperte, non subobscure Fausti Rejensis quoque volumina damnarunt dicentes: *Abominantes etiam eos qui contra vocem Apostoli audent dicere: Nostrum est velle, Dei vero perficere; cum idemmet Doctor et velle et perficere donum testetur esse divinum*. Non pauci monachis Scythis in faciem restiterunt, quorum praecipuus fuit Victor diaconus. Hinc caussa Romam ad Hormisdam delata est, ubi multas subiit vicissitudines, ut in libris de Incarn. diximus. Illud unum hoc in loco repetendum arbitror, monachos nempe illos, quum longas traherent in Urbe moras, libellum fidei suae ad 15. Africanos Episcopos in Sardinia exules misisse, inter quos doctrina eminebat Fulgentius Ruspensis antistes. Octo constabat libellus ille fidei capitibus; in quorum quinque de Incarnatione, in reliquis vero de gratia Dei fides exprimebatur. Quod ad Dei gratiam pertinet, haec inter alia monachi illi scribunt: *Sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium, Caelestium, Julianum Eclanensem, et qui illis similia sapiunt; praecipue libros (* non personam *) Fausti Gallorum Episcopi, qui de monasterio Lerinensi provectus est: quos contra praedestinationis sententiam scriptos esse non dubium est*. Sancti illi Episcopi, edito de Incarnatione et gratia volumine, Fulgentii stilo elucubrato, Scytharum fidem plenis calculis approbarunt. Hinc statim initio inquiunt: *Vestram simul alacres et fidem cognovimus, et salutem; immo in agnitione fidei vestrae nobis salus innotuit*. Quum non adhuc Fausti libros pervolutassent, nulla eos perstrinxere censura: concludunt tamen de praedestinatione gratuita materiam hisce verbis: *Cujus praedestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem praedestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre ... manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, et praedestinavit ad regnum*. Gesta sunt haec an. 520.

Interim Possessor, unus ex Africanis Episcopis a Trasamundo in exilium missis, Constantinopoli morabatur, ubi interrogabatur saepius, quid de

Fausti Rejensis libris sentiret. Is vero, quum exul ac privatae auctoritatis esset, sententiam suam pronuntiare renuens, epistolam ad Hormisdam R. P. dedit, ut quid de Fausti libris sentiendum esset, aperiret: cui hoc Hormisdas dedit responsum: *Hi vero, quos vos de Fausti cujusdam Galli antistitis dictis consuluisse litteris indicastis, id sibi responsum habeant, neque illum, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicae fidei, aut ecclesiasticae disciplinae, ambiguitatem posse gignere, aut religiosis praejudicium comparare*. De S. Augustino autem haec alia praeclara subdit: *De arbitrio tamen libero, et gratia Dei, quid Romana, hoc est, catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, abunde possit cognosci; tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quae si ibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus*. Ubi summi Pontificis epistola ad Possessorem C. P. legi coepit, monachi Scythae, qui malo erant in Hormisdam animo, quod Faustum haereticum aperte non declaraverit, anno 522. ejusdem Fausti libros de gratia et lib. arb. ad Africanos Patres, a quibus librum de Incarn. et grat. Fulgentii digito scriptum, ut diximus, acceperant, communi consilio mittere decreverunt. Africani autem illi Episcopi in Sardinia exulantes, acceptis Fausti libris, atque ad trutinam revocatis, eos primum, tanquam haereticos unanimi consensu damnarunt, tum illorum confutationem Fulgentio ceteris doctiori injunxerunt. Hic autem coepiscopis suis morem gerens decem edidit eruditissima volumina: quorum septem Fausti Rejensis libros de grat. et lib. arb. solidissime refutavit; reliquis autem tribus Semipelagianos in universum insectatus est. Postremi hi tres Fulgentii libri adhuc exstant; priores vero septem malo fato interierunt. Vide Norisium hist. pelag. lib. II. cap. 21. Scripta sunt decem illa volumina a Ruspensi Episcopo an. 523. adhuc in exilio degente. Post reditum autem in Africam a Monimo viro amicissimo circa praedestinationem consultus, librum de praedestinatione juxta Augustini mentem procudit, cui duos alios addidit, quibus varia solvit ab eodem Monimo proposita dubia. Neque in his tantum operibus Pelagianos ac Semipelagianos refutavit, verum in libro quoque de fide ad Petrum diaconum, qui scriptus videtur cum adhuc exul in Sardinia moraretur, eos persecutus est.

Praeter Fulgentium, alium his temporibus nacta est Ecclesiae et Augustini caussa adversus Semipelagianos strenuum defensorem, Caesarium nempe Arelatensem. Hic monasticam professus est vitam in Lerinensi coenobio sub abbate Porchario Fausti Rejensis successore. Cumque sanctitatis doctrinaeque fama celebris evaserit, ad Arelatensem sedem post Eonium evectus est. Initio episcopatus animadvertens, Semipelagianismum non ita vires suas amisisse, quin adversus catholica dogmata posset adhuc insurgere, librum auctoritate ac eruditione plenum composuit *de gratia et libero arbitrio*, ut libro ejusdem tituli Fausti Rejensis illum opponeret. Magno Augustinianae scholae detrimento aureum illud volumen, ab Ennodio Ticinensi primum, tum a Felice IV. Rom. Pont. commendatum et apostolica auctoritate com-

munitum, jamdiu periit. Id tamen satis non fuit, ut Semipelagianorum audacia in Galliis penitus compesceretur. Unde Caesarius litteris ad Felicem IV. datis ab eo obtiuuit multas ex Augustini scriptis tanquam ex ecclesiasticis scriniis selectas sententias, excerptas praesertim ex libro de grat. et lib. arb. Cumque magnus in urbe Arausicana Episcoporum celebraretur illis diebus conventus, quando de rebus ad gratiam et liberum arbitrium spectantibus tractari coepit, S. Caesarius sententias illas a Romana sede paullo ante receptas in medium protulit; et juxta easdem concilii Patres vigintiquinque canones sensibus expressos ac verbis Augustini edidere, quibus Semipelagianismus tandem jugulatus est, totaque de gratia et lib. arb. controversia composita. Habitum est Arausicanum hoc concilium Decio U. C. consule, an. videlicet Christi 529.; sextoque mense, postquam fuerat absolutum, a Bonifacio II. Rom. Pont. fuit confirmatum. Paullo post, quod complures sancto viro Caesario obloquerentur, quasi e veterum sententia in rebus de gratia recessisset, alia habita est Valentiae synodus, cui quum ob adversam valetudinem adesse nequiverit Caesarius, praefuit Tolonensis antistes Cyprianus. Sed hujus synodi acta e manibus hominum exciderunt. Atque ita Semipelagianismus, qui per centum circiter annos Ecclesiam, et Galliam praesertim in partes distraxerat, tandem proscriptus est.

CAPUT VIII.

De erroribus Semipelagianorum.

Tria erant, in quae Semipelagiani peccabant; errabant enim circa praedestinationem, circa initium fidei atque salutis, et circa donum perseverantiae. Quod ad praedestinationem spectat, displicebant illis, quae S. Augustinus de electione ad gloriam secundum propositum disseruerat, quasi ex gratuita praedestinatione fatalis quaedam necessitas inducatur. Ajebant quippe: *Universis hominibus propitiationem, quae est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam; ut quicumque ad fidem et baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quique in ea fide, quae deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sint, praescisse ante mundi constitutionem Deum, et eos praedestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse praeviderit*. Ita in sua ep. ad Augustinum narrat S. Prosper. Ex quo intelligitur, admisisse illos scientiam quamdam conditionatam sive meritorum, sive peccatorum, quae nunquam extitura sint, cujus rationem habeat Deus in electione ad gloriam. Hinc affirmabant, infideles vocari, vel praetermitti secundum eam praescientiam. *Praevisos, ajunt, a Domino credituros, et ad unamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, ut exoritura erat bonarum credulitas voluntatum*, inquit Prosper ibidem: Cum vero exemplo premebantur parvulorum ante rationis usum ex hac vita decedentium, in quibus nullum est, nec unquam erit meritum, cujus intuitu

praedestinantur, respondebant: *Tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam serventur aetatem, scientia divina praeviderit*. Prosper loco citato. Ac ita sentiebant de praedestinatione.

Quid vero de fide ac salutis initio tenerent, verbis exponam Hilarii in ep. ad Augustinum: *Consentiunt omnem hominem in Adam periisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari; sed id conveniens asserunt veritati, vel congruum praedicationi, ut cum prostratis nec unquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendae salutis occasio, eo merito, quo voluerint et crediderint a suo morbo se posse sanari, et ipsius fidei augmentum, et totius sanitatis suae consequantur effectum. Ceterum ad nullum opus vel incipiendum, vel perficiendum quemquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum adnumerandum putant, exterrita et supplici voluntate unumquemque aegrotum velle sanari. Quod enim dicitur, Crede et salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant exhibendam ab eo fidem, cujus naturae id voluntate conditoris concessum est; et nullam ita depravatam vel exstinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari: propter quod vel sanetur quis a sua, vel si noluerit cum sua aegritudine puniatur. Nec negari gratiam, si praecedere dicatur talis voluntas, quae tantum medicum quaerat, non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud, Sicut unicuique partitus est mensuram fidei, et similia, ad id volunt valere, ut adjuvetur qui coeperit velle, non ut etiam donetur ut velit*. Ratio autem cur ita dogmatizabant, praecipua erat, quod inutiles crederent correctiones, exhortationes; et tolli humanam omnem industriam, si bonae voluntatis initium, quod per illas excitatur, non esset in nobis.

Futili eadem ducti ratione dicebant perseverantiam non esse singularem Dei donum: alioquin, ajebant, exhortatio et correctio inutiles forent, si perseverantia, a qua nemo deficere posset, daretur. *Nolunt autem*, scribit Hilarius ad Augustinum, *ita hanc perseverantiam praedicari, ut non suppliciter emereri vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis quantum putant ad obtinendum vel amittendum evidens est qualecumque initium voluntatis*. Et paullo infra: *Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correctio valeat excitare*. Tria haec fuisse dogmata Semipelagianorum nemo inter Theologos est, qui non fateatur.

Ast iidem Theologi inquirunt magna contentione animorum, an Semipelagiani aliquam ad initium fidei admiserint gratiam. Jansenius arbitratur, Cassianum ac Faustum Rejensem omnem gratiam denegasse; posteriores his admisisse. Salmanticenses tum ex Thomistica tum ex Augustiniana schola, nulla inter priores et posteriores Semipelagianos facta distinctione, arbitrantur eos ad fidei initium aliquam salvatoris gratiam, quae a libera hominis penderet voluntate, non denegasse. E contra Medistae omnes autu-

mant nullam penitus agnovisse. Mediam tenuit viam noster Fulgentius Bellelli affirmans Semipelagianos omnes admisisse quidem ad initium fidei gratiam; sed non illam, quam nobis promeruit Christus, verum gratiam conditoris, seu adjutorium, *sine quo*, Adamo in statu naturae innocentis olim collatum. Nos huic sententiae utpote verosimiliori subscribendum putamus.

Semipelagiani itaque aliquam ad initium fidei agnovere gratiam. Nam I. eodem modo loquebantur de initio fidei, ac de dono perseverantiae usque in finem, ut ex Hilario et Prospero patet, nec non ex Augustino scribente in libro de dono perseverantiae cap. 17. *Initium fidei et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent*. Ast ad perseverantiam usque in finem fatebantur necessariam esse aliquam gratiam. Hanc enim necessariam fuisse ajebant ad perseverandum homini innocenti, scribente Hilario ad Augustinum, solitos fuisse dicere, quod primum hominem *integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non posset*. Unde multo minus perseverare sine gratia potest homo infirmus. Id patet etiam ex Augustino, qui in lib. de dono persev. arguens adversus Massilienses male de perseverantia sentientes, postquam Dei donum esse affirmaverat, e vestigio subjungit: *Non est hoc in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet*. Ac si dicat: Perseverantia quam vos in hoc naturae lapsae statu admittitis eadem est ac perseverantia, quam habuit Adam in statu naturae innocentis. Ast Adam in illo statu ex gratia conditoris habuit, ut perseveraret si vellet. Proinde Semipelagiani ad perseverandum in statu naturae lapsae alicujus gratiae necessitatem non denegabant. Et cum eodem modo de perseverantia ac de fidei initio dogmatizarent, sequitur ad initium fidei admisisse gratiam conditoris. II. Semipelagianorum scitum erat, in humana natura per peccatum vitiata aliquam innocentis naturae perfectionem remansisse, ex qua initium proflueret in nobis fidei. Hinc cum Augustinus, Prosper, et Hilarius celebrem adversus illos urgerent Pauli in prima ad Corinth. cap. 4. sententiam: *Quid habes quod non accepisti?*, non respondebant sententiam illam non esse prolatam de fide, quoniam hanc a Deo non habemus; sed ajebant, *de initio fidei non posse dici, Quid habes quod non accepisti?; cum in eadem natura licet vitiata remanserit, quae prius sana, et perfecta donata sit*, inquit Hilarius in saepe laudata epistola. Addebant, *excludi omnem praedicandi vigorem, si nihil, quod per eum excitatur, in hominibus remansisse diceretur*. Et iterum: *Unde consequens putant exhibendam ab eo fidem, cujus naturae id voluntate conditoris concessum est; et nullam ita depravatam vel exstinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari*. Volebant ergo Semipelagiani aliquam post peccatum in homine remansisse perfectionem. Ast ea perfectio non erat juxta illorum sententiam merum voluntatis arbitrium; tum quia nunquam id Augustinus negavit; tum quia Augustini argumentum ex illis verbis, *Quid habes quod non accepisti?* depromptum non solvissent. Quare affirmando aliquid perfectionis ex priore integritate in vitiata remansisse natura, docebant remansisse gratiam conditoris. Et haec est illa gratia, de

qua juxta Prosperum in ep. ad August. Semipelagiani dicebant, omnia eam praevenire humana merita. III. Hilarius in ep. ad Augustinum N. VI. ita scribit: *Deinde moleste ferunt ita dividi gratiam, quae vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset; nunc vero sanctis in regnum per gratiam praedestinatis non tale adjutorium perseverantiae detur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint*. Ex quibus apparet displicuisse Massiliensibus distinctionem illam ab Augustino propugnatam, quod Adamo innocenti collatum ad perseverandum fuerit et ad credendum adjutorium *sine quo*, nobis autem necessarium sit adjutorium *quo*: ita ut si Augustinus hominibus lapsis adjutorium tribuisset *sine quo* olim Adamo collatum, illi non repugnassent. Massilienses itaque hominibus lapsis ad fidem et perseverantiam gratiam non denegabant conditoris, sed gratiam sanantem et efficacissimam, qualem Augustinus admittebat. IV. Sententia nostra etiam extrinsecis demonstratur argumentis. Cassianus et Faustus Rejensis fuere Semipelagiani. De Cassiano, autem et Fausto Rejensi Gennadius, et ipse eadem cum illis fuligine tinctus, scribit ad fidei initium praeter libertatem arbitrii aliquam admisisse interiorem gratiam. Ita namque de Fausto ait lib. de script. illustr. cap. 85. *Edidit opus egregium de gratia Dei qua salvamur: in quo opere docet, gratiam Dei semper et invitare, et adjuvare infirmitatem nostram*. Similia habet de Cassiano. Juxta Gennadium Semipelagiani gratiam, quae nos invitat, non negabant. Quid est gratia, quae hominem invitat, nisi gratia quae datur ad fidei initium? Neque enim intelligi potest Gennadius de gratia quadam extrinseca: vetat namque id, quod dicat gratiam et invitare et juvare infirmitatem nostram, quae certe interior, non exterior est. Arbitror ergo Semipelagianos ad initium fidei et ad finalem perseverantiam internam admisisse gratiam conditoris, qualem habuit Adam ante peccatum.

Verum adversae sententiae patroni numero et auctoritate non pauci hactenus dictis non acquiescunt. Inquiunt autem I. Ab Innocentio X. et Alexandro VII. damnata est haec propositio: *Semipelagiani admittebant gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas obsistere et obtemperare*. Cumque ea proscripta et tanquam haeretica et tanquam falsa fuerit, sequitur inde haereticam esse quoad secundam partem, falsam esse quoad primam. II. Et revera Prosper, Hilarius, et Augustinus de Semipelagianis conqueruntur, quod fidei initium Dei donum esse non crederent nec subministrari per Spiritum S., sed esse ex nostra voluntate et a libero hominis pendere arbitrio. Sic Prosper in ep. ad Augustinum narrat Semipelagianos dicere: *Quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam aeternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint*. Et rursus: *Obedientiam priorem esse, quam gratiam; et initium salutis ex eo*

qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat: et voluntas hominis divinae gratiae sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem. Paria his habet Hilarius. S. autem P. Augustinus in lib. de praed. SS. cap. 3. fatetur se ante episcopatum in eodem Semipelagianorum fuisse errore, et credidisse *fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed in nobis esse ex nobis*. Ex his aliisque hujus generis pluribus luculenter apparet, Semipelagianos nullam revera ad fidei initium Dei gratiam agnovisse.

Nihil tamen haec argumenta facessunt. Nam quoad 1. Tota summorum Pontificum censura non in primam, sed in secundam illius propositionis partem cadit. Non in primam; quoniam pars illa ad meram historiam, non ad fidei dogma pertinet. Non solet autem Ecclesia de rebus ad meram historiam vel philosophiam spectantibus esse sollicita. Respicit igitur censura secundam partem propositionis, quae et tanquam haeretica, et tanquam falsa jure ac merito damnata est. Tanquam haeretica, quia de fide est, talem esse gratiam, cui voluntas et resistere et obtemperare possit: neque enim gratia liberum adimit voluntatis arbitrium. Tanquam falsa, quoniam falsum est, Semipelagianos ideo fuisse haereticos, quod gratiam admitterent, cui possit voluntas obsistere vel obtemperare. Quod vero Romanorum Pontificum censura priorem illius propositionis partem non attingat, ex eo etiam constat, quod post latam eam censuram Theologi doctissimi, quorum nomina capitis initio dedimus, absque ulla haesitatione tradant, Semipelagianos ad initium fidei aliquam admisisse interiorem gratiam.

Ad 2. Facilem haec quoque solutionem habent. Licet enim Semipelagiani admitterent originale peccatum, proindeque humanam naturam corruptam fuisse faterentur, nihilominus non adeo illam primi granditate peccati vitiatam fuisse autumabant, ut nihil virium ad bene agendum retinuerit, non utique sine aliqua gratia, quam ad bonum agendum etiam in Adamo innocente agnoscebant. Arbitrabantur proinde, eamdem gratiam necessariam olim Adamo remansisse in homine peccatore; verum ob naturae corruptionem non sufficere, nisi ad fidei initium, quum ad fidem perfectam, et ad perficiendum opus gratiam admitterent medicinalem atque sanantem, quam in operibus suis urgebat Augustinus. Quare dum inquiunt apud Prosperum, Hilarium, et Augustinum, naturam, liberum arbitrium, voluntatem sibi ad initium fidei sufficere, intellige naturam, libertatem, voluntatem gratia conditoris suffultam, qua praeditus fuit Adam in statu naturae innocentis. His accedit, quod laudati in argumento Patres ideo scripserunt, Semipelagianos asseruisse, initium fidei non esse donum Dei aut munus Spiritus S., quia divinae gratiae Tractatores donum Dei ac Spiritus Sancti appellant opus, quod ex gratia medicinali et determinante, sive ex auxilio *quo* profluit. Opus vero, quod proficiscitur ex gratia versatili conditoris, sive ex adjutorio *sine quo*, appellare solent opus liberi arbitrii. Nam etsi gratia et voluntas ad bonum agendum opus simul concurrant, nihilominus si gratia determinat voluntatem, quoniam priores partes gratiae, non voluntati debentur, opus dicitur Dei, a quo gratia confertur.

E contra ubi gratia versatilis est ac voluntatis pedissequa, quoniam priores partes debentur voluntati, non gratiae, opus illud vocatur liberi arbitrii. Hospes est in Augustini scriptis, qui haec ignorat. Sic in lib. de nat. et gratia cap. 43. *Quis nescit*, inquit, *Adamum sanum et inculpabilem factum, et libero arbitrio atque ad juste vivendum potestate libera constitutum?* Et lib. de corrept. et grat. cap. 10. *Quapropter saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, Deum ... sic ordinasse Angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium*. Et ne in re tam manifesta nimis longus sim, in eodem lib. de corr. et grat. cap. 11. loquens de Angelis bonis inquit: *Cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi*. En Augustinum opera pietatis in statu innocentiae libero adscribentem arbitrio. Numquid proinde ab eo statu necessitatem removet gratiae versatilis, et conditoris? Immo ejusdem libri citato cap. 11. affirmat non fuisse futurum culpabilem Adam, si non adjuvante gratia cecidisset. Eadem utitur phrasi fidissimus Augustini discipulus Prosper. Nam in carm. de ingratis de statu innocentiae verba faciens scribit:

At si nunc etiam illaesus vigor ille maneret
In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas
Conciliare Deo, poenaque absolvere posset.

Semipelagiani ergo juxta Prosperi et S. P. Augustini sententiam fidei adscribebant initium humanae voluntatis arbitrio, non gratia quidem Spiritus Sancti determinante suffulto, sed auxilio versatili, cujus effectus a voluntate ipsa dependet.

CAPUT IX.

Ostendit Cassianum, Faustum Rejensem, Vincentium Lerinensem, Hilarium Arelatensem, atque Gennadium fuisse revera Semipelagianos. Accedit brevis apologia pro Joanne Chrysostomo.

Quamvis historiae series, quam cap. 7. narravimus, satis superque sufficiat ad demonstrandum Cassianum, Faustum Rejensem, Vincentium, Hilarium, atque Gennadium fuisse revera Semipelagianos, nihilominus quum viri eruditione clarissimi non defuerint, qui eos ab omni errore vindicare conati sunt, de eo argumento seorsim pertractare constituimus. Contexam ad capitis hujus calcem, et quidem brevissime, cum plures id ipsum praestiterint, apologiam pro Joanne Chrysostomo, quem Semipelagianismi insimulavit vir doctus Gabriel Vasquez.

Cassianum itaque inani prorsus labore nonnulli a Semipelagianismo excusare conantur. Quod I. demonstro veterum testimonio scriptorum. Nam Isidorus Pelusiota Cassiani condiscipulus ep. 309. appellat eum loquacem, et Augustinianae doctrinae impugnatorem. Cassiodorus lib. de div. instit. cap. 29. inquit: *Qui Cassianus tamen de libero arbitrio a B. Prospero jure culpatus est: unde monemus, ut in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeatis*. S. Prosper singulari veluti certamine contra Cas-

sianum pugnavit, et inter cetera de illo ait, quod *ad instrumentum inimicorum gratiae Dei studuit talem proferre doctrinam*. Ado Viennensis ad an. 425. scribit: *Opera illius* (Cassiani) *a catholicis cautissime legenda, maxime de libero arbitrio et gratia*. Thomas Braduardinus lib. II. de caussa Dei cap. 4. Cassiani sententias vocat *haereticas*, *et pelagiano veneno praegnantes*. Veteres igitur Cassiani doctrinam tanquam semipelagianam damnarunt. II. Quis ignorat S. Prosperum fuisse acerrimum catholicae de gratia doctrinae contra Semipelagianos propugnatorem? Ast vero S. Prosper librum ex professo elucubravit contra Cassianum, quem collatorem appellat, quod collationes, ut suo loco diximus, ediderit. Patet id proculdubio ex Cassiani verbis, quae eo in libro a Prospero referuntur, ac refutantur; et ex vetustissimo codice Corbejensi, ubi Prosperi opus hoc modo inscribitur: *Liber S. Prosperi pro praedicatoribus gratiae contra librum Cassiani presbyteri, qui praenotatur de protectione Dei*. Porro titulum hunc habet collatio XIII. Cassiani a Prospero praecipue impugnata. III. S. Gelasius Rom. Pont. hoc tetro commate Cassiani scripta notavit: *Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apocrypha*, videlicet non catholica. Neque enim appellat ea apocrypha, hoc est, non canonica; quum dubium non esset, non fuisse illa a Spiritu S. dictata. Neque dicuntur apocrypha, scilicet spuria, et non genuina; quum ea sub Cassiani nomine recitentur. IV. Concilium Arausicanum II. sententiam tradidit ac definivit plane catholicam in singulis quos edidit canonibus ad gratiam pertinentibus. Jam vero canones illi totidem oppositi sunt Cassiani propositionibus. V. Sed Cassiani Semipelagianismus maxime patet ex ejus operibus. Nam in lib. XII. de instit. monast. cap. 14. ita scribit: *Ut enim dicimus conatus humanos apprehendere eam (perfectionem) per seipsos non posse, ita pronuntiamus, laborantibus tamen ac desiderantibus misericordiam Dei et gratiam conferri, et, ut verbis Apostoli loquar, volentibus et currentibus impertiri*. Collat. autem XIII. cap. 12. docet, sine Dei gratia nos habere posse scientiam boni, et gratiam aliquando praevenire quidem voluntatem, sed saepius voluntatem praevenire gratiam. Hinc cap. 17. inquit, Christum dici salvatorem, cum praevenit, susceptorem vero, cum praevenitur. Cap. 14. jam tradiderat, posse hominem suis viribus habere fidem; et cap. 9. spem ac desiderium boni in nobis excitari absque ullo auxilio gratiae. Cap. demum 8. ejusdem collat. ita scribit: *Qui cum in nobis ortum quemdam bonae voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat, et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse*.

His hoc modo observatis, de nihilo est, quod nonnulli inquiunt, doctrinam nempe collat. XIII. contentam Cassiani non esse, sed abbatis Chaeremonis; vel quod addunt alii, Cassianum coll. III. cap. 4. et coll. XIII. cap. 3. affirmare ex Deo esse, *quoties inspiratio quaedam immissa in cor nostrum etiam dormientes nos ad desiderium vitae et salutis excitat*.

Nam ad 1. Etsi coll. XIII. verba essent abbatis Chaeremonis, non proinde defendi Cassiani fides posset. Chaeremonis enim illius sententias nullibi

emolliens aut catholico explicans sensu, tanquam suas adsciscit, quin immo ubique eas approbat et summis laudibus extollit. Deinde certum est, collationes illas esse revera Cassiani sub diversorum abbatum nominibus ad legendum propositas. Nam S. Prosper contra coll. cap. 2. inquit: *Igitur in libro, cujus praenotatio est de protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ... abbatem quemdam introducit de gratia Dei, et de libero arbitrio disserentem, cujus se per omnia probasse, ac suscepisse ostendit sententiam: ut jam non cum illo nobis sit negotium, qui forte tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret; sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiae Dei talem studuit proferre doctrinam*. En auctor sententiarum, quae in collationibus continentur.

Ad 2. Optime S. Prosper observat, Cassianum fateri *gratiam in portione, quam negabat in universitate vocatorum*: hoc est, fatebatur quidem, Deum aliquando praevenire etiam ad fidem nostras voluntates, sed contendebat, voluntates nostras ut plurimum praevenire gratiam Dei. Quod patet etiam ex adverbio illo *nonnunquam*, quod in allato textu occurrit. Et haec pauca sufficiant pro Cassiani fide dignoscenda.

Agamus nunc iterum de Fausto Rejensi. Hunc non bene de gratia sensisse haec momenta demonstrant. I. Concilium Rom. paullo post Fausti obitum sub Gelasio in cap. *Sancta Romana*, ejusdem Fausti opera tanquam apocrypha rejecit. Quo sensu declaraverit apocrypha paullo supra exposuimus. II. Hormisdas in epist. ad Possessorem libros illius recipiendos non esse definivit, ut cap. 7. narravimus. III. Joannes Maxentius, quem Sirmondus Eutychianis immerito accenset, egregio opere Rejensis confutavit systema, ut Africani Patres in Sardinia exules locupletissime testantur. IV. Fulgentius, qui os erat et calamus Patrum Africanorum, et ipse septem edidit volumina contra falsa Fausti dogmata, Isidoro Hispalensi teste. V. Synodus Arausicana II. convocata praecipue fuit contra Fausti doctrinam, ut invicte demonstrat Norisius. VI. Demum libri ipsi Fausti quid aliud praeferunt nisi purum putumque Semipelagianismum? Libro namque III. cap. 6. docet, *In electione ad gratiam observari merita: Abelem placuisse Deo per insitum a Deo generaliter bonum et per propriae voluntatis affectum: bonum denique credulitatis non novellum esse privilegium, sed vetustum*. Pejora tradit in cap. 10. ejusdem libri, quod consulas.

Corruunt ex his Sirmondi rationes. Ait enim I. Joannem Maxentium Fausti impugnatorem fuisse Eutychianum: II. Patres Africanos fuisse Praedestinatianorum imbutos errore: III. Gelasium R. P. non damnasse, sed declarasse Fausti libros tantum apocryphos. Fluxa revera argumenta.

Atque ad 1. Falsum omnino est Maxentium fuisse Eutychianum, ut in opusculis de incarn. invicte, ni fallor, demonstravimus. Et quamvis adnumerandus Eutychianis esset, potuit tamen recte sentire adversus errores Fausti de gratia, neque is solus Rejensis antistitis fuit insectator.

Ad 2. Falsum est Africanos Patres, qui tam catholice et erudite de gratia Christi per calamum Fulgentii scripserunt, haeresi laborasse Praedestinatianorum; ne dicam modo, quod in sequentibus demonstrabo, haeresim nempe illam praedestinatianam non nisi in mente Sirmondi extitisse.

Ad 3. denique, si Gelasius Fausti libros apocryphos appellando, eos non proscripsit, dicat ergo Sirmondus quo sensu apocryphos eos nuncupaverit. Relege quae paullo superius de hac re diximus agentes de Cassiano.

Descendendum modo est ad Vincentium Lerinensem, quem Semipelagianis accessisse, post Norisium, Natalem Alexandrum, Pagium, Bertium, aliosque doctos viros, fidenter pronuncio. Et I. quidem. Liber, cui titulus: *Objectiones Vincentianae*, cujusque auctor fuit, nemine dissentiente, Vincentius, errores continet Semipelagianorum. Nam si alia deessent, manifestum id fieret ex opere Prosperi *contra objectiones Vincentianas*. Videndum itaque est quis iste Vincentius fuerit. Cl. annalium parens in martyrol. ad diem 24. Maji arbitratur, auctorem illarum objectionum fuisse Vincentium presbyterum, de quo Gennadius scribit in lib. de script. illustr. cap. 80. Sed immerito: tum quia in hunc Vincentium ne suspicio quidem Semipelagianismi apud veteres unquam cecidit; tum etiam quia Vincentius presbyter sexaginta circiter annos floruit post exortos Massiliensium tumultus. Convixit enim Gennadio, et expositiones suas in psalmos, quae interciderunt, legebat sancto viro Cannato, qui Graeco Episcopo Massiliensi successit circa an. 480., quum tamen Semipelagianismus ortus sit in Galliis anno 429., et Prosper obierit an. 457. circiter. Autumant alii objectionum illarum auctorem fuisse Vincentium Victorem. Sed et ipsi decipiuntur: is enim a S. P. Augustino convictus erroris fuit, et ad meliorem revocatus frugem vel ab anno 419. Neque dici potest ad ingenium rediisse. Nam id ei S. Prosper in sua responsione exprobrasset, quod nullibi fecisse legimus. Nullum alium habemus Vincentium, qui ea aetate floruerit, et contra quem calamum stringere potuerit Prosper, nisi Vincentium Lerinensem. II. Si quid est quod vetet ne dicamus, Vincentium Lerinensem adhaesisse Semipelagianis, id maxime foret, quod auctor ille fuerit celeberrimi commonitorii adversus prophanas vocum novitates, sub nomine Peregrini editi, in quo doctrina summe catholica continetur. Verum in hoc ipso commonitorio multa sane sunt mehercule semipelagiano sale respersa. Et 1. ita scribit cap. 37. *Audent docere, quod in Ecclesia sua, id est, communionis suae conventiculo, magna ac specialis, ac plane personalis quaedam sit Dei gratia; adeo ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria, etiamsi nec petant, nec quaerant, nec pulsent, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita divinitus dispensetur, ut angelicis evecti manibus, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum.* Datur itaque gratia, juxta Vincentium Lerinensem, petentibus, quaerentibus, pulsantibus, et industriam suam adhibentibus. Nonne hoc erat Semipelagianorum dogma ab Arausicana synodo damnatum? Nec quemquam movere debet, quod Vincentius allato in testimonio loqui videatur adversus homines in communionis suae conventiculo viventes. Nam Semipelagiani habebant Augustinianae doctrinae sectatores tanquam Praedestinatianos, et humanae libertatis eversores. 2. Sollemne erat Semipelagianis, Augustinianam de praedestinatione et perseverantia finali sententiam novitatis insimulare, ac hisce in rebus

altum servare silentium. Audiamus modo Vincentium Lerinensem laudato in capite scriptitantem: *Sancti cujusdam viri memoriam tanquam sopitos jam cineres profana manu ventilant; et quae silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant.* Quae de Augustino dicta esse nemo non videt. Et cap. 39. addit: *Quidquid vero, quamvis ille sanctus et doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor et martyr, praeter omnes aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, et occultas, et privatas opiniunculas a communis et publicae generalis sententiae auctoritate secretum sit; nec cum summo aeternae salutis periculo juxta sacrilegam haereticorum et schismaticorum consuetudinem universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectemur errorem.* Haec contra Augustinum fuisse scripta suspicantur viri doctissimi. 3. Idem Vincentius Caelestini R. P. epistolam ad compescendos Augustini detractores scriptam ad episcopos Galliarum mira arte intorquet contra Prosperum et Hilàrium scribens cap. 43. *Sed et S. Papa Caelestinus pari modo, eademque sententia. Ait enim in epistola quam Gallorum sacerdotibus misit arguens eorum conniventiam, quod antiquam fidem silentio destituentes profanas novitates exsurgere paterentur; merito, inquit, causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo non sit his liberum habere pro voluntate sermonem ... Quinam ... illi; vetustatis praedicatores, an novitatis inventores?* Hic profecto Prosperum notat et Hilarium, qui Caelestini litteras in commendationem Augustini producebat contra Semipelagianos asserentes, Rom. Pontificem priora, non recentiora Augustini scripta commendasse. Videas modo, quid de Prospero et Hilario rursus, quid vero de illorum adversariis Semipelagianis dicat. Sequitur enim: *Desinat, si ita res est, id est, si ita est, ut apud me quidam urbes et provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia simulatione faciatis. Desinat itaque, si ita est, incessere novitas vetustatem.* En Prosperum et Hilarium, a Caelestino laudatos, appellat quosdam criminatores, illorumque adversarios, quo eos odiosiores redderet, fuisse dicit urbes et provincias; atque tam crebro repetendo: *si ita res est*, innuere vult, duos illos sanctos viros falsa Caelestino Papae detulisse, ut epistolam ab eo extorquerent. Auctor itaque commonitorii, qui, nemine dissentiente, fuit Vincentius Lerinensis, purum putumque se prodit Semipelagianum. Nec refert, quod volumen illud utilissimum sit, et lectione dignum in reliquis. Nam illi viro, ut verbis utar cl. Norisii, accidit idem, quod chymicae artis contigit professoribus; quorum labor quum ad aurum conficiendum collimaret, licet intento fine fraudati sint, utilia tamen medicamina repperere auro ipso longe pretiosiora. Ita ille, quum Augustini fortasse doctrinam de praedestinatione veluti per cuniculos eo opusculo subruere vellet aut tentaret, ceteras haereses a fundamentis evertit, et Augustini doctrinam, quae catholica semper fuit, nec loco quidem movit. Argumenta, quae a Vincentii defensoribus afferuntur, adeo frigida sunt, ut in iis solvendis necesse non sit tempus terere. Vide ea, si lubet, apud cl. Bertium.

S. Hilarium Arelatensem et ipsum Semipelagianis adhaesisse demonstrat

quod Prosper in ep. ad Augustinum scribit: *Unum eorum*, inquit, *praecipuae auctoritatis et spiritualium studiorum virum S. Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuae esse doctrinae; et de hoc, quod in querelam trahit, jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia utrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus incertum est, et omnium nostrum fatigatio in tuae charitatis et scientiae vigore sperat, adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis.* Hoc testimonium est contra Hilarii Arelatensis fidem.

Et nihilominus illius patroni regerunt in laudato Prosperi textu non Hilarium, sed Honoratum esse legendum. Vel si Hilarius in textu legi debeat, loqui ajunt S. Prosperum de illo, qui ad Augustinum scripsit, et qui postea Arelatensis evasit Episcopus. Sed ita regerendo operam ludunt. Nam M. S. omnia, ut Maurini patres testantur in notis ad epistolam Prosperi, quae exstat tom. X. oper. S. Augustini, Hilarium habent, non Honoratum. Hilarius vero qui ad Augustinum scripsit nimis aperte se laicum nominat, Prosperi collega erat, ab Augustino filius, non frater appellatur, nec ullibi legitur aliquam Augustini olim in Africa magistri sui sententiam in quaestionem traxisse.

Superest modo Gennadius, qui et ipse ad Semipelagianos defecit. Nam in lib. de script. illustr. summis laudibus extollit Rufinum Aquilejensem et eum cap. 17., ubi de illius invectivis contra S. Hieronymum loquitur, appellat *doctorum Ecclesiae partem non minimam*. Cap. 80. opera Cassiani a S. Prospero confutata mirifice commendat, Faustique libros cap. 85. vocat *opus egregium;* quum e contra de S. Prospero cap. 84. scribat: *Legi et librum adversus opuscula sub persona Cassiani*; *quae Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva*. De S. P. Augustino cap. 38. haec scripsit: *Error illius sermone multo, ut dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus, necdum haeresis quaestionem dedit*. Ita ne excusari a Semipelagianismo potuit Gennadius?

Et tamen id facere aggressus est Suarez hisce momentis. I. Gennadius in lib. de script. illustr. laudat Severum Sulpitium, quod a Semipelagianorum errore resipuerit. Ipse ergo non erat Semipelagianus. II. Liber de ecclesiasticis dogmatibus habetur ab omnibus tanquam genuinum Gennadii opus. In eo autem libro nihil est, quod errorem sapiat Semipelagianorum. Immo cap. 21. inquit: *Initium salutis nostrae, Deo adjuvante et inspirante, habere nos credimus*. III. Opus de fide sua misit ad Gelasium Pontificem, ut ipse ait cap. ultimo de script. illustr. *Et opus de fide mea misi ad beatum Gelasium*. Verisimile est misisse librum semipelagiana lue contaminatum?

Haec nullius sunt ponderis. Et ad 1. Severus Sulpitius non in Semipelagianorum, sed in Pelagianorum retia inciderat, eodem teste Gennadio ibidem. *In senectute sua a Pelagianis deceptus, et agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit*. Ast Semipelagiani in multis a Pelagianis, ut omnes norunt, recedebant.

Ad 2. Dici cum doctissimo Norisio potest librum de ecclesiasticis dogmatibus editum a Gennadio fuisse post ejus de viris illustribus opus, et post damnata a Gelasio Cassiani Faustique volumina; quo tempore in Cassiani ac Fausti prorumpere laudes non licebat. Deinde observant PP. Benedictini ex plurium M. S. collatione multa a viro catholico adjecta operi illi fuisse ob pelagianam haeresim illic latentem.

Ad 3. In pluribus M. S. codicibus caput illud postremum, in quo Gennadius de se ipso loquitur, omnino desideratur. Unde probabile fit aliena manu fuisse caput illud assutum. Ajunt alii scripsisse Gennadium opus praeclarum adversus pelagianam haeresim, cujus Semipelagiani hostes erant infensissimi. Librum hunc forte misit ad Gelasium Papam, vel opus de ecclesiasticis dogmatibus, de quo mox judicium dedimus.

Unum diluendum remanet; omnes nempe illos viros, quos nuper accusavimus, fuisse sanctos, ideoque dici non posse Semipelagianos.

Ast nihil hoc facessit. Non diffitemur fuisse viros illos sanctitate praeclaros; neque dicimus errasse ex ignorantia invincibili, quum facillime studio potuerint veritatem assequi. Et nihilominus negamus posse eos ab haeresi excusari. Nam errarunt plane, sed in re, quam scire tunc non tenebantur, quum illis temporibus Semipelagianismus nondum damnatus expresse fuerit, uti factum est postea a synodo Arausicana II. sub Felice IV. et Bonifacio II. celebrata. Caelestinus in ep. sua ad Galliarum Episcopos consecravit quidem S. P. Augustini doctrinam; sed Massilienses putarunt eam epistolam commendare utique priora, non posteriora Hipponensis antistitis volumina, libros nempe ad pelagianam haeresim jugulandam ab eo elucubratos; praesertim, quum decem illa capita Caelestini epistolae adjecta, in quibus Semipelagianorum errores expresse refutantur, non sint ejusdem Caelestini genuinus fetus, ut in superioribus animadvertimus. Non derogatur igitur Massiliensium, et maxime Vincentii ac Hilarii Arelatensis sanctitati, si dicamus illos errore deceptos haeresim praeformasse semipelagianam.

Brevis nunc contexenda est pro S. Joanne Chrysostomo apologia, qui Semipelagianismi insimulatur a Gabriele Vasquez, et ante illum a Joanne Calvino scribente: *Graeci pie alii, atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humanae voluntatis facultate modum excesserunt*. Antequam autem id facere aggrediar, audiendus est Augustinus de Chrysostomo loquens adv. Julian. lib. I. cap. 6., ubi, quum Julianus ad sui partes trahere conaretur sanctum illum doctorem ob unam vel aliam male ab haeretico intellectam sententiam, S. P. ita respondet: *Disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quaestione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus, securius loquebatur*. Et in lib. de praed. SS. adversus Semipelagianos, qui et ipsi veterum patrum, et praecipue Chrysostomi abutebantur auctoritate, ita scribit: *Non opus est scrutari eorum opuscula, qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari, quod procul-dubio facerent, si respondere talibus cogerentur: unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum lo-*

cis , et transeunter attingerent , immorarentur vero in eis , quae adversus alios inimicos Ecclesiae disputabant , et in exhortationibus ad quasdam virtutes , quibus Deo vivo et vero ... serviretur . Si aliquid ergo minus accurate dictum in Chrysostomi scriptis occurreret, ad hanc Augustini gravissimam sententiam illico animus est convertendus . Ceterum contendo nihil esse in illius S. doctoris libris , quod semipelagianam haeresim potius non evertat . Et I. quidem . Praecipuus Semipelagianorum error fuit, initium fidei ac bonae voluntatis esse ex nobis . Ast vero contrarium penitus docuit Chrysostomus . Homil. quippe IV. in cap. 2. epist. ad Ephes. ita disserit: *Ne magnitudo beneficiorum extollat te , vide quomodo te reprimit . Gratia , inquit , per fidem . Deinde ne rursus liberum arbitrium perimeretur , nostra etiam adhibuit ; atque iterum illud idem sustulit dicens, Et hoc non ex nobis . Non enim fides , inquit , ex nobis . Nisi enim venisset , nisi vocasset , quomodo credere potuissemus ? Quare nec fidei nostrae est , sed Dei : illud ipsum donum Dei est , ne quis glorietur , et nos erga gratiam gratos reddat* . Hom. XXXVIII. in Gen. affirmat , Deum preces nostras praevenire : *Neque responso dignatur eam* (Chananaeam) *misericors et clementissimus Dominus , alioquin preces nostras semper praeveniens* . Et hom. XIX. in ep. ad Rom. super illa verba : *Vide bonitatem Dei* , ita scribit : *Non dicit , vide virtutem tuam, aut labores tuos, sed Dei bonitatem ; ostendens quod universum ex superna gratia sit factum , instituensque credentem , ut tremat* . Chrysostomus igitur ea tradidit, quae praecipuo Semipelagianorum errori sunt directe contraria . II. Fundamenta, quibus Semipelagianorum innititur error , sunt , quod Deus juxta Scripturas exspectet nostras virtutes ; quod tota die manus ad populum non credentem et contradicentem extendat ; et quod hominis sit praeparare animam . Omnia autem haec Scripturae loca ita exponit Chrysostomus , ut nullum afferat praevenienti gratiae praejudicium . Ait quippe haec dicta esse ad salvandam in homine arbitrii libertatem , contra quam Manichaei illis temporibus dogmatizarent . Nam hom. XXII. in Gen. ita habet : *Manifestum est , sua quemque voluntate vel malitiam , vel virtutem eligere . Nam nisi ita esset , et naturae nostrae potestas insita esset , neque illos puniri , neque istos virtutum retributiones recipere oportebat . Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est* etc. Et hom. XII. in epist. ad Hebr. *Non praevenit* , inquit , *ne perdat liberum arbitrium* . III. Praecipuum catholicorum adversus Semipelagianos argumentum ex illis Apostoli verbis depromitur : *Quid autem habes quod non accepisti ?* Jam vero apostolica haec sententia eodem cum catholicis sensu urgetur a Joanne Chrysostomo . Hom. enim XII. in 1. ad Cor. cap. 4. inquit : *Igitur quod accepisti habes : neque hoc tantum aut illud , sed quidquid habes . Non enim merita tua haec sunt , sed Dei gratia . Quamvis fidem adducas , a vocatione eam accepisti ; quamvis peccatorum veniam adducas , quamvis dona , quamvis virtutem , quamvis doctrinae sermonem , omnia inde tibi provenerunt . Quid igitur habes , quaeso , quod non acceptum habeas ? Num ipse per te recte operatus es ? Non sane , sed accepisti ; et idcir-*

co magni te facis, propterea cohibearis oportet; *non enim tuum id munus est*, *sed largientis*. IV. Aliud catholicorum contra Semipelagianos argumentum ex illis depromitur Apostoli verbis: *Deus est*, *qui operatur in nobis velle et perficere*. Chrysostomus vero hom. in epistolam ad Philip. cap. II. affirmat, quod *Deus propensionem voluntatis ipse nobis praebet et operationem*. Et rursus: *Deus vult nos secundum voluntatem suam vivere. Si vero vult*, *agit nos ad hoc*, *ipse istud omnino operatur*. Nescio num his clariora desiderari possint ad suadendum S. Joannem Chrysostomum Semipelagianis neutiquam praelusisse.

Non acquiescit autem Vasquesius, et inquit: hom. XLII. in Genes. ita Chrysostomus loquitur: *Nisi prius ille*, *quod suum erat*, *fecisset*, *non tanta a Domino obtinuisset*. Hom. XVII. in Joannem ita scribit: *Hinc admoneri possumus Deum suis in nos beneficiis nostras non praevenire voluntates*, *sed a nobis incipiendum esse*; *sed cum nos promoto paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus*, *tunc multas nobis offert salutis occasiones*. Hom. XII. in ep. ad Hebr. addit: *Oportet nos eligere primum*, *quae bona sunt*, *et tunc Deus*, *quae sua sunt*, *introducit*; *non enim antecedit nostras voluntates*, *ne laedatur arbitrium*. *Cum autem nos elegerimus*, *multam tunc offert auxiliationem*. Hujus generis phrases innumeris in locis repetit S. doctor, quae proculdubio simillimae sunt locutionibus, quibus Cassianus, Faustus, aliique Semipelagiani ad proprium incrustandum errorem utebantur.

Nullius tamen ponderis est hoc argumentum. Nam locutionibus illis usus est S. doctor absque praevenientis gratiae praejudicio. In hom. ergo XLII. de Abraham agit Chrysostomus de eleemosyna, in qua respiciens Deus voluntatem distribuentis, multam gratiarum rependit remunerationem, ut factum est cum Abrahamo. Non negat tamen Chrysostomus bonam elargiendi eleemosynam voluntatem esse a Deo; immo expresse id affirmat exemplo mulieris Sareptanae, de qua dicitur in Scriptura: *Praecipiam mulieri viduae*, *ut pascat te*. Quibus recitatis addit Chrysostomus: *Vide spiritus gratiam*, *dilecte*. Hom. XVII. in Joan. non de initio, sed de perfectione loquitur operis. Agit quippe de Andrea, quem sponte obtemperantem multis Deus cumulavit beneficiis. Non inquit autem, Andream sequutum esse vocantem absque gratia praeveniente. Hom. XII. in ep. ad Hebr. dicens Deum nostras non praevenire voluntates, idem est, ac si diceret, Deum nos ad bonum agendum non necessitare. Unde e vestigio subdit: *Ne laedatur arbitrium*. Idque admodum apposite, adversus videlicet adhuc grassantem illis temporibus haeresim Manichaeorum. Ceterum non excludit praevenientem gratiam in sensu catholico, quum non de infidelibus ibi, sed de iis, qui opus perficere conantur, verba faciat, ut ex sequentibus patet: *Etiamsi curras*, *etiamsi studium adhibeas*, *ne tuum existimes*, *si quid recte gestum est*. *Nisi enim caelesti auxilio potiaris*, *omnia frustra sunt.* Atque pauca haec in doctissimi Patris Joannis Chrysostomi defensionem adversus Vasquesium dixisse sufficiat. Reliqua enim, quae urgeri possunt, facilem habent ex dictis solutionem.

Antequam manum e tabula removeam animadverto, ante Adrumetinos ac Lerinenses monachos S. P. Augustinum in eodem circa fidei initium versatum fuisse errore, ut ipse pro candore suo fatetur in libro de praed. SS. cap. 3.; ubi recitato Apostoli testimonio: *Quid habes, quod non accepisti?* subdit: *Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam impetrari Dei dona, quibus temperanter et juste et pie vivamus in hoc saeculo*. Ante Adrumetinos monachos quatuor circiter annis erravit in eodem dogmate Vitalis quoque Carthaginensis, quem ab errore revocavit S. P. Augustinus, ut constat ex ep. CVII.

CAPUT X.

De Haeresi praedestinatiana.

Duo fuerunt praecipui circa Christi gratiam errores. Unus illorum, qui nihil aut fere nihil; alter eorum, qui nimis gratiae tribuerunt. Fuerunt prioris generis haeretici Pelagiani ac Semipelagiani, de quibus hactenus disseruimus. Haeretici secundi generis dicti sunt Praedestinatiani. Hi sibi confixisse dicuntur hoc systema; 1. quod Deus *non omnes homines ad hoc creavit ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus*: 2. *quod etsi generali praedicatione dicat: Venite ad me omnes qui laboratis, et ego reficiam vos, non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem*: 3. *quod non omnes qui, ipso inspirante, obediunt vocationi, dicuntur accipere exsequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores et justitiae fructus, si non sint de numero salvandorum, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono*: 4. *quod ii, qui praedestinati sunt ad vitam aeternam, etiamsi in perfidia vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturi sint occasionem, qua credant in Deum et secundum Dei praeceptum vivant, ut possideant sanctorum societatem*: 5. *quod tali definitione docere studeant Deum esse personarum acceptorem*: 6. *quod Deus aliquos etiam invitos post multa mala opera adtrahat ad salutem, alios post bona rejiciat*: 7. *quod Deus aliquos compellat in malum, quo pereant in aeternum*. His verbis Praedestinatianorum portenta describit Gennadius in lib. de script. illustr.; ex quibus apparet nimis illos Dei gratiae tribuere, cum illam necessitantem faciant liberum hominis arbitrium.

Complures docent erupisse hanc haeresim primum apud Adrumetinos monachos ab Augustino ad meliorem frugem revocatos; tum renovatam in Galliis fuisse tempore Caelestini primi; ac denique saeculo nono ab inferis rursus excitatam a Gothescalchio monacho Orbacensi. Sed emuntioris naris critici historiam de haeresi praedestinatiana, quae antiquis illis temporibus extiterit, ad aniles fabulas validis innixi argumentis amandant, adduntque pessimam illam haeresim, prout a Gennadio describitur, viguisse dumtaxat

et vigere adhuc in calvinistica secta. Ego arbitror hanc sectam illam eamdem esse, quae nostris quoque temporibus viget, et haeresis Janseniana appellatur.

In primis ridiculum mihi videtur quod aliqui affirmant primos Praedestinatianos fuisse monachos Adrumetinos ab Augustino scriptis suis repressos. Nam I. S. Pater, ad tumultum in Adrumetino monasterio excitatum compescendum, librum scripsit de gratia et libero arb., qui ut constat ex lib. II. retract. cap. 66. scriptus fuit ad confutandum illum errorem, qui serpere Augustini temporibus coepit inter monachos Adrumetinos, et in hoc consistebat, quod putantes negari ab Christi gratiae defensoribus liberum arbitrium, ita illud extollebant, ut ipsam gratiam negarent asserentes dari illam secundum merita nostra. Ast hic error est purus Semipelagianismus, non haeresis praedestinatiana. Ergo tempore Augustini in illo monasterio coepit error Semipelagianorum, non error Praedestinatianorum. II. Adrumetini monachi, accepto illo libro, non acquieverunt; sed dicebant: Si gratia humanam praeveniat libertatem, divinae legis transgressores corripiendi non erunt, quum desit illis divinum ad legis praecepta servanda auxilium. Quod quum ad Augustini notitiam pervenisset, aliud pro eisdem monachis volumen edidit de corrept. et gratia. Profecto qui gratiam non praevenire asserunt liberum arbitrium ne vana transgressoribus legis reddatur correptio, non Praedestinatiani sunt, sed Semipelagiani. III. Si quis Praedestinatianorum erroris reus in Adrumetino monasterio fuisset, is proculdubio fuisset Florus, qui a Cresconio et Felice accusatus apud Augustinum fuit, quod nimis gratiae Dei tribuens liberum everteret arbitrium. Ast vero Florus Praedestinatianus certe non fuit. Felix quippe et Cresconius de Floro falsa Augustino detulerunt, ut ex Valentini abbatis ad eumdem Augustinum epistola apparet. IV. Praecipuus Praedestinatianorum character fuisse dicitur Augustini doctrinam atque sententias usque ad sidera extollere, et passim gloriari se in omnibus Augustini sectari vestigia. Monachi vero Adrumetini in Augustini epistola ad Sixtum multa carpebant illius dicta, atque sententias rejiciebant. Idcirco veritus Valentinus ne ad sancti doctoris aures dissidia illa pervenirent, suorum arrogantiam excusare curavit comparatione deducta ab iis discipulis, qui quum verba Domini non intelligerent murmurabant Joann. cap. 6. *non culpa Domini dicentis, sed duritia impiissimi cordis*. Augustini ergo tempore nunquam extitit praedestinatiana haeresis. Adversae tamen sententiae patroni urgent I. S. P. Augustini verba in ep. ad Valentinum: *Nobis retulerunt* (Felix et Cresconius) *monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam praedicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium*. Hic error est Praedestinatianorum. II. Ad Adrumetinorum compescenda dissidia Augustinus librum exaravit de gratia et lib. arbitrio; in eoque ex aequo praedicat gratiam salvatoris, hominisque libertatem. Ex quo autem gratiam commendet, sequitur aliquos in Adrumeti monasterio extitisse, qui gratiam negabant. Quare ex quo commendet libertatem arbitrii colligitur aliquos fuisse, qui de illo male sentiebant. III. Denique Sigebertus affir-

mat praedestinatianam haeresim incoepisse an. 415. Prosper Tiro ejus initia refert ad annum 417. circiter. Id ipsum, ne de recentioribus loquar historicis, tradit etiam Arnobius. Negari itaque non potest viguisse in Adrumeti monasterio haeresim praedestinatianam.

Haec autem frivola sunt. Et ad 1. Jam diximus, Felicem et Cresconium falsa narasse Augustino; imperiti enim erant, harumque rerum satis rudes. Unde aliquanto diutius penes se illos retinuit S. doctor, *quo instructiores redirent adversus novos haereticos Pelagianos*, ut ipse ait in epist. ad Valentinum. Animadverte, novos hosce haereticos Pelagianos ab Augustino dici, non Praedestinatianos. Quum itaque monachi illi non bene Flori sententiam, quae eadem erat cum illa Augustini, intelligerent, retulerunt esse in Adrumeti monasterio quosdam, qui male de libero arbitrio sentirent, ut testis est Valentinus ad Augustinum scribens: *Liberum arbitrium Dei gratia non negamus*; *sed per quotidianam gratiam proficere credimus*, *et adjuvari confidimus*. Et de Floro, qui hujus erroris per imperitiam insimulatus fuerat, ita S. Pater initio libri de corrept. et grat. scribit: *Hanc fidem*, *quae sine dubio vera*, *et prophetica*, *et apostolica est*, *etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo: unde hi potius corrigendi sunt*, *qui cum non intelligebant*. Et propter hoc dubitans S. Pater, Felicem et Cresconium falsa sibi retulisse, initio libri de grat. et lib. arb. non inquit absolute esse in monasterio Adrumeti, qui liberum negarent arbitrium, sed loquitur disjunctim hoc modo: *Sed quoniam sunt quidam*, *qui sic gratiam defendunt*, *ut negent hominis liberum arbitrium*, *aut quando gratia defenditur*, *negari existiment liberum arbitrium*, *hinc aliquid scribere ad vestram caritatem ... curavi*.

Ad 2. Novi Pelagiani in Adrumetino monasterio bellum indicere coeperunt gratiae salvatoris, sed sub hoc obtentu, quod Augustinus in ep. ad Sixtum gratiam admiserit liberum necessitantem arbitrium. Quare Augustinus, ut gratiae necessitatem et efficaciam adstrueret, simulque demonstraret, ex modo operandi gratiae a se statuto minime sequi libertatis exitium, librum scripsit de gratia et libero arbitrio. Haec manifesta sunt librum eumdem legenti, in quo ubi sermo fit de libero arbitrio potius calumniam sibi impactam depellit, quam aliquos refellat, qui liberum denegarent arbitrium.

Ad 3. Veteres nonnulli scriptores in hac adsciscenda fabella parum oculati fuere. En autem quomodo se res habuit. Semipelagiani, quo Augustini sententiae de gratia contradicerent, affirmabant, ex illius systemate sequi omnia ea absurda, quae supra ex Gennadio enumeravimus, passimque spargebant Augustini discipulos portenta illa defendere, nec verebantur, Praedestinatianorum eos traducere nomine. Quumque haec divulgarentur a viris doctissimis, quales illis temporibus erant Semipelagiani, fidem penes plurimos invenerunt. Ceterum historici isti nec inter se, neque cum rebus gestis conveniunt, ubi haeresis praedestinatianae assignant initium. Etenim Sigebertus haeresis illius initia refert ad an. 415., Prosper Tiro ad an. 417.; quum tamen certum sit Augustinum eo tempore de praedestinatione electorum non

pertractasse, nec scripsisse epistolam ad Sixtum. E contra vero Adrumetini monasterii dissidia non coeperunt nisi an. 424. Deinde quali scriptori fidem praestant adversarii? Prospero nempe Tironi, qui, ut inquit Norisius, pluribusque exemplis demonstrat lib. II. hist. p. cap. 15., *non tiro*, *sed puer in chronologia apparet*, *totus in historia hospes*, *ac omnium quae litteris prodidit imperitissimus*. Sigebertus fabulam a Fausto Rejensi hausit, qui Semipelagianus fuit, et commentitiae hujus haeresis architectus. Non ex hisce fontibus veritas haurienda est; sed potius ex Prudentio Trecensi, qui lib. contra Joan. Erigenam cap. 4. inquit: *Tertiam vero haeresim*, *quam Pelagianis contrariam asseritis*, *qua ita donum gratiae praedicatur*, *ut libertas arbitrii funditus auferatur*, *nec legimus nec audivimus*. Potior fides habenda est Rhemigio, qui contra eumdem Erigenam scribit: *Quae est ista secunda haeresis tam incognita*, *tam inaudita*, *quae*, *libero arbitrio denegato*, *solius gratiae sit praedicatrix*, *nisi*, *ut nobis videtur*, *disputator iste vel beatum Augustinum latenter quasi haereticum accusat?* Omni demum exceptione major fides adjungenda est Augustino, qui in lib. de haeres. ad Quodvultdeum, quem post Adrumetina sedata dissidia concinnavit, haeresim omnium recentissimam appellat pelagianam.

Quae postremo loco veterum testimonia recitavi, non modo demonstrant praedestinatianam haeresim non viguisse Augustini tempore Adrumeti, sed neque in Galliis emersisse aetate Caelestini summi Pontificis. Et sane, Sirmondus, qui hoc sibi suasit vel suadere simulavit, arbitratur Prosperum et Hilarium haeresim illam refutasse. Ast duo hi gratiae strenuissimi vindices non Praedestinatianos, sed Semipelagianos totis lacertis insectati sunt. Et I. quidem Prosper haec scribit ad Augustinum: *Multi ergo servorum Christi*, *qui in Massiliensi urbe consistunt*, *in sanctitatis tuae scriptis*, *quae adversus Pelagianos haereticos condidisti*, *contrarium putant patrum opinioni et ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti*. Et rursus: *Hoc autem propositum vocationis Dei*, *quo vel ante mundi initium* etc., *et lapsis curam resurgendi adimere*, *et sanctis occasionem teporis afferri dicunt*. *Removeri itaque omnem industriam*, *tollique virtutes*, *si Dei constitutio humanas praeveniat voluntates*, *et sub hoc praedestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem*. Eadem diversis verbis scribit Hilarius. Prosperi igitur Hilariique adversarii putabant, ex Augustini de praedestinatione gratuita sententia illa colligi absurda, quae recensuimus, qui profecto erant Semipelagiani, ut Theologiae candidatis manifestum est. II. S. P. Augustinus, acceptis a Prospero et Hilario litteris, ad novos refellendos errores duo elucubravit volumina, unum de praedestinatione SS., alterum de dono persev. In utroque autem volumine non Praedestinatiani, sed Semipelagiani confutantur, ut cuique legenti apparet. III. Caelestinus in epistola, quam, Prospero et Hilario suggerentibus, scripsit ad Episcopos Galliarum, totus est ut audaciam compescat eorum, qui Augustino obloquebantur. Quis autem ignorat, hos Semipelagianos, non Praedestinatianos fuisse? Immo Praedestinatianos de nomine ac sententia Augustini gloriatos fuis-

se, volunt adversarii. IV. Si opera singula a Prospero exarata ad trutinam revocentur, ne verbum quidem in iis reperire est, ex quo deprehendatur scripsisse contra Praedestinatianos.

Si autem quaeras, qui fieri potuit, ut fabulam hanc tanquam veram historiam nonnulli veteres adoptaverint scriptores, respondet vir summus Norisius, Praedestinatianorum nomen publicari coepisse primitus a Theodoro Mopsuesteno, tum a Fausto, Gennadio, Arnobio, aliisque Semipelagianis, ut eo nomine Augustinum ejusque discipulos gravarent, ut paullo supra animadvertimus. Ut enim S. Prosper Semipelagianos appellabat, ignominiae caussa, modo Pelagii reliquias, modo ingratos, ita illi, ut pares redderent vices, Prosperum ejusque sectatores Praedestinatianos nuncupabant, quasi duodecim illa falsa dogmata defenderent, quorum sex a Fausto, sex vero a Gennadio enumerantur, quaeque ipsi Semipelagiani, arguendo et ratiocinando, per illationem multorumque verborum ambages a catholicis Augustiniani systematis principiis deducebant. Ceterum nullum est ex illis duodecim dogmatibus, quod expresse improbatum non sit, et quidem in terminis, a beato Prospero contra Semipelagianos disputante in responsionibus ad objectiones tum Gallorum, tum Vincentianas, ut cl. cardinalis Norisius fuse demonstrat.

Audiendi modo sunt contrariae sententiae patroni. Ajunt autem I. Auctor *Praedestinati*, qui antiquissimus est, quique ex vetustissimo codice luce donatus est a Sirmondo, diserte testatur, tempore Caelestini extitisse in Galliis praedestinatianam haeresim, atque ad eam praefocandam Prosperum et Hilarium patrocinium advocasse primo Augustini, tum Rom. Pontificis. II. Nonne Prosper et Hilarius apertissime affirmant apud Massiliam multos fuisse, qui dicerent divina constitutione virtutes removeri, tolli libertatem, et sub nomine praedestinationis fatalem induci necessitatem? En haeresis praedestinatiana. III. Duo celebrata fuisse in Galliis concilia adversus praedestinatianam haeresim, Aretalense ac Lugdunense, nos in superioribus tradidimus, ac testatur Faustus Rejensis in suis operibus, in quibus legitur etiam Fausti epistola ad Lucidum presbyterum praedestinatianum.

Haec tamen non sufficiunt ut a praeconcepta sententia removeamur. Ad 1. igitur respondetur, librum, cui titulus, *Praedestinatus*, nullam penitus mereri fidem. Nam fingit, Prosperum et Hilarium contra praedestinatianam haeresim diu dimicasse; quum ex eorum epistolis et operibus satis abunde constet, illorum pugnam fuisse contra Semipelagianos, ut legenti apparet. Deinde scatere putidum illud opusculum crassissimis Pelagianorum erroribus, a multis doctis viris jamdiu observatum est; sed diligentius prae ceteris ab Auraeo, qui, auctoris illius principiis atque sententiis ad examen revocatis, demonstrat ad oculos opus esse fetum viri Pelagiani, qui zelum pro catholica affectans fide, sub Praedestinatianorum nomine refellere conatur Augustiniani systematis assertores. Quod vero liber luce donatus fuerit a viro erudito Sirmondo, non addit operi auctoritatem; id enim praestitit effeta jam aetate et caligantibus oculis, ut inquit Norisius. Hinc ab omnibus fere Theologis jure reprehenditur.

In altero refellendo argumento non est diutius immorandum. Erant quippe Semipelagiani, qui ex Augustini systemate de gratia sequi ajebant exitium libertatis, inevitabile fatum, ac vanas esse correptiones et exhortationes.

Ad 3. respondet Maguinus, et post eum Gabassutius, aliique eruditi, synodos Arelatensem ac Lugdunensem, Lucidi presbyteri conversionem, ejusque ad Arelatense concilium epistolam esse omnia fictitia, a Fausto Rejensi supposita, ut libris suis de gratia et libero arbitrio auctoritatem conciliaret. Neque enim, inquiunt, nova fuit Pelagianis ac Semipelagianis confingendi ars; et aliunde illorum conciliorum acta nullibi exstant, praeterquam in epistolis Fausti ad Leontium, ad Lucidum, et ejusdem Lucidi ad synodum Arelatensem. Immo illorum conciliorum altum penes omnes scriptores, et apud Gennadium ipsum magnum Fausti laudatorem, silentium usque ad Hincmarum. Sed veritate eorum, quae Faustus narrat, admissa, quid inde conficere possunt adversarii? Semipelagiani, ut saepe monuimus, Augustinianae doctrinae amatores ignominiae caussa appellabant Praedestinatianos, ac si illationes, quas ipsi ex Augustini principiis ratiocinando colligebant, ex professo et palam defenderent. Quumque Faustus coryphaeus esset Semipelagianorum, atque ob ejus doctrinam vitaeque sanctitatem magni fieret ab omnibus Galliarum Episcopis, concilii Arelatensis patribus retulit, novam quamdam praedestinatianam haeresim in illis provinciis grassari. Illustri viro aures praebuere praesules, sexque ab eo exhibitas in concilio propositiones condemnarunt. Quoad Lucidum vero, si epistolae illae a Fausto confictae non sunt, fieri facile potuit, ut ex ignorantia in illa inciderit paradoxa. Accidere enim saepe solet, ut pinguioris minervae homines cum versutis scholasticis disputantes ea quandoque concedant, quae ex propriis principiis per remotas etiam conclusiones inferuntur. Semipelagiani autem acutissimi erant dialectici, et *bona ingenia* appellantur ab Augustino in lib. de praed. SS. cap. 20. Unde fieri facile potuit ut eo modo fassus sit Lucidus ore, quae corde non sentiebat. Ac denique concesso etiam, Lucidum ex sententia verum fuisse Praedestinatianum, quid inde? Ex quo unus aut alter vel ex male intellectis Augustini principiis, vel etiam alia de caussa crediderit gratiam ex intrinsecis suis efficacem adimere libertatem, electionem secundum propositum removere virtutes etc., deduci non potest, Hilarii ac Prosperi aetate sectam extitisse Praedestinatianorum, adversus quam iidem sancti viri dimicaverint, suppetiasque tum Augustini, tum Caelestini R. P. imploraverint. Priscis ergo illis temporibus non extitit praedestinatiana haeresis.

Inquirendum modo est, an eadem haeresis invecta fuerit in Ecclesiam saeculo IX. a Gothescalco, ut nonnulli contendunt. Fidenter pronuncio post doctissimos et de ecclesiastica historia optime meritos viros, Gothescalcum puram sinceramque tenuisse S. P. Augustini de gratia ac praedestinatione sententiam. Quod ut demonstrem, nil aliud praestabo, quam ejusdem Gothescalci historiam, seu potius tragoediam nude simpliciterque narrare. Fuit ergo Gothescalcus natione Germanus, professione monachus

Benedictinus in Orbacensi coenobio. Post emissam professionem, sacrisque exactis studiis, Romam ad limina venit Apostolorum. Subinde in Germaniam rediens, hospitio exceptus fuit apud Insubres a religiosissimo comite Eberardo. Ubi commorans anno 847. fuse disseruit de praedestinatione ad vitam et ad mortem, juxta S. Augustini mentem, cum Nothingo Episcopo Brixiensi. Qui quum hisce in rebus parum esset exercitatus, quae Gothescalcus disputaverat non intelligens, suspicatus est, divinam illum admittere praedestinationem ad malum etiam culpae, quomodo divinam admittebat praedestinationem ad bonum. Nothingus ergo de his certiorem fecit amicissimum suum Rabanum Archiepiscopum Moguntinum ab illo petens, ut brevi libello, quae Gothescalcus disseruerat, confutaret. Morem gessit Rabanus, sed inani labore. *Quaeritur namque in praesenti disceptatione*, ajebat Ecclesia Lugdunensis in lib. de tribus epistolis, *non illud, utrum impios Deus, et iniquos praedestinaverit ad ipsam impietatem, et iniquitatem ... quod est utique immanis, et detestabilis blasphemia ... sed illud potius quaeritur, utrum eos, quos veraciter omnino praescivit proprio vitio impios, et iniquos futuros ... justo judicio praedestinaverit aeterno supplicio puniendos*. Rabanus autem, secunda hac quaestione relicta, contra priorem impiam opinionem laboravit, quam Gothescalcus non tuebatur. Qui agnoscens interim Rabanum sibi adversari, litteras dedit ad Mercaudum Prumensem abbatem, Jonam, et Lupum Servatum, sciscitans ab eis, quid de Augustini mente circa geminam praedestinationem sentirent; tum superatis ex Italia alpibus Moguntiam se contulit, sistitit se in placito regio, propriam explicavit sententiam, et apologetico scripto a calumnia sibi a Rabano illata mirifice se defendit. Ast eo in concilio Rabanus judex erat reus et accusator; proinde omnia tumultuarie atque ad libitum pertractans, monachum damnat, exilio multat, et custodiendum tradit Hincmaro Rhemensium Archiepiscopo, *viro versuto*, *falsario*, *impio*, *episcopalique dignitate prorsus indigno*, ut ex Nicolai R. P. epist. apparet. Facta sunt haec an. 848. De hac Rabani synodo multa scribit Maguinus, quibus conventiculum potius, quam sacerdotale fuisse judicium demonstrat. Anno 849. ineunte, quum Hincmarus a rege Carolo Calvo, cui acceptissimus erat, in mandatis accepisset congregandi in Carisiaco palatio quosdam Episcopos et abbates, Gothescalcum ad eorum praesentiam, ut ipse ait, producere studuit, et consuetas adhibens artes sibique innatam versutiam, a synodi patribus infelicis monachi surripuit damnationem, ac si haereticus incorrigibilis fuisset inventus. Tum presbyterii honore privatum virgis caedere jubet ac tot dilaniare flagellis, ut pene animam traheret; compellens quoque propriae defensionis libellum in ignem ad hoc ibi paratum projicere. Neque his immanis Pharao contentus, miserum monachum in suis imperat detineri carceribus, et quidem contra omne fas et jus, quum Gothescalcus pertineret ad dioecesim Suessionensem, cujus antistes erat piissimus Rothadus, adversus quem non minus immaniter postea saeviit. Judicium Hincmari merito execratur S. Rhemigius Lugdunensis his verbis: *Illud prorsus omnes non solum dolent, sed etiam horrent, quia inaudito irreligio-*

sitatis et crudelitatis exemplo tamdiu ille miserabilis flagris et caedibus trucidatus est, donec (sicut narraverunt nobis, qui praesentes erant), accenso coram se igne, libellum, in quo sententias Scripturarum sive sanctorum patrum collegerat, quas in concilio afferret, coactus est jam pene emoriens in flammas projicere, atque incendio concremare ... Perperam ergo tanta crudelitas a doctissimo Natali Alexandro excusatur. His ita gestis, Hincmarus per epistolam S. Prudentium Tricassinum Episcopum consuluit, quaerens ab eo, *An in coena Domini vel in pascha debeat eum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem*, ut apud Flodoardum cap. 21. legitur. Ex quo apparet neque in placito Moguntino, neque in Carisiaco conventu Gothescalcum fuisse haereticum declaratum. S. Prudentius, re mature discussa, ad Hincmarum rescripsit, *Monachum esse absolvendum*. E vestigio autem librum edidit *de tribus quaestionibus*, Hincmaro ipsi ejusque fidissimo Pardulo Episcopo Laudunensi nuncupatum, in quo Gothescalci partes suscipiens, de rebus tumultuarie gestis eos satis serio reprehendit. Eo tempore, anno nempe ineunte 850. consimile edidit opus *de tribus quaestionibus* etiam doctissimus Lupus Servatus, qui interfuerat Moguntino placito, eoque in volumine pluribus argumentis Monachi sententiam vindicat, atque propugnat. Alter ejusdem nominis sapientissimus scriptor Lupus abbas Ferrariensis non solum Gothescalcum acriter defendit, sed ipsius patrocinium apud regem Carolum sumpsit. Paullo ante idem rex Ratramno monacho Corbejensi praeceperat, ut judicium suum circa geminam praedestinationem proferret. Ea de caussa duos ipse edidit libros de praedestinatione, Gothescalci mentem in omnibus secutus. Tantorum virorum agnoscens Hincmarus conspirationem, facti poenitet; sed turpe ratus palinodiam canere, rem cum Pardulo Achate suo conferens, simul conveniunt, onus tot sapientissima scripta refellendi imponere Joanni Scoto, cognomento Erigena, viro docto quidem, sed petulanti ac superbissimo. Tunc ad scribendum coegerunt etiam Amalarium. Et hujus quidem scripta non exstant, Joannis autem Erigena opus viginti constans capitibus editum fuit a Maguino in collectione veterum auctorum, qui IX. saeculo de praedestinatione scripserunt. Ut primum Joannis Scoti liber in lucem editus est, a Venilone Archiepiscopo Senonensi excerptae sunt ex eo centum circiter propositiones partim erroneae partim haereticae, et ad S. Prudentium Tricassinum missae, ut illas confutaret. Qui anno 852. opus aggressus, sic ab initio adversarium suum alloquitur: *Blasphemias tuas, Joannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam justitiamque inflexibilem procax inveheris, percurso tuae perversitatis libro, quem sub nomine cujusdam Gothescalci adversus omnes catholicos effudisti, eo molestius accepi, quo te familiarius amplectebar, peculiarius diligebam: quippe qui in tantum vesaniae proruperis, ut gravissimam sanctarum Scripturarum auctoritatem tuis pravis interpretationibus detorqueres, sensaque catholicorum patrum perversis invertenda sensibus edoceres*. Per idem tempus delatus est ad Lugdunensem Ecclesiam Scoti liber; quae magistro Floro diacono doctissimo in-

junxit, ut errores in eo contentos refutaret. Id Florus celeberrimae illius Ecclesiae nomine praestitit. Hincmarus et Pardulus, quibus se comitem adjunxit etiam Rabanus, litteras ad eamdem Lugdunensem Ecclesiam dederunt postulantes dubium sibi solvi, an videlicet liber Hipognosticon (ex quo deprehendi putabant, Gothescalcum recte fuisse damnatum) sit genuinum opus S. Augustini, contra quam Prudentius, Lupus Servatus, Lupus Ferrariensis, ac magister Florus sentirent. Lectis in Lugdunensi consessu tribus eorum epistolis, S. Rhemigius urbis illius antistes, omnibus rite discussis, Hincmari execratus est artem; *septem regulas fidei ex divinarum Scripturarum auctoritate evenientes, et a SS. PP. diligentissime commendatas exposuit*; atque objectas Gothescalco calumnias, *non ex suo sensu, sed e Scripturarum sanctarum immobili veritate, et beatissimorum patrum fundatissima auctoritate rejecit*, ut ipse scribit in praef. lib. *de tribus epist.* Deterritus Hincmarus S. Rhemigii auctoritate ad consuetas convertitur artes; et an. 853. cum paucis aliis Episcopis, quorum numerus incertus, Carolum Calvum e Suessionensi synodo ad palatium suum in Carisiaco redeuntem circumveniens, eidem exponit ob unius monachi contumaciam totam Galliam turbari, proindeque definiendum esse, quid circa praesentem controversiam catholica teneat fides; tamque enixe precatur et urget, donec Carolus annuit. Atque tunc quatuor edita sunt adversus Gothescalcum celeberrima capitula, quae etiam a rege subscripta fuere. Sed numquid consessus, ubi quatuor illa capitula fuere emanata, fuit rite ac legitime celebratus? Rem ab Hincmaro ipso audiamus, qui lib. de praed. cap. 34. ita scribit: *De cujus sancti viri (scilicet Prosperi) verbis ut simpliciter et veraciter omnibus legentibus fateamur, instantia devotionis domini et christianissimi Caroli principis coacti, qui librum illius prae manibus non habuimus, quantum ad memoriam nobis venit, et brevitas temporis, et simultanea compulsio permisit, hoc capitulum humilitas nostrae intelligentiae delibavit*. Unde a Nicolao Rom. Pont. Hincmariana concilia *conventicula ... de sanguinibus* appellantur. Narrat praeterea idem Hincmarus, quatuor hisce capitulis subscripsisse quoque Prudentium Tricassinum; sed more suo mendaciter. Nam eodem anno S. Prudentius quum synodo pro Æneae Parisiensis Episcopi ordinatione interesse justa de caussa non posset, quatuor capitula Hincmarianis capitulis contraria composuit, eaque per Arnaldum presbyterum ad Venilonem Archiepiscopum et coepiscopos misit, inquiens ordinationi se assensum praebere ea lege, ut Æneas quatuor capitulis suis subscriberet. Anno autem sequente 854. S. Rhemigius cum sua Lugdunensi Ecclesia librum edidit *de tenenda Scripturarum veritate*, in quo quatuor Carisiaca capitula tanquam Scripturae, ac patrum, Augustini praesertim, auctoritati contraria oppugnantur, et illorum auctores temeritatis, novitatis, inconsulti judicii, ac insolentiae notantur. Anno dein 855. ineunte Valentiam convenere trium provinciarum, scilicet Lugdunensis, Viennensis, et Arelatensis Episcopi, ut concilium in caussa Valentini Episcopi criminibus diffamati celebrarent; ad cujus finem viginti tres editi sunt canones, quorum sex priores Gothescalci et Hinc-

mari attingunt controversiam. Ubi primum hujus concilii acta a Carolo Calvo Hincmarus accepit, in rabiem actus insolentissimas in Valentinos patres, et praesertim Rhemigium, evomuit blasphemias. Anno 859. celebrata est synodus Lingonensis, in qua decem procusi sunt canones, inter quos nova auctoritate confirmati repetuntur sex canones concilii Valentini. Post quindecim dies celebratur concilium Tullense, in quo recitata et approbata fuere conciliorum Valentini et Lingonensis capitula. Ex Prudentii epistola 24. ad Egilonem apparet, Nicolaum I. concilii hujus acta confirmasse. An. 860. habitum est concilium Tullense II. Quamvis vero Valentini canones ubique terrarum legerentur, Hincmarus tamen, qui huic concilio interfuit, ne hiscere quidem ausus est. Hoc eodem anno publicavit Hincmarus opus de praed., quo canones Valentinos exitu infelicissimo impugnavit. Neque hic inquietus ejus animus sistit; nam circa haec tempora vetuit ne in sua dioecesi caneretur amplius in ecclesiastico hymno: *Te Trina Deitas unaque poscimus*. Huic novitati se statim opposuit Ratramnus monachus Corbejensis, qui ingenti procuso volumine iniquam esse Hincmari prohibitionem ostendit. Et cum novisset hanc controversiam Gothescalcus in tenebris latens carcerum, scripsit et probavit Trinam Deitatem dici posse. Tunc Hincmarus composuit opus, in quo, suppresso nomine, in sanctos quoque Rhemigium, Prudentium, et alios Gothescalci defensores impotenter debacchatur. Ab octo annis Hincmarus summo odio prosequebatur Rothadum Suessionensem Episcopum, quia Gothescalci amicus erat. Tandem hoc anno 861. omnibus malis artibus conatus est eum ab episcopatu dejicere, ut constat ex Nicolai I. ep. ad Episcopos Galliae. Gothescalcus interea ab Hincmaro adhuc vexatur et detinetur in carcere, donec Rom. Pont. legati per Galliam transeuntes litteris auctoritate apostolica munitis in jus eum compellant, jubentes ut etiam Gothescalcum secum adducat. Solita sua pertinacia parere detrectat. Veritus tamen ne apud summum Pontificem contumaciae accusaretur, longam ad eum scripsit epistolam Gothescalci errores exaggerans. Ast Nicolaus nullam adhibens fidem, Carolo regi scripsit, aequum non esse Hincmari nequitiae principem suscipere patrocinium: tum Arsenio legato suo commisit ut Gothescalci caussam judicaret. Qui cum primum in Galliam pervenit, Hincmarum ipsum ut reum sibi sisti praecepit. Sed hic officiosissima epistola legatum delusit. Infelix ergo monachus, amissa spe, quam in Arsenio collocaverat, post exactos octodecim inter angustias carceris annos tandem ad R. Pont. directe appellat per Guntbertum monachum, qui furtim discessit Romam properaturus. Sed an fortuito aliquo casu, an potius Hincmari insidiis Gothescalci supplicatio suppressa fuerit, certe ad summi Pontificis manus non pervenit. Interim sub finem anni 867. mortuo Nicolao I. Gothescalcus extremas expertus est crudelitatis vicissitudines. Nam Hincmaro ridicula de illo divulgante, ac eum satagente velut insanum traducere, exactis jam viginti fere annis durissimae persecutionis in morbum incidit. Moribundus S. petit Synaxim, et moribundo denegatur. Nihilominus pro omnibus inimicis suis orans in osculo Domini claudit dies. Ad hunc modum Gothescalci historia seu potius tragoedia

se habet; ex cujus narrationis serie sua sponte sequitur, Spondanum, Sirmondum, nonnullosque alios, quibus hac in parte adhaeret Natalis Alexander, aperte decipi ubi affirmant, praedestinatianam haeresim opera Gothescalci saeculo IX. revixisse. Nam quod inquiunt, docuisse illum praedestinationem ad vitam et ad mortem, nullius ponderis est, quum per mortem aeternam non culpam, sed poenam intelligeret. Addunt adversarii Gothescalcum affirmasse non velle Deum omnes salvos fieri, quoniam multi reapse non salvantur. Sed haec assertio est Augustini Ench. cap. 96. et 97. Tertiam quoque illius criminantur propositionem, Christum videlicet mortuum esse pro his qui salvantur. Ast immerito. Nam ajebat ille: *Deus electorum tantummodo cunctorum gratuitus esse reparator dignatus est, nullius autem reproborum perpetualiter esse voluit salvator, nullius redemptor, et nullius coronator*. Ubi notandum est adverbium *perpetualiter*. Quo sensu Augustinus etiam multis in locis, et praesertim lib. 1. de adult. conjug. cap. 15. inquit: *Non omnis qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est*. Sed de haeresi praedestinatiana satis. Nunc de Lutheranis, et Calvinistis, qui revera Praedestinatiani fuere, agamus.

CAPUT XI.

De iis, qui liberum hominis arbitrium aperte negarunt.

Primi qui negarunt liberum arbitrium fuerunt Chaldaei, qui putabant ex motibus astrorum omnes se hominum metiri et praedicere eventus, quasi aliter res se habere non potuerint ac scriptum esset in astris, quae homines ad hoc potius, quam illud agendum cogerent. Hunc errorem docuit et Democritus affirmans cuncta cum antecedentibus caussis ita esse colligata ut nihil in humanis inveniatur, quod a fato non procedat et certa non contingat necessitate. Hos sequuti sunt Manichaei. Quum enim duo statuerent summa principia, boni unum, et alterum mali, duplicem proinde in unoquoque homine admittebant animam, quarum altera a Deo bono, altera a Deo malo condita esset. Hinc inferebant animam natura sua malam ad malum, animam autem substantialiter bonam ad bonum necessario determinari. Atque ita liberum e medio tollebant arbitrium.

Sub saeculi XIV. finem Joannes Wicleffus, diverso licet ductus principio, eumdem contra libertatem ab inferis revocavit errorem. Ejus falsa dogmata damnata sunt sequente saeculo a concilio Constantiensi, in quo illius haeresiarchae recitati sunt articuli; inter quos vigesimus primus ita se habet: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt*. A Wicleffi lectione librorum deceptus Joannes Hus presbyter, in Pragensi academia magister ac rector, et post illum Hieronymus de Praga laicus in eadem academia magister artium, eumdem adversus liberum arbitrium renovarunt errorem; uterque proinde a Constantiensi concilio damnatus. Quoniam vero in haeresi pertinaces incorrigibilesque fuerunt, postquam ingentem in Bohemia, Mo-

ravia, aliisque Germaniae provinciis Ecclesiae intulerunt cladem, unus post alium igne crematus est.

Saeculo autem XVI. audaciores adhuc habuit liberum arbitrium hostes, Lutherum nempe atque Calvinum, quos novarum haeresum parentes, novorumque principes haeresiarcharum jure meritoque dixeris. Ille, Martinus scilicet Luther, plebeis parentibus Joanne et Margarita Lindemanna natus est Islebii in comitatu Mansfeldensi an. 1483. die 10. Novembris. *Luder* familiae suae nomen minus honestae significationis in nomen *Lutheri* commutavit. Studiorum caussa Erfordiam profectus, artium ibi lauream est consequutus anno aetatis suae vigesimo. Juris deinde studium aggressus, quum quadam die cum amico ruri commoraretur, fulmine, quo socius interiit, perterrefactus, cucullum induit in Erfordiensi monasterio Saxonicae congregationis ordinis erem. S. Augustini, ut ipsemet in praef. lib. de vot. monast. ad patrem suum scribit: *Memini, quum jam placatus mecum loquereris, et ego de caelo terroribus me vocatum assererem. Neque enim libens et cupiens fiebam monachus, multo minus vero ventris gratia, sed terrore et agone mortis subitae circumvallatus, etiam si coactus, et necessarium votum emisi. Utinam, ajebas, non sit illusio, et praestigium!* Patre enim inscio, monasticum amplexatus est institutum. Anno ab emissa solemni professione circiter quarto Vitembergam studiorum caussa profectus, post consuetos academicos actus, lauream obtinuit doctoralem. Sed quum in Erfordiensi coenobio commoraretur, infaustum jam dederat ingenii sui omen. Talia quippe per quatuor illos annos sub singularis pietatis specie gerebat, ut illius concellitae suspicarentur, Lutherum aut comitiali morbo laborare, aut occultum habere cum nefario spiritu commercium. Nec vana prorsus illorum suspicio fuit. Nam an. 1517. quum Leo X. summus Pontifex indulgentias pro Crucis praedicatione adversus Selimum Turcarum imperatorem profunderet, illarumque promulgationem demandasset Cardinali Alberto, a quo ea provincia commissa fuit Joanni Tetzelio ordinis praedicatorum, contra quam vellet Martinus Lutherus, hac, inquam, arrepta occasione, virus quod jamdiu gestabat in corde vomens, contra indulgentias, sacramenta, justificationem, liberum arbitrium, Romani Pontificis auctoritatem voce et scripto furere ac debacchari coepit, renuente licet, non favente Staupitio Saxonicae provinciae antistite, ut ex regestis illius aetatis, quae in archivio S. Augustini de Urbe adhuc asservantur, apertissime constat. Primum opus a Luthero adversus indulgentias aliaque catholicae fidei dogmata editum, fuit epistola ad Cardinalem Albertum Archiepiscopum Moguntinum, ad cujus calcem 97. adtexuit conclusiones, quas non expectato responso publice propugnandas exposuit Vitembergae. Una ex illis propositionibus haec erat: *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et dum facit, quod in se est, peccat mortaliter,* (quam conclusionem iterum publice sustinendam exposuit Heidelbergae) estque articulus 36. inter unum supra quadraginta damnatos a Leone X. Anno sequente 1518. ad concilium provocavit; et an. 1519. celebrem habuit cum Joanne Eckio disputationem, in qua, ut narrat Ulembergius in vita Luthe-

ri cap. 4., primitus *actum est de gratia, libero arbitrio, et bonis operibus; atque Eckius adversarium vel adduxit, vel adegit, ut contra quam in thesibus asseruerat libero arbitrio per Dei gratiam excitato partes suas in operibus bonis exsequendis concederet*. Sed ad id confitendum, non adductus, sed adactus revera fuit Lutherus. Nam post eam habitam disputationem, adversus Erasmum Rotherodamum librum scripsit de *servo arbitrio*, innumerisque in locis affirmavit, liberum arbitrium esse titulum sine re, aut de solo nomine, proindeque praecipere Deum impossibilia. Pleraque Lutheri deliramenta adscivit subinde Joannes Calvinus celebris et ipse haeresiarcha. Natus hic est Novioduni in Picardia VI. id. jul. anno 1509. patre Gerardo Chauvino, procuratore et Episcopi actuario, matre Joanna Franka, utroque catholico. Missus est studiorum caussa Lutetiam, et Richardo patruo fabro ferrario commendatus, praeceptorem habuit Maturinum Corderium. Audivit deinde in philosophia celeberrimum Hispanum professorem, tum ecclesiasticae militiae nomen dedit, duobus ab Episcopo Noviodunensi obtentis ecclesiasticis beneficiis. Sed mutato consilio animum ad jurisprudentiae studium applicuit Aureliae sub Petro Stella; quo tempore, anno nimirum 1534., librum edidit, cui titulus *Psychopanniphia*, adversus eos, qui animas post hanc vitam ad usque judicii diem dormire effutiebant. Aurelia Avaricum Biturigum profectus, in disciplinam se tradidit Andreae Alciati Itali, jurisconsultorum illius aetatis facile principis. Calvinus adhuc catholicus erat. Sed posthac inita cum Melchiore Wolmaro Germano, specie tenus catholico, sed lutheranae theologiae principiis corrupto, amicitia, novae haereseos venenum paulatim absorbuit. Ob repentinam parentis mortem redux in patriam, ibi ac Lutetiae Parisiorum clandestinos habebat cum Lutheranis et Zuinglianis conventus. Novatoribus e Gallia pulsis, Basileam se recepit, librosque delineare coepit institutionum, hausta ex Oecolampadio, Philippo Melanctone, aliisque novis sectariis perniciosa doctrina, illosque an. 1535. aetatis suae 25. vulgavit, praemissa ad Franciscum I. regem christianissimum admodum eleganti praefatione. Ut famam sectae suae conciliaret, varia confecit itinera, et in Italiam veniens, partibus suis addicere conatus est Renatam Ludovici XII. Francorum regis filiam, et Herculis ducis Ferrariae uxorem. Ex Italia inquisitionis metu in Galliam regressus, Pictavi sedem fixit; illinc rursus discedens in Aquitaniam concessit; ex Aquitania Genevam, quae paullo ante catholicam abdicaverat fidem: inde tamen, quod contra Ferellum insurrexerit, expulsus, Bernam se contulit; indeque, quod Zuinglio obloqueretur, concitato in eum populo, fugit Argentoratum, ubi uxorem duxit, nullo unquam ex ea suscepto filio. Rediit tandem Genevam, ibique pastorem se fecit, atque innumeris contra catholicam religionem pestilentissimis editis libris, variis gravissimisque oppressus morbis decessit e vita die 26. Maii an. 1564. aetatis suae 55. nondum expleto. Si Calvini errores singillatim enumerare vellem, in infinitum abiret oratio. Quod ad praesens attinet institutum, et ipse cum Luthero liberum negavit arbitrium, affirmans in lib. II. institut. cap. 8. *Qui liberum arbitrium titulum sine re esse ajunt, Christum habent*

auctorem. Nonnulli illud discriminis Lutherum inter et Calvinum hac in caussa statuunt, quod ille doceret liberum arbitrium ad malum esse indeclinabiliter determinatum, ad bonum vero mere passive se habere, actum a Deo per gratiam productum recipiendo, sibique meritum comparando per extrinsecam meritorum Christi appellationem; e contra Calvinus, inquiunt, contendebat, hominem post peccatum amisisse quidem libertatem a necessitate, retinuisse tamen libertatem *spontaneitatis*, et a coactione: unde dogmatizabat hominem absque gratia necessario plane, sed sponte bonum operari. Ita sensisse Calvinum ex innumeris locis, et maxime ex lib. II. instit. cap. 8. constat. Puto tamen hoc ipsum sensisse quoque Lutherum, licet id durioribus, more suo, terminis expresserit. Nam in lib. de servo arbitrio expresse ait, *agere hominem necessitate immutabilitatis, sed sponte, et voluntate libenti*. Ut ut autem sit, utriusque haeresiarchae blasphemias damnavit sacra Tridentina synodus sess. VI. canone 4. his verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentiri, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit*. Et canone 5. addit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae lapsum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a sathana invectum in Ecclesiam, anathema sit*. Eadem can. 6. repetuntur.

Liberi arbitrii caussa post Tridentini concilii definitionem finita est. Sed revixerunt opera Michaelis Baii erroneae nonnullae opiniones. Hic quum in rebus ad gratiam et liberum arbitrium spectantibus veteres patrum loquendi formas, rejectis novis scholasticorum phrasibus, restituere vellet, novarum ipse opinionum visus est amans, praesertim circa liberum arbitrium, opera, justificationem, aliosque fidei articulos. Accidit autem ut inter illius discipulos ex ordine Minorum et alios ejusdem sodalitii monachos contentio non parva oriretur, dicentibus aliis Bajum in multis errare, aliis vero acerrime eum defendentibus. Ast Franciscani universam Baii doctrinam in octodecim capita distinctam ad sacram Parisiensem facultatem detulerunt, a qua singula illa capita prout exposita erant fuere damnata. Sed Baii defensores adversus censuram Parisiensem apologiam adornarunt. Evenerunt haec an. 1560. Anno autem sequente, accusato iterum apud Mechliniensem antistitem Bajo, tam magnae excitatae sunt turbae, ut Pius IV. necessarium duxerit utrique parti silentium imponere. His tamen non obstantibus, an. 1563. una cum Joanne Hesselio et Cornelio Jansenio interfuit Tridentino concilio ut Lovaniensis theologus. A concilio redux plura in lucem emisit volumina, de libero nimirum arbitrio, de caritate, de justificatione, de virtutibus impiorum, de sacramentis in genere, de forma baptismi, ob quae nova orta sunt dissidia. Qua de re Pius V., caussa ad se advocata, septuaginta novem ex illius operibus excerptas propositiones damnavit, suppresso tamen Michaelis Baii nomine. Quod ut cognovit Bajus, fidei suae apologiam mi-

sit ad summum Pontificem enixe rogans, ut bullam tanquam subreptitiam revocaret; quod tamen a summo Pontifice non obtinuit. Interim ad superos evocato Pio V., in Romana cathedra successor ei fuit Gregorius XIII.; qui, quum non deessent Lovanii damnatarum opinionum defensores, latam a praedecessore suo bullam alia, quae incipit *Provisionis nostrae*, confirmavit anno 1579., Lovaniumque misit Franciscum Toletum ad seditiones componendas. Hic statim Bajum a pravis illis opinionibus removere curavit; quod a viro pio aeque ac erudito non difficile obtinuit, doctrinam suam edito scripto explicante simul ac retractante. Baii scriptum ea occasione editum asservatur in nostra bibliotheca Angelica proprio ejus digito exaratum. Universa praeterea Lovaniensis academia Pontificis bullam adeo reverenter suscepit, ut legem tulerit, ne quis deinceps ad doctoratus lauream promoveretur, nisi jurejurando sponderet se Pontificis bullam observaturum. Pii V. et Gregorii XIII. censuram confirmavit deinceps Urbanus VIII.; sed jam obierat in pace Ecclesiae Bajus ab anno 1586. Propositiones illius ad gratiam et liberum arbitrium spectantes a Romanis Pontificibus proscriptae, sunt sequentes. Art. 39. *Quod voluntate fit, etiam si necessitate fiat, libere tamen fit*. Artic. 41. *Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato*. Artic. 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto, non concupisces*. Artic. 51. *Concupiscentia sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia*. Artic. 54. *Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit*. Art. 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Art. 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*. Plures alii sunt articuli, qui arbitrii evertunt libertatem. Quoad gratiam vero, in prioribus damnatis propositionibus diserte affirmat, primi hominis et Angelorum integritatem, atque immortalitatem, nec non humanae naturae exaltationem, non gratias, sed naturales dicendas esse conditiones. Unde artic. 1. inquit: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratiae*. Et artic. 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio*. Putavit insuper, nullum bonum opus dari posse in homine, in quo non esset gratia habitualis. Hinc artic. 17. scribit: *Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate*. Eamdem praeseferunt doctrinam artic. 63. et 64. Hinc deducebat, hominem peccatorem in omnibus semper peccare. *Omne quod agit peccator*, inquit artic. 35., *vel servus peccati, peccatum est*. Et artic. 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. Alios Baii errores ad praesens non pertinentes institutum omittimus. Animadvertendum interea censeo, sept. novem Baii propositiones a Rom. Pont. proscriptas non omnes fuisse eadem censura notatas. Pii enim V. censura sic habet: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, errone-*

as, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respective, et quaecumque super iis verbo et scripto emissa, praesentium auctoritate damnamus. Aliae igitur Baii sententiae sunt haereticae, aliae suspectae, aliae erroneae, aliae temerariae, aliae scandalosae, multaeque ex illis aliquo sensu sustineri possunt. Quod prudenter quidem, ac sapientissime a supremo Ecclesiae rectore observatum et dictum est. Nam aliquae ex Bajanis propositionibus iisdem fere verbis leguntur in Augustino, licet diverso penitus sensu. Et quum multae ex illis sint manifeste haereticae et erroneae, in ore Baii ob principiorum connexionem aut sensum patiuntur haereticum, aut saltem evadunt erroris suspectae: proindeque merito inquit Pontifex: *In sensu ab assertoribus intento*. Nonnullae praeterea in Bajo sunt propositiones, quae, utcumque spectentur, nullam plane merentur censuram, et nihilominus merito ac jure damnatae fuerunt; quoniam non satis fuit auctori propositiones illas asserere, sed praeterea contrarium sentientes tanquam Pelagianos aut impios carpere ausus est. Quare in hisce propositionibus damnatio non supra sententiam, sed supra censurae cadit acerbitatem, quum privato auctori minime liceat catholicorum dicta vel scita judicis virga notare, et pios doctosque viros traducere tanquam haereticos. Ejus generis sunt v. g. art. 30. 36. 37. Pares his alios invenies, quorum doctrina ab innumeris optimae notae theologis sustinetur. Sed quoniam non desunt theologi alii, qui contrarium sentiant, privatum non decebat auctorem tam acerba censura illos notare. Idcirco propositiones illae, quamvis in se verae, atque catholicae, merito fuere proscriptae. Sed de iis sermo suo loco redibit.

CAPUT XII.

De Cornelio Jansenio.

Cornelius Jansenius an. 1585. natus est Leerdami parvi Bataviae oppiduli ex catholicis piisque parentibus. Ultrajecti primitus puerilibus humanioribusque litteris operam dedit, tum philosophiam Lovanii in pedagogio Falconis didicit, ac denique theologiae vacavit in collegio Adriani VI. P. M. sub Jacobo Jansonio viro eruditione longe notissimo. Post assiduum annorum aliquot studium, quum in vitae periculum incidisset, medicorum consilio in Galliam proficisci coactus, per duodecim annos moras ibi trahens, eruditorum virorum, et Joannis praecipue Vergerii Bajonae canonici, et postea abbatis S. Cyrani, familiaritate usus, totum lectioni operum S. P. Augustini se dedit; ferturque, decies et amplius universos S. doctoris libros evolvisse, volumina vero ejusdem contra Pelagianos legisse trigesies a capite ad calcem. Lovanium revocatus, novo praeficitur collegio S. Pulcheriae, doctorisque lauream suscipit. Quumque ob morum gravitatem, ingentemque rerum sacrarum supellectilem, et linguarum grecae et hebraicae peritiam nominis illius fama longe lateque diffunderetur, a cunctis magni habitus, a suis delectus est ad disputandum pro catholicis adversus Calvi-

nistas ministros Silvaeducenses, et a Lovaniensi academia ter orator ad Hispaniarum regem missus, ut nonnullas ejusdem academiae extricaret difficultates, quae omnia feliciter est executus. Ab rege Hispaniarum, quod jura ejus contra Galliarum regem celebri libro, cui titulus: *Mars Gallicus*, strenue defenderit, vindicaverit, sacrarum Scripturarum in Lovaniensi universitate professor primitus creatus est, tum electus Episcopus Yprensis Ecclesiae. Majorem adhuc sibi comparavit in episcopatu famam, tum ob illius in Pentateuchum commentarios, tum ob christianarum virtutum exercitium. Jamdiu magnum de humanae naturae sanitate, aegritudine, ac medicina contra Pelagianos et Massilienses inceperat opus, illudque extrema manu expoliverat postremis vitae suae diebus, titulum ei praefigens: *Augustinus, seu doctrina S. Augustini*, animo illud edendi. Sed quum graviter morbo oppressus decumberet, atque vicinam mortem aspiciens opus suum vulgare non posse praeviderit, onus illud edendi testamento legavit Reginaldo Lameo. Omnia interim scripta sua Ecclesiae ac Romani Pontificis judicio, tanquam docilis filius, humiliter subjiciens, in ejusdem Ecclesiae communione extremum diem clausit an. 1638.

Vix *Augustinus* Jansenii lucem aspexit, cum novae rixae, novique exorti sunt tumultus. Alii affirmabant confixos Baii errores in eo opere revocari. Alii caeco quodam impetu Jansenii doctrinam propugnabant. Unde eo res tandem venit, ut e Belgio in Gallias rumores propagati, ad Urbanum VIII. Rom. Pont. delati sint, qui ingruenti malo obviam ire volens, bullam edidit, quae incipit: *In eminenti*, qua Pii V. et Gregorii XIII. decreta confirmans, Jansenii opus de gratia, quod contra Apostolicae sedis sub Paulo V. statuta ibi de divinis auxiliis ageretur, tuerenturque nonnullae Baii propositiones, proscripsit. Qui partibus studebant Cornelii Jansenii, ne se praedamnatos fuisse in Bajo faterentur, mussitare coeperunt, Urbani bullam esse subreptitiam, frigidas ad id demonstrandum afferentes rationes. Quod quum ad summi Pontificis aures pervenisset, datis ad Episcopos, academias, aliosque graves viros Apostolicis litteris, pro suae constitutionis observantia constantissime institit; quam facultas theologica Lovaniensis statim, et absque ulla animi haesitatione reverenter acceptavit. Aliquid amplius egit facultas Parisiensis. Nam per theologos ad hoc specialiter deputatos quinque ex Jansenii opere excerptas propositiones theologica censura notavit. Eaedem dein quinque propositiones ad summum Pontificem Innocentium X. delatae sunt, ut illas Apostolica auctoritate proscriberet. Factum est hoc anno 1650. Illico Romae institutum est circa quinque Jansenii propositiones judicium, et anno 1653. promulgata fuit damnationis bulla, quae incipit: *Cum occasione impressionis*.

Interim Innocentii constitutio allata in Galliam recipitur, et quinque Jansenii propositiones rejiciuntur. Sed non multo post novae rixae, et nova circa celebrem juris et facti quaestionem oriri coeperunt dissidia; iis, qui nimis Jansenii partibus addicti erant, contendentibus merito quinque propositiones fuisse ab Innocentio damnatas, illas tamen in Jansenii libro aut non inveniri, aut diverso prorsus sensu fuisse ab auctore prolatas, contra-

rium aliis sentientibus. Hinc Alexander VII. Innocentii successor novam edidit bullam an. 1656., cujus initium: *Ad sanctam B. Petri sedem*, qua damnatos iterum proscripsit errores, eosque *in sensu ab eodem Cornelio intento* damnatos fuisse declaravit, contrarium sentientes appellans *filios iniquitatis*. Anno autem 1664. aliam idem Pontifex exaravit constitutionem, quae incipit: *Regiminis Apostolici*, per quam confixos jam errores in sensu a Jansenio intento iterum damnat, ac juramenti formulam praescribit ab omnibus Gallicanis clericis ad aliquam dignitatem promotis vel promovendis subscribendam. Illa autem juramenti formula his continetur verbis: *Ego N. constitutioni Apostolicae Innocentii X. datae die* 31. *Maii an.* 1653. *et constitutioni Alexandri VII. datae die* 16. *Octobris an.* 1656. *summorum Pontificum me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout per illas praedictas constitutiones sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, damno; et ita juro*. Pontificiae formulae huic subscripsere multi, multi subscribere detrectarunt; nec defuere, qui *obsequiosi silentii* praetextu subscribendo ausi sunt pejerare, unum profitendo ore, aliud corde tenendo. Cui malo occurrere volens Innocentius XII. an. 1694. constitutionem edidit, quae incipit: *Nuper ex litteris*, ad multos Belgii Episcopos directam, in qua prae ceteris habet: *Praecipimus, ut ii, qui ad jurandum adigendi sunt, illud praestare debeant sincero animo, absque ulla distinctione, seu expositione damnantes eas propositiones ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba praeseferunt, prout sensum illum damnarunt Pontifices praedecessores nostri*. Rursus prohibet ibidem, ne quis traducatur *invidioso nomine Jansenismi, nisi prius suspectum esse constiterit, aliquam ex his propositionibus docuisse, ac tenuisse*.

Quinque autem propositiones a summis Pontificibus in Jansenio damnatae sunt sequentes. I. propositio. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia. Deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*. Censura: *Temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et haeretica*. II. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur*. Censura: *Haeretica*. III. *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*. Censura: *Haeretica*. IV. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare*. Censura: *Falsa et haeretica*. V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, vel sanguinem fudisse*. Censura: *Falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica*.

CAPUT XIII.

Quid Alexander VII. damnando quinque propositiones in sensu a Jansenio intento sibi voluerit.

Incredibili animorum contentione quaestio haec inter recentiores theologos agitata est: an scilicet Alexander VII. quinque famosas propositiones jure damnaverit in sensu a Jansenio intento. Sed tanti momenti quaestio mihi certe non videtur, modo quid summus Pontifex illa sibi phrasi voluerit, probe et accurate percipiatur. Equidem supremus Ecclesiae rector in catholicae fidei cathedra sedens, legibus atque doctrina commissas sibi oves regit et pascit, ac ingruentes in gregem lupos arcet. Ipsius est, novis emergentibus erroribus, docere fideles, quid tenendum sit quidve repudiandum. Hoc satis superque pro munere eorum praestiterunt Innocentius X., et Alexander VII. dum, pullulantibus Jansenianis erroribus, statim e Petri cathedra clamarunt: *Haereticum est dicere, Dei praecepta esse impossibilia*: *Gratiae interiori in statu naturae lapsae non posse resisti*: *Ad merendum vel demerendum in statu naturae corruptae non requiri libertatem a necessitate, etc.* Hanc proculdubio vocem omnes vereri ac venerari tenebantur; quum ea sancti illi praesules fideles Ecclesiae doctrinam docuerint, erroresque germinantes evellere intellexerint e radicibus. Inquies fortasse: Ast Romanus Pontifex errores proscripsit in sensu a Jansenio intento. Recte inquis. Sed numquid S. Pontifex ea phrasi intellexit, quod fideles, ut sensum noscant, quo propositiones haereticas declaravit, Jansenii scripta attenta manu evolventes, variosque inter se conferentes textus, sensum, quo suas Jansenius protulit propositiones, percipiant et assequantur? Nullo modo. Immo damnans summus Pontifex Jansenii propositiones, ejusdem scriptorum prohibuit lectionem. Non hoc ergo intellexit, ut ex toto Jansenii contextu damnatarum propositionum sensus erui debeat; alioquin nec satis perspicue Ecclesiae doctrinam fidelibus propinasset, nec contentionibus litibusque finem imposuisset. Quin ergo Jansenii ingens opus evolvamus, et varia illius perscrutemur et ad invicem conferamus testimonia, quid in Jansenio damnatum sit, quid credere et tenere debeamus, ex damnatis ipsis propositionibus indubitata fide scimus.

Hoc ideo potissimum dixi, ut ostendam, quam irrationabiliter quidam saepe objiciant, doctrinam nostram fuisse in Jansenio proscriptam. Quod ut suadeant, multos congerunt Jansenii textus, ex quibus patere dicunt, non in sensu, quem prima fronte exhibent, sed in sensu eodem, quem Augustini discipuli tenent, suas illum protulisse propositiones. Ast a veritate quam longissime aberrant. Nam demus nunc istis, alibi Jansenium veram admisisse in homine justo possibilitatem ad omnia divina mandata servanda, nec gratiam ad ea servanda deesse. Demus quoque in damnata propositione veram non intellexisse impossibilitatem, et ita de reliquis propositionibus. Quid ad nos vel contra nos? Numquid totum Jansenii opus, ad perscrutandum quid impossibilitatis nomine intellexerit, evolvere debemus? Ne-

dum hoc non debemus, sed immo nobis vetitum est. Satis itaque nobis est scire, Ecclesiam proscripsisse in Jansenio, impossibilia esse divina praecepta. Unde quoties nihil nos asseramus, ex quo erui haec impossibilitas possit, securi erimus ab illa doctrina recedere, quam Ecclesia damnavit. Sed inquiunt iterum Augustinianae scholae adversarii. Propositio haec: *Impossibilia sunt divina praecepta*, damnata est in sensu Jansenii. Hic autem illam eamdem admittit possibilitatem, quam Augustiniani admittunt. Unde divinorum possibilitas mandatorum prout ab Augustinianis explicatur et ipsa damnata est. Oh quam bellum ratiocinium! Damnata est in Jansenio impossibilitas, non possibilitas Dei praeceptorum. Quod si Jansenius scripserit alibi, praecepta Dei esse possibilia, damnatus est ubi ea dixit impossibilia, non ubi appellavit possibilia. Si vero Jansenius sibi in suo opere contradicat, numquid pro ipso respondere debemus? Quod si denique ille admittat in homine possibilitatem ad Dei servanda mandata, et subinde eadem Dei praecepta dicat impossibilia, num fortasse minus erravit? Immo erravit dupliciter. Erravit nempe asserendo praecepta Dei esse impossibilia, et pessimus fuit theologus; erravit negando eadem praecepta esse possibilia homini, cui ad ea servanda dabat possibilitatem, et fuit pessimus logicus. Quidquid autem ex his dicatur, condemnetur, prout lubet, Jansenius. Nos illius caussae non patrocinamur, nec quidquam ad nos de ipso pertinet; privatus quippe erat theologus. Sat nobis sit, praecepta Dei (id ipsum de reliquis dicendum propositionibus) juxta Ecclesiae doctrinam fateri possibilia, et proscriptam de medio tollere impossibilitatem.

Sed quid tandem ea verba, laudatas quinque propositiones *in sensu a Jansenio intento* esse damnatas, significant? Equidem significare non póssunt, propositiones in eo sensu fuisse damnatas, quem Jansenius mente et corde tenebat. Quis enim Jansenii cor scrutatus est? Solus Deus scrutatur corda et renes. Neque significare possunt, in eo sensu fuisse proscriptas, qui ex totius libri Jansenii lectione, et ex omnium collatione textuum colligi potest; alioquin sciscitanti, quo sensu Ecclesia propositionem asserentem v. g. praecepta Dei esse impossibilia damnaverit, recte responderetur: Eo sensu, quo illam protulit Jansenius. Tunc locus esset alteri interrogationi. Et quonam sensu protulit illam Jansenius? Ac respondendum esset: Lege Jansenii satis grande volumen, confer secum invicem textus, et Jansenii reperies sensum. At Ecclesia illius voluminis inhibuit lectionem. Quomodo igitur Jansenii sensum rimabimur et assequemur? Et quamvis Jansenii lectio vetita non foret, quot hinc exsurgerent difficultates et quaestiones? Dissident inter se theologi in unius Augustini vel Thomae textus intelligentia, et post multa dissidia atque contentiones, quilibet sibi faventem textum existimat, canitque triumphum. Quot proinde dissensiones in integri voluminis intelligentia orirentur? Quilibet vel minimus e schola theologus Jansenii librum sibi licitum existimaret evolvere, verbis illius sensum tribuere, quem proprium ingenium ac partium studium dictarent, nec non talem vel talem sensum proprio marte Jansenio affictum praedicaret esse damnatum. Interea fideles inter varia scholarum theologorumque placita animo

haerentes, et quid crederent nescirent, et propriae fidei dogmata adhuc ignorarent. Quod quidem valde absurdum est, et a perspicuitate ac simplicitate, qua dogmata fidei filiis suis Ecclesia proponere debet et solet, omnino alienum. Sensus itaque illorum Alexandri VII. verborum alius penitus est. Illum enim luculentissimis terminis proponit nobis et explicat Innocentius XII. asserendo ac definiendo, Jansenii propositiones damnatas esse *in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba praeseferunt*. Legamus ergo propositiones; et, nisi verborum significatio a nostra exciderit memoria, quin integrum illudque satis grande Jansenii opus perscrutemur, sciemus in illis damnatam esse doctrinam, quam earum verba, prout sonant, significant. Neque interpretatio haec nostra violenta est, ut quidam blaterant. Nam non modo ex verbis ipsis Innocentii XII. resultat, sed praeterea etiam Clemens XI. ita praedecessorum suorum censuram intellexit. In constit. enim, quae incipit, *Vineam Domini*, bullas Innocentii X. et Alexandri VII. confirmans, inquit: *Damnatum in quinque propositionibus Jansenii libri sensum, quem illarum verba praeseferunt, ab omnibus Christifidelibus non ore solum, sed et corde, ut haereticum rejici, et damnari debere*.

Sed cur, inquis, dixit summus Pontifex: *In sensu ab auctore intento?* Ast quaeso te, quinam est verborum sensus, nisi sensus auctoris? Et iterum quinam est sensus auctoris, nisi quem ipsius exprimunt verba? In humana societate verba instituta sunt ad animi exprimenda ac manifestanda sensa. Id quilibet sentire dicitur, quod verbis ostendit atque manifestat; nec alicui verborum fas est significationes invertere, aut consueta verba ad aliud explicandum insolita usurpatione detorquere. Si quis dicat, praecepta Dei esse impossibilia, inepte se ab erroris censura defendet, si per illam propositionem se asseverare intendisse diceret, praecepta Dei esse possibilia. Qua de re, quum Jansenius dixerit, aliqua praecepta Dei esse impossibilia, atque verba haec doctrinam exprimant sacris Scripturis sanctisque patribus contrariam, et non multo ante in Luthero atque Calvino anathemate confixam, jure meritoque fuit ipsius propositio proscripta, et in ejus quidem sensu; quum id quisque, ut diximus, sensisse praesumatur quod verbis expressit.

Quod si quis rursus addiderit, solitos semper fuisse theologos sanctorum patrum dicta, ubi aequivoca sint, perscrutari, et ex antecedentibus ac consequentibus, aut ex textibus alibi prolatis verum illorum figere sensum, facile cavillatio exsufflatur animadvertendo, quod non modo theologi, sed et Ecclesia ipsa eam defert sanctis patribus reverentiam, ut si in aliquo minus accurata loquuti dubium referant sensum, et talem quandoque, qui primo intuitu videri possit erroneus, eorum verba benigna explicatione emollit, et ad sanum reducit sensum. Sed ideo tam magnum patribus exhibetur obsequium, quoniam ob eorum in Ecclesiam praeclara merita magna illorum dictis debetur veneratio. Et praeterea, quum multi ex patribus ante exortas haereses floruerint, non est ab illis exactissima et castigata locutio exigenda in iis, quae vel adhuc erant obscura, vel e

contra adeo clara et omnibus manifesta, ut, quamvis ambiguas usurparent locutiones, eorum sensus ab omnibus prorsus agnoscebatur. Immo et illis foret ignoscendum, etiam si errassent in aliquo, quod ab Ecclesia nondum erat definitum. Ast haec reverentia, quae sanctis debetur patribus, non debetur privato auctori, Jansenio potissimum, qui post Lutheri, Calvini, Baii damnatos errores scribens, tenebatur luculentioribus verbis propriam exprimere mentem, easque vitare verborum ambages, quae sensum damnatis erroribus affinem referre valerent.

Id unum jam dictis video mihi posse reponi, videlicet, quod quum Pius V. errores Baii ex aequo damnet in sensu ab assertore intento, uti Alexander VII. in sensu Jansenii, cur illius propositiones explicare juxta mentem auctoris satagimus, istius vero explicamus juxta obvium sensum verborum? Sed latissimum apparet attendenti discrimen. Namque 1. Innocentius XII. ac Clemens XI. nos docuerunt, in Jansenianorum errorum damnatione Alexandri VII. verba importare idem, ac *juxta sensum obvium, quem ipsamet verba praeseferunt*. 2. Pius V. in Baii condemnatione apertissime inquit, aliquas illius propositiones posse suo sensu sustineri; ac proinde duplicem in illis agnoscit sensum, catholicum unum, alterum erroneum. Porro erroneum illum esse dicit, qui ex auctore deducitur; atque idcirco onus reliquit theologis, ut Baii sensum exquirerent. Nec tamen minus clare Ecclesiae doctrinam fidelibus proposuit; quum absque operum Baii examine ex sola damnatorum articulorum lectione, quinam sit sensus ab auctore intentus et ab Ecclesia proscriptus, discerni facile queat. 3. Pius V. non aequali censura articulos Baii notavit; alios quippe dixit haereticos, alios suspectos, alios in pias aures offensionem immittentes. De articulis haereticis non opus est Baii mentem scrutari. Idem est de istis judicium, ac de Jansenii propositionibus quinque. Ast de articulis suspectis, ad suspicionis indagandum fundamentum, nonne opus est mentem auctoris rimari? Quod enim in uno omni carere potest suspicione, in alio suspectum evadit ex principiis ejus. Sic eadem propositio, quae in Bajo ob doctrinae suae connexionem ut suspecta damnatur, in auctore, quem nullus sinistrae opinionis rumor aspersit, probatur ut catholica. 4. Sunt quoque in Bajo propositiones offensionem aliis dantes ob adjunctam censurae acerbitatem; et ea de caussa fuere proscriptae. In istis autem non obvia dumtaxat propositionis est attendenda significatio, sed adnexa praeterea censura, quae si dematur, offensione sublata, propositio sano sensu constabit. 5. Mitius postremo Pius V. agere voluit cum Bajo, illiusque sententias non peculiari damnans censura, multa theologis investiganda reliquit. Innocentius vero X. et Alexander VII. singulas Jansenii propositiones tanquam haereticas proscribentes, Ecclesiae sensum in omnibus luculentissime exposuerunt; proindeque nihil inquirendum superest circa mentem Jansenii. Quare dum ab adversariis ad scrutandam Jansenii mentem ipsiusque opera evolvenda provocamur, facile est ab hisce se ambagibus liberare, respondendo, Jansenii propositiones damnatas fuisse in obvio sensu verborum; et nihil quid auctor alibi scripserit curando, satis erit ostendere, nos ab obvio proposi-

tionum sensu longe recedere. Hac methodo gravissimi complures theologi ab impacta Jansenismi calumnia se vindicant. Immo hanc ipsam a nobis mox allatam expositionem approbant etiam illi, qui prae reliquis Augustinianae scholae adversantur. Pro omnibus afferre sufficiat Dominicum Viva, qui in sua trutina Quesnelliana ita scribit: *Quinque propositiones ex libro Jansenii excerptae in sensu obvio confixae sunt, quem ipsamet verba exhibent, ac praeseferunt ... Adeo ut immerito, et per summam injuriam, ac per elusionem tantum inquiri possit, in quonam sensu eas Pontifex proscripserit. Siquidem, spectato obvio ac proprio verborum sensu, nulli subsunt aequivocationi, nec possunt benignam ullam interpretationem admittere, nec opus est ex aliis ejusdem auctoris assertionibus eorum intentum expiscari*. Ita habet p. Viva in anacephalaeosi refutationis thesis primae Quesnellianae. Quae licet ab eo scripta sint adversus illos, qui ex aliis et aliis Jansenii assertionibus per totum sparsis volumen suadere contendunt, immerito famosas quinque propositiones a summis Pontificibus fuisse damnatas, nihilominus ad rem nostram, ut ex hactenus dictis apparet, quam maxime faciunt. Scriptor tamen ille in operis sui decursu hac certissima regula ab ipso prius approbata parum aut nihil utitur.

CAPUT XIV.

De Paschasio Quesnellio.

Paschasius Quesnellius novissimus auctor est, qui de libero hominis arbitrio non satis recte sensisse apparet. Natus est is Parisiis anno reparatae salutis 1633. Admodum juvenis, anno nimirum 1657., atque aetatis suae 24. congregationem ingressus est Oratorii SS. nominis Jesu a Cardinali Berullo institutam; quam subinde deserere coactus est an. 1678. quod formulae juramenti ab Alexandro VII. in caussa Janseniana praescriptae subscribere noluerit, cui omnes ejusdem congregationis presbyteri subscribere jussi fuerant. Erat ille ita novitatum amator, ut in iis etiam, in quibus catholice sentiebat, novarum vocum delectaretur usurpatione. Jam ab anno 1676. dissertationes in omnia S. Leonis M. opera ediderat, in quibus de summi Pontificis potestate non recte scribit. Unde proscriptum fuit Romae opus, et ab eruditissimo ordinis nostri scriptore Christiano Lupo confutatum in libro de appellationibus. Antehac, anno scilicet 1671., aliud vulgaverat volumen, cui titulum fecerat: *Compendium Evangelicae moralis*, seu Gallice, qua lingua scriptum fuerat: *Abrege de la Morale de l' Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, e de l' Apocalypse, ou pensees Chretienes sur le Texte des ces livres sacrez ec.*, idemque postea an. nempe 1677. edidit duobus tomis auctum, divisumque tribus voluminibus cum hoc titulo: *Le noveau Testament en Francois avec des reflexions morales sur chaque verset ec.* In his voluminibus multa Quesnellius sparsit tum contra fidem, tum contra ecclesiasticam ac politicam potestatem. Innumera tamen

ibi pietatis specimina invenies, quae utrum ad decipiendos simplices, an recto fine id praestiterit, ille novit, qui scrutatur renes et corda. Ut novum illud opus in lucem prodiit, multorum subiit indignationem, arbitrantium, damnatos jam Baii ac Yprensis Episcopi errores ibi renovari. Delatum proinde ab orthodoxae fidei zelatoribus, et a nonnullis Galliarum praesulibus Clementi XI. Romano Pontifici, damnatum ab eo fuit an. 1708. Sed iisdem instantibus Galliarum Episcopis, ut excerptas ex libro propositiones expressius configeret, celebrem vulgavit constitutionem, quae incipit: *Unigenitus Dei Filius*, qua una supra centum Quesnellii propositiones damnantur. Quamvis constitutio haec debita fuerit reverentia a pluribus recepta Episcopis theologicisque academiis, non defuere tamen, et in Gallia praesertim, qui ab ea ad futurum appellavere generale concilium; unde vulgari nomine *Appellantes* vocari coeperunt. Primi appellantium fuerunt quatuor Episcopi, Petrus nimirum Mirapicensis, Joannes Senecensis, Carolus Joachim Monspessulanus, et Petrus Boloniensis, quibus statim adhaeserunt Hyppolitus Episcopus Verdunensis, Joannes Baptista Episcopus Apamiensis, nonnullique alii gallicani praesules, academiae, privatique doctores, affirmantes, multas ex damnatis in ea bulla propositiones inveniri in terminis vel in Scriptura, vel in Augustino, multasque alias in sensu damnatis opposito esse apertissime haereticas. Hinc jurgiis atque dissidiis turbari coepit Ecclesia.

Sed gliscenti malo occurrere statim curavit idem supremus Pastor, litterasque ad universos fideles dedit, quarum initium *Pastoralis officii*, adversus eos, qui constitutioni *Unigenitus* debitam recusaverant hactenus praestare obedientiam, aut recusaverint in posterum. Verum iidem Episcopi, academiae, doctores, ecclesiastici, aliique plures regni Galliarum, qui a bulla *Unigenitus* appellaverant ad generale concilium, appellaverunt etiam a litteris *Pastoralis officii*; ac ille contraditionis spiritus, qui Gallos ea occasione invasit, adhuc, dum haec scribimus, penes nonnullos perseverat; seque ab ea constitutione *suscipienda retardari affirmant*, *eo quod* suspicentur *per illam damnari sententias atque doctrinas*, *quas insignes catholicorum scholae absque ulla censura hactenus tenuerunt ac tradiderunt*, ut idem Clemens in praefatis litteris loquitur. Sed decipiuntur apertissime. Quod ut manifestum fiat, satis sit animadvertere, non omnes Quesnellii propositiones fuisse aequali censura notatas. Legamus verba in bulla *Unigenitus* expressa, in qua summus Pontifex post allatas Quesnellii propositiones ita loquitur: *Omnes, et singulas propositiones praeinsertas tanquam falsas, et captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis, et haeresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam haereticas, variasque haereses, et potissimum illas, quae in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae dam-

natae fuerunt, *acceptis*, *continentur*, *manifeste innovantes*, *respective hac nostra perpetuo valitura constitutione declaramus*, *damnamus*, *et reprobamus*. Non ergo omnes Quesnellii propositiones sunt haereticae; ac proinde apertissime errant, qui in omnibus illis propositionibus, prout sonant, haeresim invenire conantur. Multae etiam ex illis damnatae sunt, uti de haeresi suspectae; atque idcirco opus est, sicut de propositionibus Baii diximus, illas ad alias ejusdem auctoris propositiones, quae sunt haereticae, referre, quum ob connexionem, quam illae cum istis habent, suspectae reddantur haeresis. Hinc Dominicus Viva operam ludit, dum in anacephalaeosi ac trutina Quesnelliana totus est, non tam in Quesnellii erroribus ex communi et inconcussa Ecclesiae doctrina refutandis, quam in tuendis suae scholae sententiis ex Quesnellii condemnatione. Sed nec Quesnellium uti oporteret impugnat, nec scholae suae corroborat opinationes. Non enim ideo Quesnellius damnationem promeruit, quod cum patris Viva schola non sentiret; nec minus quidquam intendit summus Pontifex Quesnellium damnando, quam Molinistarum scholae placita confirmare. Immo in litteris *Pastoralis officii* de nonnullis Galliarum Episcopis conqueritur, quod acceptare renuant constitutionem *Unigenitus* sub ementito praetextu, *quod suspicentur per illam damnari sententias atque doctrinas*, *quas insignes catholicorum scholae absque ulla censura tenuerunt ac tradiderunt*. Et quoniam christianae pacis et charitatis perturbatores etiam post Clementis XI. mortem non destiterunt jactare, per bullam *Unigenitus* proscriptam fuisse Augustinianae ac Thomisticae scholae doctrinam, Clemens XII. in suo Brevi an. 1733. quod incipit: *Apostolicae providentiae officio*, reprehendit *intollerabilem eorum pertinaciam*, *qui etiam nunc contendunt*, *censuris latis in constitutione Unigenitus doctrinam SS. Augustini*, *et Thomae de divinae gratiae efficacia esse proscriptam*. Abeant ergo Augustini et Thomae obtrectatores, et horum illustrium doctorum nomina ac doctrinam revereantur.

Sed ad rem nostram redeamus, ac praecipuos Quesnellii errores, qui ad hanc spectant de gratia et libero arbitrio tractationem, recenseamus, ut earum propositionum, quae ob connexionem, quam cum damnatis erroribus habent, sunt proscriptae, sensus clarius atque facilius cognosci possit. I. Quesnellius igitur nullam in peccatore agnoscit bene agendi facultatem; immo omne ipsius opus vitiatum reputat a dominante cupiditate. Habetur hoc expresse in prima propositione, quae est hujusmodi: *Quid aliud remanet animae*, *quae Deum atque ipsius gratiam amittit*, *nisi peccatum*, *et peccati consecutiones*, *superba paupertas*, *et segnis indigentia*, *hoc est*, *generalis impotentia ad laborem*, *ad orationem*, *et ad omne opus bonum*? II. Nullam admittit gratiam, nisi efficacem, qua sublata, existimat tolli non modo opus bonum, sed etiam bene agendi potentiam. Patet id ex secunda illius propositione hisce verbis expressa: *Jesu Christi gratia*, *principium efficax boni cujuscumque generis*, *necessaria est ad omne opus bonum*: *absque illa non solum nihil fit*, *sed nec fieri potest*. III. Nullam in omnibus, qui extra Ecclesiam sunt, gratiam agno-

scit. Unde consequitur, neminem extra Ecclesiam posse converti: *Extra Ecclesiam*, inquit prop. 29., *nulla conceditur gratia*. IV. In impiis ante peccatorum remissionem nullam aliam gratiam admittit. Hinc liquido fluit, nullum opus bonum agere eos unquam posse. Ita namque scribit prop. 28. *Prima gratia*, *quam Deus concedit peccatori*, *est peccatorum remissio*. V. Omnem tollit libertatis indifferentiam, asserens, hominem a gratia necessitari ad bonum; absque gratia autem necessitate compelli a praedominante cupiditate. Doctrina haec continetur propositionibus 38. 39. et sequentibus, et patet etiam ex prop. 21. 22. et 23., in quibus gratiam comparat divinae omnipotentiae operanti miracula, filium suum resuscitanti, mortuos revocanti ad vitam etc. in quibus nulla datur libertas. Immo qui creantur, aut revocantur ad vitam mere passive se habent. Ex his, quae breviter modo exposui, erui facile potest, quae fuerit Quesnellii mens in suis operibus, quinam summi Pontificis in illis proscribendis scopus. Alios etiam docuit errores, quorum commemorationem omitto, quum ad praesens non spectet institutum.

Quae quum ita sint, acquiescere omnino debebant Ecclesiae filii, in Gallia praesertim, ubi Quesnelliana doctrina ortum habuerat, constitutioni *Unigenitus*, a Clemente XI. editae, litibusque atque dissidiis finem imponere. Sed non defuere filii iniquitatis, discordiarum fautores, qui modo sub uno, modo sub alio praetextu novas in dies ad Ecclesiae pacem turbandam lites excitarunt. Idcirco primi ac secundi ordinis pastores ad compescendos tumultus bene factum existimarunt, ut iis, qui constitutionem *Unigenitus* acceptare, ac juramenti formulae ab Alexandro VII. editae subscribere detrectabant, Sacramenta Ecclesiae, tanquam refractariis, denegarent. Sed quoniam etiam in hac infligenda poena, alioquin per se justa, prudentia non raro desiderabatur, (saepe enim denegabant illa mulieribus et idiotis, quod rerum theologicarum jejuni subscribere nollent, quandoque etiam aliquibus ad creandam fortasse invidiam) tot tantaque passa est Ecclesia scandala, ut denique Galliarum rex Ludovicus XV. coactus fuerit ad Benedictum XIV. confugere, ut tumultus auctoritate sua in Gallia compesceret. Quod christianissimus princeps an. 1755. praestitit, litteris cleri gallicani in generalibus regni congregati comitiis suas conjungens. Anno sequente 1756. die 16. octobris sanctissimus Pontifex epistolam Encyclicam ad S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos, et Episcopos regni Galliarum in cleri gallicani comitiis congregatos, dedit sapientia et auctoritate plenissimam, quae incipit: *Ex omnibus christiani orbis regionibus*. Ea autem regis nomine publicata, pax universo Galliarum regno restituta est. Atque pauca haec de Quesnellio pro instituti nostri ratione attigisse sufficiat. Qui plura de hoc argumento desiderat, adeat cl. Laurentium Berti in sua pro Augustiniano systemate apologia diss. VI. cap. 3.

CAPUT POSTREMUM.

De auctoritate S. P. Augustini magni Ecclesiae doctoris in quaestionibus pertinentibus ad gratiam et praedestinationem.

Non pauci certe fuere, praesertim inter haereticos, qui rationi et proprio ingenio indulgentes S. Augustino bellum indixisse visi sunt. Sed qui ceteris impudentius calamum in eximium Ecclesiae doctorem acuit, ille proculdubio est, qui sub larvato Launoji nomine eum erroris ac novitatis accusare non dubitavit. Quamvis, pessimo ejus libro ab Apostolica sede proscripto, meritas poenas exsolverit, juvat nihilominus, ut tanti viri, qualis Augustinus erat, auctoritas totis viribus defendatur ac propugnetur. Quod ut pro dignitate praestemus, varia momenta certo ordine distributa in medium afferre operae pretium ducimus. Unde sit

MOMENTUM I.

Ex consensu Ecclesiae.

Sancta universalis Ecclesia magni Augustini doctrinam atque labores contra Pelagianos et Semipelagianos dimicantis suspiciens, gavisa est, seque in Augustini persona contra superbissimos haereticos pugnasse ac vicisse non semel professa est. Testatur id in primis S. Prosper adv. collatorem cap. 2., ubi ita scribit: *Viginti amplius anni sunt, quod contra inimicos gratiae Dei catholica acies ejus viri (Augustini) ductu pugnat, et vincit; vincit, dico, quia non patitur respirare quos vincit, et in quorum excidium unam cunctorum sacerdotum manu scripsit sententiam.* Et in ep. ad Rufinum affirmat, *Romanam, Africanamque Ecclesiam, et per omnes mundi partes universos promissionis filios cum doctrina hujus viri, sicut in tota fide, ita in gratiae confessione congruere.* Hormisdas R. P. in ep. ad Possessorem inquit: *De libero tamen arbitrio et gratia Dei quid Romana, hoc est, catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium, abunde possit cognosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Paria habent et alii sancti Pontifices, quorum testimonia sequente momento recitabimus. Hinc Ecclesia in officio Augustino sacro, et in festivitate S. Ambrosii appellat illum *maximum atque clarissimum Ecclesiae lumen, et tam multa pie, subtiliter, ac copiose scripsisse* testatur, *ut christianam doctrinam maxime illustrarit.* Catholica itaque Ecclesia in maxima semper habuit existimatione omnia et singula S. P. Augustini scripta.

MOMENTUM II.

Ex summis Pontificibus.

Innocentius I. epist. inter Augustinianas CLXXXIII. Augustino ejusque

collegis respondens ait: *Earum tenor ... integra ratione consistit, ut et illis omnem tollere possit errorem, et idoneum, dato quovis nostrae legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possit praebere doctorem.* Litterae autem, quibus Innocentius respondet, fuse agebant de gratia contra Pelagianos. Zosimus Africana concilia contra Pelagianam haeresim, quibus praefuit vel adfuit Augustinus, plenis tandem calculis confirmavit. Unde S. Prosper contra collat. cap. 41. scribit: *Sententiae robur attexuit, et impiorum destructionem Petri gladio dexteras omnium ornavit antistitum.* Bonifacius et ipse R. P. *quum esset doctissimus, adversus libros Pelagianorum B. Augustini Episcopi responsa poscebat*, ait idem Prosper adv. collat. cap. 21. S. Caelestinus vir ille summus Augustinum ita suspiciebat, ut doctrinae illius obtrectatores gravissimis litteris suis compescuerit atque damnaverit. Ita enim ad Gallos scribit: *Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra semper communione habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit; quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos a meis semper praedecessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui cunctis et amori fuerit et honori.* Leo M. in epist. ad Aquilejensem Episcopum praescribens fidem contra Pelagianam haeresim duo integra capita ex Augustini Enchiridio ad Laurentium decretis suis attexuit. Gelasius in epist. ad Episcopos Picenos appellat Augustinum *ecclesiasticorum lumen magistrorum*. In concilio Rom. septuaginta Episcoporum singula illius opera approbavit; scripta vero Cassiani et Fausti contra S. doctorem condemnavit. Hormisdae testimonium superiore momento recitavimus. Felix IV. vigintiquinque sententias ex Augustini exscriptas voluminibus misit ad Caesarium Arelatensem, quae in concilio Arausicano II. ab universali Ecclesia tanquam totidem fidei dogmata fuere receptae. Bonifacius II. ejusdem Arausicani concilii canones contra Semipelagianos Augustini verbis contextos solemniter approbavit. Joannes II. in ep. III. ad quosdam senatores, *S. Augustinus*, inquit, *cujus doctrinam secundum praedecessorum meorum statuta Romana sequitur ac servat Ecclesia* ... Gregorium M. studiosissimum S. Augustini operum fuisse patet ex ep. ad Innocentium Africae praefectum, in qua ita scribit: *Si delicioso pabulo cupitis saginari, B. Augustini patriotae vestri opuscula legite, et ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quaeratis.* Urbanus V. eatenus S. Thomae doctrinam in ep. ad Tolosates extollit, quatenus *B. Augustini vestigia insequens, Ecclesiam doctrinis et scientiis quamplurimis adornavit*. Martinus V. orat. in S. Monicam tanti facit Augustinum, ut affirmare non dubitet, *nihil pene ex Scripturis sacris posse nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari.* Sixtus V. in bulla contra Genethliacos appellat Augustinum *praecipuum lumen Ecclesiae*. Clemens VIII. in celeberrimo, quod edidit, scripto in congregationibus de auxiliis totam de gratia et praedestinatione controversiam ad mentem S. Augustini definiendam esse demonstrat pluribus argumentis. Paulus V. in iisdem congregationibus de auxiliis jussit, ut omnia dirimerentur juxta tanti doctoris do-

ctrinam. Innocentius X. interrogatus num constitutione sua in caussa Jansenii intellexerit, vel tantillum S. Augustini de gratia laedere sententiam, respondit: *Ubi est Augustinus, ibi est Ecclesia*. Alexander VII. in ep. ad academiam Lovaniensem: *De reliquo*, inquit, *non dubitamus, quin vos pro singulari scientiae pietatisque studio sanam et incorruptam, qualem tot Apostolicae sedis declarationes, et SS. patrum traditiones requirunt, doctrinam semper complexuri sitis, nec non praeclarissimorum Ecclesiae doctorum Augustini et Thomae inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper velitis*. Clemens X. in diplomate die 18. decembris anni 1671. dato, quo adeuntibus templa S. Augustini plenariam impertitur indulgentiam, haec habet: *Itaque eximia, omnisque humanae laudis praeconium longe supergressa S. Augustini Episcopi, confessoris et Ecclesiae doctoris praecellentissimi, qui Spiritu Dei plenus haeresum, errorumque tenebras, tanquam fulgentissimum christianae eruditionis jubar, profundissimis simulque sole clarioribus scriptis profligavit etc.* Innocentius XII. hortatur theologos Lovanienses, ut *doctrinam praeclarissimorum doctorum Augustini et Thomae profiteantur; quorum ille*, subdit, *tantae scientiae fuit, ut inter magistros optimos et a nostris praedecessoribus haberetur, et cujus doctrinam secundum eorumdem praedecessorum statuta Romana sequitur et servat Ecclesia*. Clemens XI. non solum Augustinum appellat fulgidissimum Ecclesiae lumen, eosque damnat, qui ei obloqui audent, sed praeterea testatur, se praedecessorum suorum vestigiis inhaerendo in omnibus sequi velle ejusdem S. doctoris doctrinam. Quid Benedictus XIII. de Augustini ac Thomae doctrina senserit, patet ex illius *Brevi*, cujus initium, *Ad demissas preces*. De Clemente XII. plura non dicam, quoniam ejus testimonium paullo supra protulimus. Quanti autem sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. divi Augustini auctoritatem fecerit, norunt eruditi.

MOMENTUM III.

Ex Conciliis.

Exortis in generis humani perniciem Pelagianis, plura in Africa adversus illos habita sunt concilia, ut suis locis narravimus; quae, utpote ab Apostolica sede confirmata, maximam semper obtinuere et obtinent adhuc in universali Ecclesia auctoritatem. Porro illa eadem concilia Augustini ore, scriptis et argumentis contra Pelagianos dimicarunt. Quare S. Prosper carm. II. de ingratis, inquit: *Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat*. Patres in Sardinia relegati ab monachis Scithis circa gratiam et liberum arbitrium consulti, synodum coegerunt, et in synodica epistola ad illos ita rescripserunt: *Prae omnibus studium gerite, libros S. Augustini, quos ad Prosperum et Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere; quorum mentionem Hormisdas sedis apostolicae antistes cum magno praeconio catholicae laudis inseruit, cujus haec verba sunt*: *De libero arbitrio* etc. Arausicana II. synodus a Bonifacio Papa

plures de praedestinatione et gratia accepit Augustini sententias, quas omnes suis canonibus inseruit et consecravit. Ejusdem S. Augustini doctrina firmissima regula fuit patribus conciliorum Valentini, Lingonensis, Tullani, ubi in caussa Gothescalci de rebus ad gratiam et praedestinationem spectantibus pertractarunt. Tanta fuit Florentini concilii patrum in Augustinum reverentia, ut illum appellaverint saepe *illustrissimum Latinorum doctorem*. Concilium tandem Tridentinum, ubi egit de gratia sive actuali, sive habituali, de voluntate Dei, et praedestinatione contra Lutheranos et Calvinistas, non modo sensa, sed et verba S. Augustini quam saepissime usurpavit.

MOMENTUM IV.

Ex sanctis Patribus.

Ubi ad notitiam pervenit Hieronymi, Augustinum calamum adversus Pelagianos acuisse, in dial. III. cont. Pelag. ita scribit: *Scripsit vir sanctus et eloquens Episcopus Augustinus ... unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, In silvam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut, si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora.* Et in epist. 95. ad ipsum Augustinum subdit: *Macte virtute in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquae rursus fidei venerantur atque suspiciunt; et, quod signum majoris gloriae est, omnes haeretici detestantur.* Prosper in ep. ad Rufin. *Tu autem*, inquit, *dilectissime, si vere de his quaestionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis B. Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defecatissimam ac saluberrimam evangelicae apostolicaeque doctrinae intelligentiam consequaris.* Possidius ad Macedonium scribens, appellat Augustinum *Patrem patrum, Doctorem doctorum, parem Angelis in fervore, parem Prophetis in absconditorum mysteriorum revelatione, abyssum sapientiae.* Fulgentius in lib. II. de praed. et grat. cap. 2. postquam multa in Augustini laudem effuderat, inquit: *Hunc legat omnis, qui salutem aeternam adipisci desiderat; humiliterque orans misericordiae Dominum, ut eumdem spiritum legens accipiat, quem ille accepit, ut scriberet, et eamdem illuminationis gratiam adipiscatur, ut discat, quam ille accepit, ut doceret.* Venantius Fortunatus in orat. Dom. *Quicumque*, inquit, *cum Apostolo Paulo, hoc est, oculo Ecclesiae, et cum B. Augustino Episcopo Hipponensi consonat, in eo ignorantiae caligo non regnat.* Cassiodorus praef. in psalm. scribit: *Ad Augustini facundissimi patris confugi lectionem; est enim litterarum omnium magister egregius, et, quod in ubertate rarum est, cautissimus disputator ... Totus catholicus, totus orthodoxus invenitur etc.* Beda de sex. aet. mundi ad ann. 4376. scribit: *B. Augustinus Hipponensis Episcopus, et omnium doctor eximius Ecclesiarum, emigravit ad Dominum V. kal. septembris.* Rhemigius Antissiodonensis in epist. II. ad Cor. ait: *Sicut sol in lumine excedit omnes planetas, ita Augustinus*

omnes excessit in exponendo sacras Scripturas . Alii doctores comparantur stellis , Augustinus soli . Prudentius Tricassinus in epistola ad Hincmarum, non aeque de Augustino sentientem, *Hoc primum* , inquit , *praecipueque moneo , et postulo , ut doctrinam S. P. Augustini omnium absque ulla dubietate undequaque doctissimi , sanctarum scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe cum nullus doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus , diligentius exquisierit , verius invenerit , veracius protulerit , luculentius enodaverit) vestri pontificatus tempore commento quolibet impugnari non permittatis ; quando tanto caelesti munere donata existit , ut nullo cujusquam conamine ullatenus evelli possit , cum eam et Apostolicae sedis sublimitas , et totius Ecclesiae catholicae unitas auctoritate concordissima approbarint , ac roborarint , adeo ut nullus ei singulariter , verum universitati Ecclesiae catholicae cum ea , et in ea queat inniti* . Lupus Ferrariensis apud Maguinum tom. II. collect. inquit : *Taceat Faustus et similiter sentientes . Loquantur cum suis consortibus Hieronymus et Augustinus , illius proverbii recordantes : Conticescant ranae , dum caelum tonat* . Alter Lupus Servatus apud eumdem Maguinum : *Augustinus* , inquit , *de libero arbitrio et gratia Dei tanta disseruit , ut possint vix ab aliquo legi ... Nemo tam laboriosa indagatione vestigavit , nemo ut ille tam diu versavit ; ita ut pace cunctorum dixerim ... nullus inexpugnabilium argumentorum tanta copia defendit* . Rhemigius Lugdunensis in lib. de tenenda veritate script. cont. Hincmari capitula inquit : *Haec cum legissemus , graviter perculsi et confusi animo vidimus ... S. Augustini reverendam , et in omni Ecclesia catholica receptissimam auctoritatem novo conatu , et ausu nimis temerario impugnari* . Hincmarus ipse appellat in scriptis suis Augustinum *doctorem famosissimum , atque ab Apostolica sede receptissimum* . Etiam Joannes Erigena , qui tam male de gratia et praedestinatione scripsit , cap. 10. et 12. vocat Augustinum *eloquentiae christianae copiosissimum auctorem , solertissimum veritatis inquisitorem , clarissimam et apertissimam christianorum castrorum tubam*. Rupertus lib. VII. de operibus Spiritus S. cap. 19. vocat Augustinum *columnam et firmamentum veritatis* . S. Bernardus serm. 80. in cant. eumdem nominat *validissimum malleum haereticorum*, et in serm. de S. Stephano *Ecclesiae linguam* . Patrum ergo suffragia praeclarum exhibent S. P. Augustini auctoritati testimonium .

MOMENTUM V.

Ex illustrioribus Theologis et Academiis .

Hugo a S. Victore serm. 99. de S. Augustino scribit : *Spiritu S. docente ac ducente , verbum Dei elegantissime dispensavit* . Petrus Lombardus in ordinem universam digessit theologiam auctoritatibus praesertim Augustini . S. Thomas ea de caussa ab Urbano V. aliisque praedicatur , quod Augustini doctrinam ubique sectatus fuerit . Scotus adeo fuit Augustini doc-

trinae studiosus, ut in suis commentariis Augustinum testem protulerit octingenties quindecies. S. Antoninus II. p. tit. 20. ait: *Quasi sol refulgens, qui dicitur dominus planetarum, et pater luminis super omnia luminaria splendens ... sic Augustinus Ecclesiam illustravit, gemma doctorum, pater theologorum*. S. Vincentius Ferrerius serm. de S. Augustino: *Candelabrum aureum totus est B. Augustinus*. Et infra: *Quilibet doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam auctoritatem S. Augustini*. Bessario de processione Spiritus S. *Augustinus*, inquit, *profunditate scientiae omnes antecellit*. Leonardus Coquaeus praef. ad libros de civ. Dei scribit: *Ea est communis omnium consensio, divum Augustinum inter S. Ecclesiae doctores primum locum tenere*. Baronius append. ad tom. X. annal. ait: *Sedes Apostolica S. Augustini se professa est de gratia et libero arbitrio probare sententiam. Nihil igitur praeterea novitas sibi vindicet, et praesumptio humana praesumat*. Perronius in lib. adv. regem Britaniae: *Maximus*, inquit, *post Apostolos praedestinationis doctor est Augustinus: immo os et lingua veteris Ecclesiae, quantum ad illam de gratia doctrinam spectat*. Bellarminus lib. II. de grat. et lib. arb. cap. 12. *Gelasius in concilio septuaginta Episcoporum non solum probavit omnia scripta S. Augustini et S. Prosperi, sed etiam contra damnavit libellos Joannis Cassiani et Fausti Rhegiensis, cum tamen non ignoraret, potissimum contentionem inter Prosperum et Cassianum, et deinde inter Fulgentium et Faustum de scriptis S. Augustini de praedest. SS. et de dono persev. fuisse. Itaque sedes Apostolica non tantum semel, sed etiam secundo et tertio adversus Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratiae et praedestinationis sententiam tulit, ut jam haec sententia, non quorumvis doctorum opinio, sed fides Ecclesiae catholicae dici debeat*. Suarez in prol. cap. 6. *Apostolica sedes S. Augustini doctrinam de gratia suam effecit ac probavit*. Vasquez in I. p. q. 90. cap. 6. *Quamvis nullus esset ex patribus commemoratis, quem scholastici doctores allegare possent, in uno solo Augustino, ejusque schola suae opinionis praesidium libenter collocarent*. Petavius lib. IX. de Deo cap. 6. *Cum de gratia, electione, ac praedestinatione disputandum est, minor haberi solet antiquorum patrum ratio, qui ante Pelagianam ortam haeresim extiterunt, quam eorum, qui postea sunt secuti. Latinorum vero multo major, quam Graecorum, etiam illa haeresi posteriorum; propterea quod magis aliquanto latinam Ecclesiam, quam orientalem exercuit haeresis Pelagiana ... Omnium vero Latinorum princeps est, consensu theologorum, S. Augustinus; cujus de gratia sententiam quotquot deinde consecuti sunt patres et doctores, tum vero Ecclesiae Romanae Pontifices, praesulumque conventus aliorum ratam et catholicam esse judicarunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab S. Augustino positum et decretum esse constaret*. Omitto praeclarissima nomina Cardinalium Norisii, et de Noailles, Tellerii Archiepiscopi Remensis, et Meldensis Episcopi Bossuetii, quorum in S. Augustini operibus studium manifestum est omnibus.

Attingam nunc brevissime celebriores theologorum academias, quae S. Augustinum ducem ac praeceptorem sequendum sibi proposuerunt. Quarum prima recensenda venit academia Parisiensis, quae id publico decreto statuit jam ab anno 1277. Parisiensem sequuta est Lovaniensis ab anno 1476. Hanc Duacensis est imitata. Salmanticensis autem solemni se devovit sacramento doctrinae sanctorum Augustini et Thomae. Quae quum ita sint, quis negare auserit, maximam esse in rebus ad gratiam et praedestinationem spectantibus S. Augustini auctoritatem? Neque vero immerito tanta eidem auctoritas delata est. Nam quis ignorat, maximam esse illorum patrum auctoritatem, quos Deus ad haereses profligandas qualibet aetate suscitavit? Major certe est Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, ubi de Trinitate adversus Arianos pertractatur, auctoritas, quam Clementis Alexandrini, Arnobii, Lactantii. Illi enim, non isti, a Deo excitati sunt ad Arianos confutandos. Similiter quoniam Augustinus electus a Deo fuit ad dimicandum contra Pelagianos, in dogmatibus de gratia et praedestinatione asserendis magis illius, quam aliorum standum est auctoritati. Atque hic obtrectatoribus S. Augustini silentium, huic autem historico libro finem imponimus.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXVIII.

QUO PRAECIPUA CATHOLICAE FIDEI DOGMATA CIRCA GRATIAM ET LIBERUM ARBITRIUM ADVERSUS HAERETICOS PROPUGNANTUR.

Non inaniter aut merae eruditionis caussa, sed provido consilio, quae divinae gratiae ac liberi arbitrii hostes adversus catholicae Ecclesiae fidem moliti sunt, historica narratione superiore libro descripsimus et explicavimus. Eo enim facilius hostes in lucta superantur, quo eorum vires et artes magis sunt dimicantibus manifestae. Agite ergo nunc mecum, optimi adolescentes; et divino freti praesidio, et magno parente Augustino duce atque magistro, inimicorum phalanges in propriis ipsorum castris adoriamur, ea ducti certissima spe, quod errores omnes declinando inconcussam assequi possimus veritatem.

CAPUT I.

Exposita breviter divinae gratiae generali notione, inquiritur, an absque Dei gratia bonum aliquod supernaturale opus, vel aliquid ad aeternam salutem conducens agere valeamus.

Aliud est gratia, aliud vero debitum. Debitum scilicet est merces, quae debetur ei, qui operatur, juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Non sic autem gratia; haec quippe omne est, quod gratis, et non ex operibus, vel patratis vel praevisis, tribuitur, eodem Apostolo ad Rom. cap. 11. dicente: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia*. Unde S. P. Augustinus in Psal. XLIV. nominis gratiae inquirens etymologiam, inquit: *Gratia merito nominatur, quia gratis datur*. Triplici autem modo nomen gratiae vulgo usurpatur. Accipitur 1. pro divino munere, quod Deus homini gratis et absque ullo merito largitur, abstrahendo, an munus illud ordinis sit naturalis vel supernaturalis. Hoc sensu creatio, conservatio, intellectus, voluntas, aliaeque naturales hominis dotes gratia appellari possunt, quoniam absque ullo praecedente vel praeviso merito nobis sunt collatae. Non quod Deus hominem absque talibus dotibus condere potuerit; sed quod hominem tales exigentem dotes potuerit non creare. Rem explicat S. P. Augustinus ep. XCV. *Quadam non improbabili ratione dicitur gratia Dei,*

qua creati sumus ... ut de hoc tanto beneficio gratias agere valeamus ... unde merito et ista gratia dici potest, quia non praecedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. Et lib. de praed. SS. cap. 5. rursus gratiam Dei appellat, *qua sumus animantia rationalia, discernimurque a pecoribus*. 2. Sumitur gratiae nomen pro munere supernaturali rationali creaturae collato, praescindendo, an munus illud collatum sit nec ne intuitu meritorum Christi. Juxta hanc intelligentiam supernaturalia dona Adamo antequam peccaret collata, licet ex Christi non essent meritis, gratia tamen dici possunt. Unde Augustinus lib. de corrept. et grat. cap. 11. *Quid ergo*, inquit, *Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem*. 3. Demum gratiae nomen significat omne supernaturale beneficium ad aeternam conducens beatitudinem, quod homini indigno et peccatori intuitu meritorum Christi confertur. Ita motio illa et excitatio ad bonum, quae in statu naturae lapsae communicatur homini, ut legem servet, ejusdem hominis sanctificatio, et in sanctificatione perseverantia etc., haec omnia proprie dicuntur gratia. Quare Apostolus ad Rom. cap. 3. scribit: *Justificati gratis per gratiam ipsius, et per redemptionem, quae est in Christo Jesu*. De gratia hoc postremo modo intellecta hoc in libro pertractabimus. Nam Pelagiani, quos aggredimur refutare, gratiam priore modo acceptam admittere non detrectabant, ut adversus illos scribit Augustinus in ep. ad Sixtum: *Abjiciatur a christianorum cordibus ista fallacia: non omnino istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, ut homines essemus; sed qua justificati sumus, ut homines justi essemus*. Et Semipelagiani, quorum errores item refutabimus, ad fidei initium gratiae non denegabant necessitatem, sed gratiae nomine intelligebant illam conditoris, qualem habuit Adam in statu naturae innocentis, ut superiore lib. cap. 8. diximus.

Multiplex est autem gratia salvatoris, et universim dividitur in gratiam gratis datam, et gratiam gratum facientem. Prior est supernaturale quoddam auxilium, homini, non ad propriam, sed aliorum utilitatem ex Christi meritis collatum, ut est discretio spirituum, donum patrandi miracula, munus linguarum etc.; secundum quod dicit Apostolus in I. ad Cor. cap. 12. *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae ... alteri fides in eodem spiritu, alii prophetia etc.* Quamvis omnis gratia vere sit gratis data, haec nihilominus speciali quodam titulo sic appellatur, tum quia nullis operibus, ne quidem supernaturalibus, promereri nec *de congruo* nec *de condigno* potest; tum etiam quia nulla promissione tenetur eam Deus hominibus quantumvis justissimis elargiri. De hujus generis gratia acturi nequaquam sumus hoc in libro. Altera autem, seu gratum faciens, est divinum quoddam adjutorium, homini ex Christi meritis collatum, non ad aliorum, sed ad propriam utilitatem et salutem. Neque enim haec gratia proximo prodest, nisi per accidens; sicuti per accidens prodest sibi gratia gratis data.

Gratia gratum faciens subdividitur. Alia quippe est habitualis, actualis alia. Habitualis est supernaturale munus animae inhaerens, eam reddens san-

ctam, Deo gratam et amicam, illiusque filiam adoptivam, et proprie definitur: *Caritas per Spiritum S. diffusa in cordibus eorum, qui justificantur, et ipsis inhaerens, per quam justificati consortes fiunt divinae naturae.* Gratia vero actualis formaliter non justificat hominem, sed illum ad justificationem et sanctitatem disponit, quatenus per illud supernaturale adjutorium anima movetur et excitatur ad bonum agendum. Sic autem a S. P. Augustino lib. IV. ad Bonif. cap. 5. proprie definitur: *Inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Utriusque hujus divinae gratiae naturam et physicam essentiam suis locis in subsequentibus exponemus; et de gratia habituali praecise agemus seorsim in lib. XXIX. In hoc, et sequente volumine disseremus dumtaxat de gratia actuali. Quae adhuc dividitur in *praevenientem*, et *subsequentem*; in *excitantem*; et *adjuvantem*; in *operantem*, et *cooperantem*. Et quidem merito. Nam gratia, quatenus rationalem creaturam ad supernaturale bonum movet, dicitur *praeveniens*, vel *excitans*, vel *movens*. Quatenus autem adjuvat operantem, dicitur *subsequens*, *adjuvans*, *cooperans*. Et haec quidem nomina sunt actualis gratiae, quibus utebantur antiqui. Sed placuit scholasticis eamdem dividere gratiam in *sufficientem*, et *efficacem*; quam malumus nos *inefficacem*, seu *parvam*, utque *efficacem*, sive *magnam* ac *victricem* appellare. Sed de his suo loco sermo redibit. Interim propositam ab initio quaestionem adversus Pelagianos resolvamus oportet. Duo hi superbissime affirmabant. Ajebant primo, tantam inesse hominis naturae virtutem, ut absque ullo supernaturali adjutorio omne opus ad aeternam conducens salutem solis naturalibus viribus possit impleri. Inquiebant secundo, quaevis opera naturalia, absque supernaturali auxilio patrata, hominem conducere posse ad aeternam salutem. Contrarium quoad utrumque caput tenet catholica fides; unde sit

CONCLUSIO

Homo sine Dei gratia nullum bonum supernaturale opus, nec aliquid ad aeternam vitam conducens agere potest.

Prob. 1. ex sacris Litteris. Joannis cap. 6. legitur, dixisse Christum: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ibid. cap. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Paulus in I. ad Cor. cap. 4. *Quid habes*, inquit, *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et ad Philipp. cap. 2. *Deus est ... qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Denique ad Rom. cap. 9. scribit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Jam vero qui nihil sine Christo facere potest, et indiget trahi a Patre, et omne quod habet acceptum referre debet Deo, a quo habuit velle, et perficere; qui demum etiam si currat apprehendere non potest, nisi miserentis Dei adsit adjutorium, numquid absque Dei gratia ullum bonum opus aut aliquid ad aeternam salutem conducens agere potest?

Prob. 2. ex conciliis. Concilium Carthaginense anno 412. celebratum,

Diospolitanum, alterum Carthaginense habitum anno 416., Milevitanum, plenarium totius Africae Carthagine congregatum, et oecumenicum Ephesinum, omnia, inquam, concilia haec Pelagium ejusque sectatores damnarunt, quod impie affirmarent, sine Dei gratia, et solis naturae viribus posse hominem bonum facere opus supernaturale ad vitam aeternam conducens.

Prob. 3. Rom. Pontificum definitionibus. Innocentius I., Zosimus, Bonifacius, Sixtus, Leo M., Gelasius, Hormisdas, aliique eadem de caussa Pelagianos damnarunt, ob quam proscripti a memoratis conciliis fuerant.

Prob. 4. ex SS. PP. S. P. Augustinus per quatuor fere lustra adversus Pelagianos dimicavit, innumeraque lucubravit ad eos refellendos volumina, in quibus illud praecipue demonstrat, quod Dei gratia ad supernaturalia opera, quibus aeternam consequimur vitam, sit necessaria. De Prospero, Hilario, Fulgentio, et aliis, qui post Augustinum scripsere, nemini dubium, quin et ipsi sancti illius doctoris, adeoque et Ecclesiae sequuti sint doctrinam, ut eorum opera legentibus constat. Quoad patres, qui scripserunt ante Augustinum, Cyprianus lib. III. ad Quir. cap. 4. *In nullo*, inquit, *gloriandum, quando nostrum nihil sit*. Ambrosius lib. II. in Lucam cap. 3. ait: *Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit aedificare sine Domino, nemo quidquam incipere sine Deo.* Irenaeus lib. IV. adver. haer. cap. 9. *Impossibile, sine Deo discere Deum.* Gregorius Nazianzenus Orat. XLII. *Possibile non est, terreni corporis ac mentis captivae crassitiem concipere Deum, nisi auxilio confortatam*. Et ne in re tam manifesta longus sim nimis, Hieronymus dial. III. cont. Pelag. docet, *Dominum gratia sua nos in singulis operibus juvare, atque sustentare*.

Prob. 5. ratione theol. I. Opera supernaturalia, ut ex ipso nomine patet, ordinem superant potentiae naturalis. Homo autem, qui Dei suffultus non sit adjutorio, ordinis est mere naturalis. Quare supernaturalia opera facere non poterit, nisi Dei gratia adjuvetur. II. Inter potentiam, et actum ab eadem potentia elicitum sua debet esse proportio. Ast inter humanam voluntatem divina gratia destitutam, et opera supernaturalia quaenam est proportio? Sed haec magis manifesta fient ex infra dicendis.

CAPUT II.

An ad fidem necessaria sit Dei gratia.

Pelagiani ergo, qui omne supernaturale bonum opus absque gratia salvatoris fieri posse autumabant, tenebant proinde, eamdem salvatoris gratiam neque ad fidem habendam esse necessariam, delirantes, solam legem atque doctrinam satis esse hominibus. Semipelagiani inter fidei initium ejusque perfectionem distinguentes arbitrabantur, perfectionem fidei, uti et cujusvis alterius operis, haberi non posse sine gratia salvatoris etiam per se efficaci; sed ejusdem fidei initium, hoc est, bonam voluntatem, et pium credendi affectum, non ex gratia salvatoris esse, sed ex libero

arbitrio, eo sensu, quo superiore libro cap. 8. explicavimus. Utrorumque haereticorum error hoc in capite refutandus est.

CONCLUSIO I.

Gratia salvatoris est absolute necessaria ad eliciendum actum fidei, prout oportet.

Prob. 1. Joann. cap. 6. ita Christus loquitur: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*. Ibid. cap. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum*. Matth. cap. 16. Christus Petro illius divinitatem confitenti in haec verba: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, sic respondit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in caelis est*. Apostolus ad Ephes. cap. 2. *Gratia*, inquit, *salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est*. Ad rem hanc faciunt etiam Scripturae testimonia superiore concl. allata. Fides ergo est opus Dei, quo si quis per cordis sui obdurationem careat, credere non potest; descendit a Patre, qui in caelis est; et non est ex nobis. Quid clarius?

Prob. 2. ex SS. PP. Ambrosius super illa Lucae verba: *Visum est et mihi*, inquit: *Et ideo qui Christum sequitur, potest, interrogatus, cur esse voluerit christianus, respondere: Visum est et mihi. Quod cum dicit, non negat Deo visum; a Deo enim praeparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur a sancto, Dei gratia est*. Hieronymus in cap. 2. epist. ad Ephes. ad illa verba: *Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis*, ita disserit: *Hoc autem ideo, ne forte nobis cogitatio occulta subreperet, si per opera nostra salvati non sumus, certe vel per fidem salvati sumus, et alio genere nostrum est, quod salvamur. Addit itaque et dixit, fidem quoque ipsam non nostrae voluntatis esse, sed Dei muneris*. S. P. Augustini, aliorumque PP. qui post exortos Pelagianos floruerunt, supervacaneum est afferre sententias, quum necessitatem gratiae ad fidem ubique propugnent.

Prob. 3. ex conciliis. Concilium Diospolitanum inter duodecim Pelagii articulos, quos condemnavit, hunc praecipue proscripsit: *Gratia Dei, atque adjutorium non ad singulos actus datur, sed de libero est arbitrio, vel in lege, atque doctrina*. Eamdem deinceps articulum expresse damnarunt omnia Africana concilia, nec non Romani Pontifices capite antecedente commemorati. Tridentina denique synodus sess. VI. can. 3. inquit: *Si quis dixerit, sine praeveniente Dei gratia atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*.

Prob. 4. ratione. I. Actus fidei, prout oportet, quum praecipiatur a Deo ad nostram utilitatem, ordinis certe est supernaturalis. Ast ad supernaturalem actum eliciendum necessaria est gratia salvatoris; non enim est proportio inter humanam voluntatem, et actum supernaturalem. II. Qui

fidei actum, ut oportet, elicit, placet Deo, et disponitur ad justificationem. Ast quis unquam solis naturae viribus placere Deo, seque ad justificationem disponere potest? III. Qui actum fidei elicit, prout oportet, bonam habet erga Deum voluntatem, piumque affectum; quae sine gratia salvatoris nequeunt ab homine haberi.

CONCLUSIO II.

Etiam ad fidei initium, hoc est, ad desiderium vel tenuissimum habendae fidei necessaria est gratia salvatoris.

Prob. 1. sacris Litteris, prout S. P. Augustinus adversus Semipelagianos eas interpretatur et explicat in libro de praedest. sanctorum I. Apostolus ad Rom. cap. 11. inquit: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Ex quibus Augustinus lib. de praed. SS. cap. 2. ita concludit: *Et ipsum igitur initium fidei nostrae ex quo, nisi ex ipso est? Neque enim, hoc excepto, ex ipso sunt cetera; sed ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.* II. Idem Paulus ad Philipp. cap. 1. ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* In quae verba ita S. doctor loco mox citato disserit: *Utrumque ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, ut plenius, et perfectius credatis in eum; sed ut credatis in eum.* III. In I. ad Corinth. cap. 7. legitur: *Tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* Ita Apostolus. Augustinus autem eodem capite subdit: *Nec se ipsum misericordiam consecutum dixit, ut fidelior, sed ut fidelis esset; quia sciebat, non se initium fidei priorem dedisse Deo, et retributum sibi ab illo ejus augmentum, sed ab eo se factum fidelem, a quo et apostolus factus est.* IV. In II. ad Corinth. cap. 3. scribit Apostolus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* His recitatis ait Augustinus ibidem: *Attendant hic, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum... Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid etc., profecto non sumus idonei credere aliquid ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est.* V. In I. ad Corinth. cap. 4. habetur: *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quod si fidei initium esset a nobis, posset homo profecto gloriari, se aliquid a Deo non accepisse. Unde S. Pater laudato lib. cap. 3. inquit: *Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei do-*

na, quibus temperanter, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo. Et cap. 4. *Hoc igitur Apostoli testimonium, ubi ad reprimendam hominis inflationem dixit: Quid enim habes, quod non accepisti? non sinit quemquam fidelium dicere: Habeo fidem, quam non accepi. Reprimitur omnino his apostolicis verbis tota hujus responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici: Quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ejus initium, quo in Christum primitus credidi. Quia et hic respondetur: Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* VI. Ad Rom. cap. 11. idem apost. Paulus ait: *Sic ergo et in hoc tempore reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*. En ex laudatis verbis Augustini conclusio in lib. de praed. SS. cap. 6. *Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio: non praecessit eorum aliquid, quod priores darent, et retribueretur illis*. Nonnulla alia Scripturarum testimonia urget S. Pater, quae in memorato libro de praed. SS. legi poterunt.

Prob. 2. ex Arausicano II. concilio. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, et ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infedelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur*.

Prob. 3. ex SS. PP. qui ante Augustinum floruerunt; nam de iis, qui subsecuti sunt, nemini dubium. S. Cypriani verba, quae etiam ab Augustino in lib. de praed. SS. cap. 3. allegantur, recitata a nobis sunt cap. antecedente. Justinus martyr in apol. II. inquit: *Ipse persuadet, atque ad fidem nos adducit*. Clemens Alexandrinus lib. II. strom. *Fides non est electionis bonum opus, sed assensus valido alicui praestitus*. Basilius in psal. CXV. *Fides multo superior rationabilibus methodis animam ad essensum trahendo ... S. Spiritus operationibus in nobis efficitur*. Ab aliis recitandis brevitati consulens abstineo.

Prob. 4. rationibus. I. Si fidei initium ex nobis, ut Semipelagiani volunt, esset, sequeretur, gratiam dari secundum merita nostra, quod damnatum est in Pelagio. Nam incrementum et perfectio fidei deberetur illi initio, quod esset a nobis. Argumentum est Augustini de praed. SS. cap. 2. ubi sic inquit: *Quis autem dicat, eum, qui jam coepit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cetera dicantur addi retributione divina; ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod objectum sibi Pelagius, ne damnaretur, ipse damnavit*. II. Justificationis principium haberi nequit per solas naturae vires, sed debet descendere a gratia divina, ut Tridentina synodus sess. VI. can. 3. definivit. Ast in sententia Semipelagianorum justificationis initium esset a nobis, quoniam initium fidei, unde incipit justificatio, non a Dei gratia, sed a nobis est. III. Promissiones a Deo Abrahae factae adimplen-

tur in fide nostra, ut scribit Apostolus ad Rom. cap. 4. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini*. Verum si fidei initium sit ex nobis, ex nobis ipsis pendeat necesse est promissionum complementum, non a gratia Dei, *qui promisit*, *quod ipse facturus fuerat*, *non quod homines*, ait Augustinus de praed. SS. cap. 10.

COROLLARIUM.

Allata hactenus argumenta demonstrant gratiae necessitatem non solum ad initium fidei, sed ad initium quoque cujuscumque boni operis; quum et ipsa fides, ut saepe Augustinus ait, sit bonum opus.

Argumenta Semipelagianorum proponuntur ac refutantur.

Obj. 1. ex V. T. Prov. cap. 16. legitur: *Hominis est animam praeparare*. Psal. 87. David inquit: *Mane oratio mea praeveniet te*. In I. paral. cap. 28. *Si quaesieris eum*, *invenies*: *si autem dereliqueris eum*, *projiciet te in aeternum*. Hujus generis alia sunt in V. T. ex quibus colligitur, a nobis initium esse et fidei et boni operis.

Resp. Haec, et similia unica responsione explicantur, dicendo, hominem praeveniente gratia adjutum, non solis naturae viribus praeparare animam, praevenire Deum, ac illum quaerere. Nam eaedem Scripturae quae haec affirmant docent etiam, Deum praeparare nostram voluntatem, corda nostra convertere, et nos praevenire. Apostolus quippe inquit: *Praeparatur voluntas a Domino*. Psalmista: *Deus virtutum converte nos*. Et alibi: *Misericordia ejus praeveniet me*. Et iterum: *Cito anticipent nos misericordiae tuae*. Quonam pacto haec inter se concilientur? Si nempe dicamus, hominem a Dei gratia praeveniri, per quam orat, poenitentiam agit, conatur, aliaque praestat, quibus ad uberiorem recipiendam gratiam se disponit. Hoc sane sensu homo animam suam praeparat, Deum praevenit, illumque quaerit. Si autem scire cupias, cur illa sic dicta sint sine commendatione gratiae: *Ut manifestetur voluntatis arbitrium*, ait Augustinus libro de gr. et lib. arb. cap. 5. solvens argumenta ex laudatis scripturis a Semipelagianis adducta. Unde merito post Augustinum Tridentina synodus sess. VI. cap. 5. ait: *Cum dicitur*, *Convertimini ad me*, *et ego convertar ad vos*, *libertatis nostrae admonemur*: *cum respondemus*, *Converte nos Domine*, *et convertemur*, *Dei nos gratia praeveniri confitemur*.

Obj. 2. ex N. T. I. Apostolus in ep. ad Ephes. cap. 2. fidem aperte distinguit ab operibus; gratiam vero non ex operibus esse dicit, non autem quod non sit ex fide. Ita Semipelagiani apud S. Patrem lib. de praed. SS. cap. 7. II. Idem Paulus in ep. ad Rom. cap. 10. *Si confitearis*, inquit, *in ore tuo Dominum Jesum*, *et in corde tuo credideris*, *salvus eris*. Ex quibus Semipelagiani apud eumd. Augustinum ibid. cap. 11. inferebant: *Unum horum exigitur*, *alterum offertur*. *Quod exigitur*, *in hominis*, *quod offertur*, *in Dei est potestate*. Exigitur autem ab

homine, ut credat. III. Matth. cap. 7. legitur: *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis*. Unde a nobis est petere, quaerere, pulsare.

Resp. ad singula. Atque ad 1. Apostolus fidem ab operibus distinguit, quia fides, ex qua impetrantur cetera, prima datur, non ut significet opera esse a Deo, fidem vero a nobis. *Ex fide autem ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. Nam dicit etiam ipse: Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est: id est, et quod dixi per fidem, non ex vobis, sed Dei donum est etiam fides*. Ita argumentum solvit S. Pater loco in argumento laudato.

Ad 2. respondet Augustinus citato in argumento loco: *Cur non utrumque in Dei* (est potestate), *et quod jubet, et quod offert? Rogatur enim, ut det, quod jubet: rogant credentes, ut sibi augeatur fides; rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides: et in suis igitur incrementis, et in suis initiis Dei donum est fides. Sic autem dicitur, Si credideris, salvus eris, quemadmodum dicitur, Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam et hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur ... Ut ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur, ut autem vivamus, offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus ... quoniam exigi audimus a nobis praemio vitae, si hoc fecerimus, oblato? Absit, ut hoc placeat participibus et defensoribus gratiae*. Et infra: *Ideo haec et nobis praecipiuntur, et dona Dei esse monstrantur; ut intelligatur, quod et nos ea facimus, et Deus facit, ut illa faciamus, sicut per prophetam Ezechielem apertissime dicit ... Ego faciam, ut faciatis*.

Ad 3. A nobis utique est petere, quaerere, pulsare, sed gratia praeventis, non solis naturae viribus. Unde S. P. Augustinus in lib. de dono pers. cap. 23. nihil nos petere a Deo posse, ut oportet, absque auxilio gratiae demonstrat orationibus Ecclesiae, Pauli testimoniis, aliisque argumentis; quibus recensitis, subdit: *Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quaeramus, pulsemus: et hoc esse dicunt, quod gratia praeceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, et invenimus quaerentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quaeramus, atque pulsemus. Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Quod vidit et beatus Ambrosius. Ait enim: Et orare Deum gratia spiritualis est: sicut scriptum est: Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu S.*

Obj. 3. ex Scripturarum exemplis. I. In lib. III. Reg. cap. 8. inquit Deus Davidi: *Quod cogitasti in corde tuo aedificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. Verumtamen tu non aedificabis mihi domum, sed filius tuus*. Demonstrant haec, ajebant Semipelagiani, bonam illam, quam habuit David, voluntatem aedificandi templum non fuisse a

Deo, qui ad exsequendum elegerat Salomonem. Potest itaque habere quis etiam voluntatem credendi absque supernaturali gratia. II. In Act. Apost. cap. 10. narratur, Cornelii centurionis orationes et eleemosynas adeo acceptas fuisse Deo, ut miserit ad illum Petrum, a quo instrueretur in fide. Jam vero eae orationes et eleemosynae, quum factae a Cornelio fuerint absque fide, quae est prima gratia, in fide quippe imbutus postea fuit a Petro, factae fuerunt absque gratia. III. Idem dicendum de Zachaeo, qui, quoniam in sicomorum ascendendo studuit videre Christum, ab eo audire meruit: *Hodie in domo tua oportet me manere*; hoc est, meruit a Christo ad fidem et salutem vocari. IV. Joannis cap. 1. de Nathanaele legitur, fuisse a Christo vocatum ad fidem, quoniam verus erat Israelita, nec dolus inventus est in illo. V. Demum etiam latro in cruce cum Christo pendens, propterea quod ad eum se converterit, confortatus est illis verbis: *Hodie mecum eris in paradiso*. Quare bonae voluntatis initium esse utique potest ab homine absque supernaturali Dei adjutorio.

Resp. Bona omnia, quae juxta allata exempla operati sunt homines, a gratia fuerunt Salvatoris. *Manifestissime credendum est*, inquit concilium Arausicanum II. can. 25. *quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam evocavit, et Cornelii centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum*. Sed aliquid dicamus ad singula.

Ad 1. Voluntas, quam David habuit templum aedificandi, a Deo plane erat. Neque contrarium demonstrat, quod Deus elegerit Salomonem, ut templum aedificaret, quippe quod patri bonam voluntatem, filio autem etiam operis dedit complementum. Deus quippe est, qui operatur in nobis velle et perficere. Quid vetat autem, ut uni velle, alteri vero operis det perfectionem? Videatur S. Prosper cont. collat. cap. 12.

Ad 2. Centurio, antequam ad eum accederet Petrus, imbutus sane non erat fide perfecta; verum imperfecta et inchoata non carebat. Nam habebat ille jam explicitam fidem in Deum, et implicitam in Christum. Unde S. P. Augustinus lib. de praed. SS. cap. 7. inquit: *Quod de Cornelio dici potest, cujus acceptae sunt eleemosynae, et exauditae orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?... Quidquid igitur, et antequam in Christum crederet, et cum crederet, et cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur*. Missus autem ad eum fuit Petrus, ut in fide perfecta imbueretur.

Ad 3. Zachaeus occulta praeventus fuit Spiritus Sancti inspiratione, ut desiderio flagraret videndi Christum. Quare Prosper lib. proxime laudato cap. 7. *Ne lateret*, inquit, *caussa hujus salutis*, *adjecit*: *Venit enim filius hominis salvum facere, et quaerere quod perierat*: *ut quem agnoscebamus salvum factum, sciremus a quaerente praeventum*. Ubi animadverte, non Christum a Zachaeo, sed Zachaeum a Christo fuisse quaesitum.

Ad 4. Antequam Nathanael ad fidem vocaretur exterius, jam interius vocatus a Christo fuerat. Nam ita Christus Nathanaelem alloquitur: *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, novi te*. In quae verba inquit Bernardus in cant. *Quae Domini visio numquid gratiae praeparatio non fuit?*

Ad 5. respondeo verbis Prosperi adv. collat. cap. 7. *In latronis quoque justificatione, etiam si nulla operantis gratiae intelligerentur indicia, nonne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum, dicente Domino, Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et, Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum? Inter omnia autem hunc vel traditum esse, vel tractum, etiam ipsius confessio docet: qui cum aliquandiu blasphemasset in Jesum Christum, repente est mutatus et dixit, Domine etc.*

Obj. 4. Augustinum. I. In opusc. cont. Porphyr. sub tit. *de tempore* ait: Tunc voluit apparere Christus *hominibus, et apud eos praedicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri*. II. *Multi audiunt*, ita apud eumdem Semipelagiani, *verbum veritatis; sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi*. Hinc bona voluntas ad fidem a nobis est sine gratia.

Resp. ad 1. Augustinum illa scripsisse sine praejudicio latentis consilii Dei; hoc est, Christum apparere voluisse illis, quos sciebat credituros in eum per gratiam praevenientem. Ita S. Pater de praedestinat. SS. cap. 9. *Quid enim est verius, quam praescisse Christum, qui et quando et quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum praedicato sibi Christo a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos praescierit, an etiam praedestinaverit Deus, quaerere, ac disserere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, Tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos praedicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui credituri erant in eum, potest etiam sic dici: Tunc voluisse apparere Christum, et apud eos praedicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.*

Ad 2. *Quis hoc ignoret*, inquit Augustinus de praed. SS. cap. 6. post allatum Semipelagianorum argumentum, *quis hoc neget? Sed cum aliis praeparetur, aliis non praeparetur voluntas a Domino, discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio*. Hoc est, qui credere volunt habent jam voluntatem a Deo per gratiam praeparatam quam gratiam non habent qui credere nolunt.

CAPUT III.

Homo in statu naturae lapsae cum sola habituali gratia sufficiens non est ad bonum agendum; sed indiget praeterea gratia actuali ex Christi meritis descendente.

Pelagius licet habitualem gratiam in suo systemate admiserit, ut con-

tra nonnullos eruditos superiore libro cap. 5. demonstravimus, in ea tamen confitenda non proinde catholicus erat. Nam praeterquam quod effutiebat, dari illam hominibus secundum eorum merita, contendebat praeterea, hominem in hoc infirmitatis statu, habituali auxilio exornatum, sibi sufficere ad bonum agendum. Non quod in habituali gratia virtutem ad supernaturaliter agendum agnosceret (id namque ipsemet expresse negavit, ut laudato proxime loco observavimus), sed quoniam putabat, hominem, cui per habitualem gratiam sint remissa peccata, robustiorem per solas naturae vires evadere ad quodlibet bonum. Adversus illum itaque statuendum est, praeter habitualem gratiam necessariam esse homini in statu naturae corruptae ad supernaturales actus gratiam Salvatoris actualem. Et quoniam Semipelagiani ad aliqua supernaturalia opera, id est, ad fidei initium gratiam admittebant conditoris, ostendendum erit deinde, gratiam illam actualem ad bonum opus requisitam descendere ex meritis Christi Salvatoris.

CONCLUSIO I.

Homo in statu naturae lapsae, praeter gratiam habitualem, indiget actuali gratia ad supernaturaliter operandum.

Prob. 1. ex V. T. Psal. CXXVI. legitur: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*. Et Psal. XXVI. *Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus*. Significant haec, quod, tametsi David justus esset et gratia exornatus habituali, Deum saepe nihilominus exorabat, ne derelinqueret, aut despiceret eum, probe sciens, in vanum custodiri domum, nisi Dominus custodierit eam. Ast quod de Davide dicitur, cur non de reliquis justis? Hinc Innocentius I. in ep. ad PP. Carthaginenses ita scribit: *Nos ergo dicimus, quid oremus, cum iste tantopere beatus vir, ne despiciatur, exorat? Illi enim necesse est ita arguant, qui ista confirmant. David enim orationis ignarus, et suae naturae nescius accusetur; qui cum sciat, in sua esse natura, adjutorem sibi Deum, et assiduum adjutorem invocat: nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despiciat, orationibus pronus exoptat, et per corpus omne psalterii hoc et praedicat et clamat.*

Prob. 2. ex N. T. Apostolus ad Philipp. cap. 2. inquit: *Deus est, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate*. Idem ad Rom. cap. 8. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. De se ipso autem scribit cap. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per J. C. D. N.* Joann. cap. 15. Christus ita loquitur: *Sine me nihil potestis facere*. Matth. insuper cap. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Ac demum ibid. cap. 26. Christus idem inquit: *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem*. Haec testimonia homines respicere justos nemo non videt. Ast Deus operatur in illis, illosque agit, et per gratiam suam liberat a corpore mortis hujus. Quis negaverit ergo, etiam homines justos gratia indigere actuali ad bonum agendum?

Prob. 3. Ecclesiae, ac patrum auctoritate. Concilium Arausicanum II. hanc can. X. edidit definitionem: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare*. Et can. IX. jam definierat, *Divini muneris esse, et cum recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus*. Innocentius I. in ep. ad PP. Carthag. inquit: *Nam quamvis* Deus *hominem redemisset a praeteritis peccatis, tamen sciens, iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit; quotidiana ille praestat remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*. In epist. Caelestini ad Gallos cap. 6. haec leguntur: *Neminem etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias ... nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit*. S. P. Augustinus lib. de nat. et grat. cap. 26. ait: *Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic et homo, etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere*.

Prob. 4. ratiocinationibus. I. Quantumvis homo insigniter justus sit, tamen ut supernaturaliter operetur, necesse est, ut moveatur, et excitetur. Quis hoc neget? Ast vero homo ad operandum ab habituali gratia non excitatur; alioquin semper ad bonum excitaretur, quum sit ea gratia in anima perseverans: unde necessaria illi est gratia actualis, a qua moveatur. II. *Oratio*, inquit centies Augustinus, *est certissima gratiae testificatio. Cur enim petitur, quod ad nostram pertinet potestatem, si Deus non adjuvat voluntatem*? Homo autem habituali gratia exornatus petere debet gratiae auxilium, ne peccet. III. Quamvis potentia habitibus instructa sit naturalibus, nihilominus nunquam in actus naturalis ordinis prodibit, nisi adsit Dei naturalis concursus. Similiter ergo, licet potentia instructa sit habitibus supernaturalibus, in actum non prodibit supernaturalem sine supernaturali Dei concursu. IV. Ut supernaturaliter operemur, necesse est, ut Deus det nobis auxilium, quod non solum posse adjuvet, sed etiam velle. Hinc Augustinus Pelagium redarguebat, quod gratia, quam ipse confitebatur, possibilitatem solummodo adjuvaret, non voluntatem. Munus autem gratiae habitualis est adjuvare tantum posse, non velle atque operari. Si enim datur ad instar habitus, se tenet proculdubio ex parte actus primi, ut inquiunt, non actus secundi; proindeque influit in posse, non in operari.

CONCLUSIO II.

Gratia actualis, quae homini lapso praeter gratiam habitualem necessaria est ad bonum agendum, est gratia Salvatoris.

Prob. 1. Scripturis. Joann. cap. 15. Christus inquit: *Sine me nihil*

potestis facere. Et paullo ante dixerat: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites*. Apostolus ad Rom. cap. 7. *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum*. Ad Ephes. cap. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo*. Et cap. 2. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis ... quoniam per ipsum habemus accessum ad Patrem*. Innumera sunt hujus generis in N. T. quae urgent supernaturalis auxilii necessitatem ad agendum. Porro in singulis testimoniis repetitur auxilium illud esse a Christo, per Christum, in Christo, ut ex lectione patet. Quare auxilium praeter habitualem gratiam ad bonum agendum necessarium est gratia Salvatoris.

Prob. 2. ex SS. PP. ubique affirmantibus, homines in statu naturae lapsae salvos fieri ac justificari tum *formaliter*, tum *dispositive* per gratiam, quam nobis morte sua promeruit Christus Dominus. A patrum sententiis recitandis abstineo, ne brevitatis limites transgrediar, uniusque Augustini testimonio utar, qui in lib. de corr. et grat. cap. 11. discrimen inter gratiam homini innocenti et homini lapso collatam assignans, ita scribit: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quae de bonitate sui conditoris acceperat... Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis haec gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos a malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit: istos a reatu et haereditario et proprio illius Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt: Video aliam legem etc. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per J. C. D. N. Quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt*. Quibus in verbis S. doctor non solum adstruit omnem gratiam in statu naturae lapsae ex Christi meritis descendere, ad differentiam gratiae, quam in statu naturae innocentis habuit Adam, sed rationem praeterea assignat, cur hic gratia Salvatoris, ibi gratia conditoris sit necessario agnoscenda; nempe quia nunc homo gravissimo premitur concupiscentiae jugo, quod Adam ante peccatum non experiebatur. Aliis passim in locis et Augustinus et alii patres diserte docent, sanctos etiam V. T. gratia indiguisse futuri Salvatoris ad quaevis opera pietatis.

Prob. 3. ratione. Christus Jesus caput est omnium hominum juxta illud Apostoli ad Ephes. cap. 4. *Veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*. Ast quomodo Christus est caput nostrum? Quia nempe nos, qui ejus membra sumus, influxum per fidem et caritatem ab eo recipimus. Unde sequitur Paulus: *Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate*. Gratia ergo, qua superna-

turale facimus bonum, est influxus a capite nostro Christo promanans. Scio Apostolum appellare Christum caput etiam Angelorum, qui gratiam habuere Conditoris. Sed, ut agentes de Incarnatione observavimus, Christus est caput Angelorum tantummodo, prout Deus est, non quatenus homo Deo conjunctus hypostatice, quomodo est caput hominum. Quod ex titulo capitis mox deduximus argumentum, colligi quoque potest ex titulo mediatoris Dei et hominum, ut ab eodem appellatur Apostolo in I. ad Timoth. cap. 2. *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*. Praecipuum quippe beneficium, quod ex Christi mediatione consequitur, est, quod per merita ejus reconciliemur Deo; quod sane non nisi per gratiam fit. Vide Apostolum etiam in II. ad Cor. cap. 5. et ad Ephes. cap. 2. Unde quaevis gratia, quae hominibus lapsis conceditur ad supernaturaliter operandum, sive magna sive parva sit, ex meritis descendit Salvatoris. Lege quoque Tridentinum concilium sess. VI.

Contraria argumenta dissolvuntur.

Objiciunt I. Pelagiani. Potentia naturalis naturali habitu exornata absque ullo extrinseco auxilio potest per se in actum naturaliter prodire. Si quis v. g. habitum acquisierit musicum pulsandi instrumentum, nunquid per se non potest, quoties voluerit, instrumentum illud pulsare? Similiter potentia supernaturali habitu instructa poterit per se absque actuali gratia in supernaturalem actum prodire. II. Et revera, nonne gratia habitualis perfectior est actuali? Omnis enim habitus actu perfectior est. III. Qui gratia ornatus est habituali habet in se inhabitantem Spiritum Sanctum, proindeque cum ea sola gratia supernaturalem actum operabitur.

Resp. ad 1. Quemadmodum potentia naturalis habitu aliquo naturali, puta pulsandi musicum instrumentum, exornata, nunquam in naturalem actum prodibit, nisi habitus excitetur ad actum per Dei concursum ordinis naturalis; ita potentia habitu supernaturali instructa in supernaturalem actum non prodibit, nisi moveatur et excitetur a Dei concursu ordinis supernaturalis, nempe a gratia actuali. Immo multo magis in casu nostro gratia actualis requiritur. Nam per peccatum contraxit homo concupiscentiam et ignorantiam, a quibus potentia etiam instructa habitu supernaturali a bono retrahitur et inclinatur ad malum.

Ad 2. Gratia habitualis perfectior est actuali; sed in aliquo, non in omni genere. In hoc genere habitualis gratia perfectior est actuali, quod diuturnior sit ac permanens, et animam ornet, eamque Dei filiam, nec non Christi reddat haeredem. In genere autem operandi perfectior habituali est actualis, quoniam excitat voluntatem, intellectum illuminat, reprimit concupiscentiam, et alia praestat, quae ab habituali gratia fieri nequeunt. Quin immo actualis gratia etiam absque habituali dat homini bonum agere supernaturale.

Ad 3. dico, Spiritum S. esse omnipotentem; sed non qua omnipotens est, in anima justi habitat. Immo nec ibi manet dilectionem inspirando, et

caritatem ad operandum subministrando: quamvis si hoc modo ibi maneret, tunc non habitualem dumtaxat, sed actualem quoque gratiam largiretur. Sed Spiritus S. in anima justi per habitualem gratiam habitat, sanando solummodo ac justificando.

Obj. 2. Concilium Milevitanum can. III. damnat Pelagianos affirmantes, *gratiam, qua justificamur, valere ad remissionem peccatorum, quae commissa sunt, non vero ad adjutorium, quo non committantur*. Unde qui habituali instructus est gratia, actuali gratia ad non peccandum non indiget.

Resp. Concilium Milevitanum eam edidisse definitionem contra Pelagianos autumantes, gratiam habitualem remittere quidem peccata, et animam exornare, sed nullam conferre virtutem ad futura vitanda peccata. Quod certe est contra catholicam fidem docentem, habitualem gratiam non modo remittere peccata et animam exornare, sed etiam supernaturalem conferre animae virtutem ad non peccandum, quamvis ut actu non peccet alia necessaria sit gratia, nempe actualis. *Homo enim*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. et 3., *ad bene vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo, quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur, et etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitae aeternae. Alio modo indiget homo auxilio gratiae, ut a Deo moveatur ad agendum*. Hinc gratia habitualis non solum peccata remittit exornatque hominis animam, sed praeterea est supernaturale principium bonorum operum non completum; proindeque dat homini, ut prodire possit in actum, quod Pelagiani a Milevitano concilio damnati inficiabantur, bonum opus tribuentes libero arbitrio.

CAPUT IV.

Utrum homo per solas naturae vires possit vel habitualem vel actualem gratiam promereri, aut ad illam se aliquo modo disponere.

Pelagianorum principalis error semper fuit, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari*. Ob quam assertam propositionem Pelagius in Diospolitano concilio damnatus proculdubio fuisset, nisi subdole atque vaferrime assertionem illam primus ipse damnasset. Ex quo intelligimus, catholicam Ecclesiam a Dei gratia, sive habituali sive actuali, quaevis humana merita semper exclusisse. Hinc S. P. Augustinus in ep. ad Vitalem cap. 5. inquit: *Quoniam ergo, propitio Christo, christiani catholici sumus, scimus, gratiam Dei nec parvulis nec majoribus secundum merita nostra dari*.

Eodem errore detenti sunt etiam Semipelagiani, cum hoc tamen discrimine, quod Pelagiani utriusque generis gratiam, habitualem scilicet et actualem, Semipelagiani vero gratiam dumtaxat actualem secundum merita dari, contendebant. Ajebant quippe, conferri gratiam petentibus, quaerentibus, pulsantibus, illis videlicet, qui credere ac bene velle incipiunt.

Complures theologi catholici assequuti recte non sunt Ecclesiae mentem damnantis illud Pelagianorum effatum: *Gratiam secundum merita nostra dari*. Unde in varias abiere sententias. Quas ut probe intelligamus, animadvertendum est, meritum aliud esse *de condigno*, aliud *de congruo*. Primum est opus, cui remuneratio ac praemium debentur ex justitia; aliud vero, cui debetur remuneratio ex quadam condecentia. Rursus, aliud est meritum, et aliud dispositio. Meritum est opus, cui vel ex justitia vel ex condecentia remuneratio debetur. Dispositio autem est id, quod subjectum ad recipiendam disponit remunerationem. Haec autem vel positiva est, vel negativa. Illa per aliquod bonum opus subjectum ad beneficium recipiendum praeparat. Ista vero praeparat subjectum ad beneficium, non committendo peccata, nec obicem aliquem ponendo. Meriti ac dispositionis notionibus hoc modo expositis, nemo unquam inter catholicos ausus est affirmare, opera nostra naturalia meritum in se habere de condigno ad gratiam sive habitualem sive actualem recipiendam; nimis quippe aperte a Pelagianis et Semipelagianis id traditum est. Sed non defuerunt, qui dicerent, operibus nostris naturalibus meritum inesse de congruo ad supernaturalia obtinenda beneficia. Putarunt alii, posse hominem per solas naturae vires se positive disponere ad gratiam; alii autem dumtaxat negative. De variis theologorum sententiis circa hanc quaestionem, vide Estium lib. II. dist. 26. §. 34. Ludovicus tamen Molina in sua concordia aliam quamdam adscivit opinionem. Et in primis negat, posse hominem per solas naturae vires se vel positive vel negative disponere ad gratiam. Sed non proinde cum reliquis theologis convenit. Per mediam quippe viam incedere arbitratur, affirmans, facienti quod in se est per solas naturae vires Deum Patrem elargiri gratiam, ex pacto quodam cum Jesu Christo filio suo inito, ut eis, qui rationis lumine et libero arbitrio fuerint bene usi, ex sua liberalitate supernaturale non deneget adjutorium. His ita praemissis, singulas modo expositas sententias refellemus.

CONCLUSIO I.

Homo per solas naturae vires nec gratiam habitualem nec actualem potest vel de condigno vel de congruo promereri.

Prob. prior thesis pars I. ex Scripturis. Apostolus ad Rom. cap. 3. scribit: *Justificati gratis per gratiam ipsius*. Et cap. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*. Et rursus: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Et in I. ad Cor. cap. 4. *Quid autem habes quod non accepisti?* His in testimoniis sermonem fieri de gratia etiam habituali, patet apertissime legenti. Prob. II. ex conciliis. Concilium Diospolitanum, teste S. P. Augustino lib. I. cont. Julian. et alibi saepe, duas damnavit Pelagianorum propositiones, quarum prima erat: *Gratia secundum merita nostra datur;* altera vero: *Poenitentibus venia non datur secundum gratiam et misericordiam Dei, sed secundum meri-*

tum , *et laborem* . Quid est autem venia peccatorum , nisi gratia habitualis ? Synodus Arausicana II. can. 8. *Si quis* , inquit , *aliquos per liberum arbitrium ad gratiam baptismi posse venire contendit* , *a recta fide probatur alienus* . Hoc idem definiere Africana concilia apud Prosperum adv. collat. cap. 10. Atque id ipsum denique statuit Tridentinum concilium sess. VI. can. 5. dicens , *Ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse* . Prob. III. ex PP. quorum unus sufficiat Augustinus , qui in ep. ad Sixtum haec ad rem nostram habet praeclarissima: *Abjiciatur a christianorum cordibus ista fallacia* : *nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus* , *qua creati sumus* , *ut homines essemus* ; *sed qua justificati sumus* , *ut homines justi essemus* . Hic plane sermo fit de gratia habituali . Videamus undenam per Augustinum ista gratia descendat . Sequitur : *Ista enim gratia per Jesum Christum* . Et paullo post docet , remissionem peccatorum *esse gratiam* , *quae nullis praecedentibus meritis datur* . Prob. IV. theologica ratione . Homo absque Dei gratia nihil omnino efficere potest , quod ad aeternam conducat salutem . Ergo nequit sine illa meritum vel de condigno vel de congruo ad habitualem adipiscendam gratiam , per quam aeternam salutem consequimur , sibi comparare . Deinde , quum humana opera quaevis ordinis sint naturalis , gratia autem habitualis sit ordinis supernaturalis , quomodo humanis operibus meritum vel de condigno vel de congruo inesse potest ad habitualem gratiam obtinendam ?

Prob. altera propositionis pars I. ex sacris Litteris . Joannis cap. 6. legitur : *Nemo potest venire ad me* , *nisi Pater* , *qui misit me* , *traxerit eum* . Ad Philipp. cap. 1. *Qui coepit in vobis opus bonum* , *perficiet* . Ad Rom. cap. 11. *Quis prior dedit illi* , *et retribuetur ei* ? Ibidem cap. 9. *Igitur non volentis* , *neque currentis* , *sed miserentis est Dei* . In I. ad Cor. cap. 4. *Quis enim te discernit* ? Huc faciunt alia Scripturae testimonia paullo supra allata . Quod si sententia , quam impugnamus , consisteret , jam homo per se veniret ad Patrem ; a se ipso inciperet ; prior daret Deo ; se ipsum ab alio discerneret ; regnumque caelorum esset currentis atque volentis , contra oracula Scripturarum . Ad rem faciunt conciliorum definitiones in antecedentibus allatae , quae recitatis mox testimoniis innituntur . Prob. II. auctoritate PP. et praesertim Augustini, cui omnes subscribunt . Is ergo in ep. ad Sixtum , ut Pelagianorum illud refellat principium : *Gratia secundum merita nostra datur* , argumento utitur petito ex fide , dicens , gratiam fidei , quae proculdubio est actualis , non dari secundum merita nostra . Proinde gratia quaevis actualis secundum merita nostra non datur . En S. doctoris verba : *Restat igitur* , *ut ipsam fidem* , *unde omnis justitia sumit initium* ... *non humano* , *quod isti extollunt* , *tribuamus arbitrio* , *nec ullis praecedentibus meritis* , *quoniam inde incipiunt bona quaecumque sunt merita* ; *sed gratuitum donum Dei esse fateamur* , *si gratiam veram* , *id est* , *sine meritis* , *cogitamus* . Praeterea idem S. Pater contra illam Pelagianorum propositionem argumentum ab oratione petitum urget , affirmans , non dari gratiam orationis , quae pariter

actualis est, ex meritis nostris. Scribit enim ad Sixtum cap. 4. *Si dixerimus meritum praecedere orationis, ut donum gratiae consequatur: impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet a se ipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur; verumtamen ne saltem orationis putarentur praecedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, (sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur) etiam ipsa oratio inter gratiae munera reperitur. Quid enim oremus, ait Doctor gentium, sicut oportet, nescimus.* Tandem Pelagianorum debellator demonstrat, gratiam non dari secundum merita nostra, ex quo cui datur ex misericordia detur, cui non datur negetur ex justitia. *Scimus*, inquit in ep. ad Vitalem, *eis, quibus datur, misericordia gratuita dari. Scimus, eis, quibus non datur, justo Dei judicio non dari.* Ast vero gratia actualis illa est, quae datur ex misericordia, et ex justitia negatur; nam habitualis, licet non de condigno, de congruo tamen meritis nostris cum actuali gratia comparatis a Deo rependitur, ut suo loco demonstrabimus.

CONCLUSIO II.

Homo per solas naturae vires neque ad habitualem, neque ad actualem gratiam potest se disponere; neque positive, neque negative.

Prob. prima pars prop. I. ex Scripturis. Joann. cap. 15. Christus inquit: *Sine me nihil potestis facere*. Posset autem homo sine Christo aliquid facere in adversariorum sententia. Per solas nimirum naturae vires posset se ad habitualem gratiam positive disponere. Hinc S. P. Augustinus tract. 81. in Joann. inquit: *Ne quisquam putaret, saltem aliquem parvum fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset, hic fert fructum multum, non ait, quia sine me parum potestis facere; sed, nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest*. II. Ex Arausicana synodo, quae can. VI. declarat, *misericordiam divinitus non conferri sine gratia Dei desiderantibus, conantibus, laborantibus, pulsantibus, aut quidquam simile facientibus nobis, atque fieri per inspirationem Spiritus S. ut haec omnia, sicut oportet, agere valeamus*. Nemo itaque disponere se potest ad habitualem gratiam solis naturae viribus, quia desiderare, conari, laborare, pulsare effectus sunt divinae misericordiae, quae Spiritu S. per gratiam inspirante conceditur. III. Ex SS. PP. quorum unus sufficiat Prosper, qui contra collat. cap. 3. scribit: *Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid praecedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quaerentis pietas, pulsantis instantia: praecipue cum omnes hujusmodi et accipere, et invenire, et*

intrare dicantur. Prob. IV. ratione. Prima dispositio ad habitualem recipiendam gratiam est, ut Tridentina synodus sess. VI. can. 5. et 6. definivit, fides. Hanc autem esse non posse in nobis ex solis viribus naturae, contra Pelagianos et Semipelagianos superius a nobis demonstratum est.

Prob. altera thesis pars omnibus testimoniis et argumentis proxime allatis. Nam si homo per opera sua naturalia posset positive se disponere ad gratiam actualem, prior daret aliquid Deo; se discerneret ab aliis; curreret, ac vellet Dei misericordiam praevenire; quod est contra sanctarum oracula Scripturarum. Rursus, daretur in hac sententia gratia secundum merita nostra: desideria quippe, conatus, labores Dei promererentur misericordiam contra conciliorum definitiones, patrumque auctoritatem. Denique tota gratiae divinae everteretur oeconomia, quoniam qui putat, hominem ad actualem gratiam posse se positive disponere, jam autumare videtur, proportionem esse inter naturalem dispositionem et gratiam.

Prob. postrema thesis pars S. P. Augustini ratiocinio. Dispositio negativa nil aliud est, quam vel majus ingenium, vel minor obduratio, vel utrumque simul, aut, si mavis, naturalis honestas utilisque doctrina. Verum nullam Deus habet horum in conferenda gratia rationem. Audiamus Augustinum in lib. I. ad Simplicianum Q. 2. *Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, ... nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas .... Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia, ... ut eum intuens et pudore correctus, ego irrideam multos, et prae quibusdam peccatoribus castiores, et prae quibusdam piscatoribus oratores. Nonne advertimus, multos fideles nostros ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorumdam haereticorum, sed etiam mimorum? Item non videmus quosdam homines utriusque sexus in conjugali castitate viventes sine querela, et tamen vel haereticos, vel paganos?* Egregie S. doctor. Si namque Deus in conferenda gratia aut majus ingenium aut minora peccata aut utiles doctrinas respiceret, illam proculdubio compluribus conferret haereticis et infidelibus prae multis catholicis, quod falsissimum est. Et lib. 1. de peccat. mer. cap. 22. subdit: *Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia christiana non possit? Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis et facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat?* Post haec exclamat cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus!* Videant ergo quam aperte Augustini principiis contradicant, qui Deum aliquam habere putant rationem in sua dispensanda gratia dispositionis nostrae negativae.

CONCLUSIO III.

Deus non confert homini gratiam intuitu operum naturalium ex pacto inito cum filio ejus Jesu Christo .

Prob. multis argumentis . I. Ubi de iis , quae a libera Dei voluntate pendent , sermo instituitur , non est humano indulgendum ingenio, sed sacra Scriptura consulenda est vel ecclesiastica traditio . Nullum autem illud pactum , quod certe a libera Dei voluntate pendet , fulcrum habet vel in Scriptura vel in traditione : neque enim illius unquam vel Paulus vel Augustinus divinae gratiae doctores eximii illius meminerunt . II. Immo si Scripturarum oracula sedulo diligenterque rimemur , pactum illud omnino exploditur et eliminatur . Nam eo admisso , sequeretur , liberum hominis arbitrium misericordiam Dei praevenire ; initium salutis esse a nobis ; hominem ab homine per solas naturae vires discerni ; mysterium non esse , cur uni detur , alteri gratia negetur ; male Apostolum exclamasse : *O altitudo divitiarum* ! ; ac male etiam Augustinum in Tract. XXVI. in Joann. scripsisse : *Quem trahat* , *et quem non trahat* , *quare illum trahat* , *et illum non trahat* , *noli velle judicare* , *si non vis errare ;* et denique humilem illum doctorem in lib. I. ad Simplic. q. 2. errasse scribendo : *Certe ita occulta est haec electio* , *ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit* , *aut si apparet quibusdam* , *ego in hac re infirmitatem meam fateor* . Per pactum difficultas omnis evanescit . III. Pactum illud praeterea experientiae ipsi adversatur , ut ex Augustini verbis in antecedente propositione relatis luculentissime apparet . Ergo rejiciendum .

CAPUT V.

Omnia Adversariorum argumenta resolvuntur .

Argumenta a Semipelagianis in sui erroris patrocinium afferri solita , quae capite libri hujus II. recitata a nobis sunt simul et refutata , urgeri possunt adversus singulas a nobis proximo capite statutas propositiones . Quae vero mox allaturi sumus , etiam ex aequo faciunt contra singulas theses . Obj: itaque I. Matth. cap. 25. legitur : *Et uni dedit quinque talenta* , *alii autem duo* , *alii vero unum* , *unicuique secundum propriam virtutem* . II. Idem cap. 10. narrat , Christum dixisse Apostolis suis : *In quamcumque civitatem intraveritis* , *interrogate* , *quis in ea dignus sit : et ibi manete . Intrantes autem in domum* , *salutate eam dicentes : Pax huic domui . Et si quidem fuerit domus illa digna* , *veniet pax vestra super eam* . III. Apostolus ad Rom. cap. 7. *Nam velle* , inquit , *adjacet mihi : perficere autem bonum* , *non invenio* . IV. Apocal. cap. 3. haec habentur verba : *Ecce sto ad ostium* , *et pulso : si quis audierit vocem meam* , *et aperuerit mihi januam* , *intrabo ad illum* .

Resp. haec omnia dicta esse absque praevenientis gratiae praejudicio ;

ita ut *talentum*, de quo Matthaeus loquitur, *dignitas*, de qua Christus apud eumdem Matthaeum, *velle* Apostoli Pauli, et *januae adaperitio* juxta Apocalypsim, supponant jam divinam gratiam. Ideo autem allatis in locis aliisque similibus divina gratia non commemoratur, ut libertas arbitrii commendetur; quemadmodum alibi reticent Scripturae liberum arbitrium, ut divinae gratiae extollant potentiam. Sed singula Scripturae testimonia sunt explicanda. Atque

Ad 1. Quae Matth. cap. 25. leguntur, exprimunt, ut per se patet, parabolam. *In parabolis enim Christus loquebatur eis*. Ast in parabolis necesse non est ut omnia adamussim rebus per parabolas significatis respondeant. Ex quo igitur Dominus, de quo in parabola, in talentis servis suis conferendis singulorum respexerit virtutem, non consequitur, Deum divina munera sua dispensantem ad hominum merita respicere. 2. Dici etiam potest, Deum beneficia largiri hominibus *secundum propriam virtutem* adjutam ac praeventam ab excitante gratia Spiritus S., ut optime inquit S. Thomas 2. 2. q. 24. ad 3. et alibi. 3. Verisimile admodum est, ea in parabola dici, *secundum propriam virtutem*, ut significetur, Dominum in talentis distribuendis servos suos non gravasse, sed singulorum respexisse vires; quod idem de nobis verificatur. Neque enim praecepta dedit nobis Deus importabilia, aut rationem exiget de iis, quae virtutem nostram excedunt; quum vires nostras gratia sua sustentet. 4. Denique exponi potest parabola de gratiis gratis datis, in quibus distribuendis non solum vitae sanctitatem ac supernaturalia dona, sed dona etiam naturalia, ut doctrinam, rerumque gerendarum peritiam, Ecclesia intuetur; quamvis non raro Deus infirma mundi eligat ut fortia quaeque confundat, quemadmodum accidit in Apostolorum electione.

Ad 2. Dignitas, de qua Evangelista loquitur, est dignitas externae famae, non dignitas ex operibus moralibus profluens: monet videlicet Christus discipulos suos, ut in civitates abeuntes ad praedicandum evangelium non hospitarentur apud infames scelestosque viros, ne Dei verbum ullo modo vituperaretur. Quod si quis contendat adhuc fieri ibi sermonem de dignitate morum, responderi potest, eos, ad quos tunc miserat Christus Apostolos, fuisse Judaeos; praeceperat enim: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. At multi esse poterant inter Judaeos, qui digni essent dignitate morum per gratiam; habebant siquidem explicitam fidem in Deum et implicitam in Mediatorem.

Ad 3. Non modo Paulus, qui justus erat et sanctus, verum nos quoque saepe bonum volumus; sed non absque praeveniente gratia, quum ipsa operetur *in nobis velle et perficere pro bona voluntate*, ut inquit idem Apostolus. Sed quoniam ad bonum exequendum perficiendumque opus, quod volumus, necessarium est cooperans Dei adjutorium, (concupiscentia quippe a bono quod volumus continuo retrahit, dicente Apostolo: *Non enim quod volo bonum, hoc facio*; et: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*) hinc qui cooperante Dei gratia caret, merito dicere potest: *Velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio*.

Ad 4. In Apocalypsis explicando testimonio non immoror, quoniam sententiae nostrae apertissime favet. Si namque Deus stat ad ostium, et pulsat, et vocat, ergo antequam nos aperiamus, antequam vocanti respondeamus, jam Deus nos gratia sua praevenerat.

Obj. 2. nonnulla PP. testimonia, qui ante Augustinum floruerunt. I. Origenes hom. I. in gen. docet, Christum nos illuminare, nisi mentis nostrae caecitas impediat; quemadmodum sol mortalibus affulget, nisi ipsi caeci sint. Subdit praeterea, eos qui caeci sunt a Christo visum ac lumen petere debere. Hom. autem XXIX. in num. clarius adhuc mentem suam aperit dicens: *Si offeramus Deo justitiam nostram, accipiemus ab ipso justitiam Dei*. Unde aliquid ex parte nostra, sive merita sive dispositionem expectat. II. Joannes quoque Chrysostomus eadem premere videtur vestigia. Nam praeter ea, quae praecedentis libri cap. 9. protulimus, quaeque contra nostras has theses urgeri possunt, hom. XLV. in gen. hom. XLII. ad Antiochen. et hom. XII. in cap. 7. ep. ad Hebr. diserte tradit, hominem prius se disponere, deinde a Deo gratiae suae accipere beneficia. III. Ambrosius lib. IV. in Lucam non dissimilia habet: *Non dormientibus*, inquit, *divina beneficia, sed observantibus conferuntur*. Et lib. V. hexam. cap. 24. de Petro scribit: *Idem tamen post galli cantum fit fortior, et jam dignus, quem Christus respiciat, quoniam oculi Domini super justos*. IV. Demum Hieronymus, qui contra Pelagianos multum dimicavit, in dial. I. inquit: *Constat ergo inter nos, in bonis operibus, post propriam voluntatem, Dei nos niti auxilio*. Et cap. 11. *Nostrum quidem est velle et currere; sed ut voluntas nostra compleatur et cursus, ad Dei misericordiam pertinet.*

Resp. ad 1. in rebus de gratia non tenemur nos Origenis auctoritate. Is enim non Semipelagianis modo, sed et Pelagianis praelusit, ut initio superioris libri demonstravimus. Unde Hieronymus in ep. ad Ctesiph. Pelagium alloquens ait: *Doctrina tua Origenis ramusculus est*.

Ad 2. De Chrysostomo, et quo sensu nonnulla, quae in ejus scriptis duriuscula videntur, intelligenda sint, satis multa cap. 9. antecedentis libri diximus. Nunc illud tantum animadvertisse sufficiat, S. illum doctorem, quoties hominem ad divina se disponere beneficia affirmat, vel gratuita dona promereri, vel iis similia, nunquam gratiam excludere praevenientem. Mens quippe ejus est, hominem, accepta a Deo actuali gratia, per supernaturalia opera disponere se ad justificationem juxta communem theologorum doctrinam, ubi de merito agunt. Animadvertendum praeterea est, eumdem S. doctorem, Ambrosium, aliosque patres, qui ante Augustini tempora floruerunt, ubi de gratia disserebant, quum adhuc Pelagiani non litigarent, in Ecclesia Dei securius fuisse locutos. Quumque iis temporibus pestilentissima Manichaeorum haeresis serperet, saepe liberum hominis arbitrium commendabant. Sed relege, quae loco nuper laudato scripsimus ex Augustino.

Ad 3. Loquitur Ambrosius de divino beneficio justificationis, quod certe non confertur a Deo dormientibus. Homo enim, ut ad sanctificantem gratiam perveniat, supernaturali Dei adjutorio actuali fretus credere debet,

sperare, atque diligendo poenitentiam agere, ut Tridentina synodus sess. VI. cap. 5. et 6. definivit. Quae S. doctor de Petro dicit cum sententia nostra minime pugnant. Docet ibi videlicet, Petrum jam per gratiam sanctificatum plurimum dilexisse Christum, sicque uberiorem promeruisse a Deo sanctificationem; quod ex allatis in argumento verbis luculentissime apparet. Rationem quippe afferens, cur Petrus dignus fuerit quem Christus respiceret, ait: *Quia oculi Domini super justos*. Ceterum tantum abest, Ambrosium adversae sententiae patrocinari, ut Augustinus in lib. de grat. Chr. cap. 45. et sequentibus multum hujus patris urgeat auctoritatem.

Ad 4. Hieronymi verborum sensus est, *in bonis operibus post* (nempe *praeter*) *bonam voluntatem, Dei nos niti auxilio*. Disputatio enim, quam Hieronymus inter Atticum catholicum, et Critobolum Pelagianum instituit, erat, an detur Dei gratia operans et omnem voluntatis nostrae motum praeveniens. Quam praevenientem gratiam catholicus astruens sic fari incipit: *Non sic donata est liberi arbitrii gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum*. Quae consona sunt iis, quae idem S. doctor habet in ep. ad Demetriadem, ubi sic inquit: *Velle et nolle nostrum est; ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est*. Ceterum mirari subit adversariorum confidentiam, qui in sui patrocinium advocare non dubitant hujus S. patris auctoritatem, qui tam feliciter contra Pelagianos dimicavit.

Obj. 3. nonnullas S. P. Augustini sententias. I. In lib. adv. Porphyrium ab ipso in lib. de praed. SS. cap. 9. relato, inquit: *Ita salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera veraciter promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit*. II. Hom. XVI. inter L. ait: *In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo an diabolo*. III. Lib. XIX. de C. D. cap. 13. apertissime adstruit pactum. Inquit enim: *Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor et justissimus ordinator ... dedit hominibus quaedam bona huic vitae congrua, id est, pacem temporalem pro modulo mortalis vitae in ipsa salute et incolumitate sui generis, et quae huic paci vel tuendae vel recuperandae necessaria sunt ... eo pacto aequissimo, ut qui mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam in vita aeterna ad fruendum Deo, et proximo in Deo: qui autem perperam, nec illa accipiat, et haec amittat*.

Resp. rem esse admiratione plane dignam, ut adversarii nostri unam vel alteram ambiguam obscuramque sententiam quaerant Augustini vel in libris de civ. Dei, vel in opusculis cont. Porphyr. vel in voluminibus de lib. arb., quibus in locis profecto de divina gratia ex professo non disserebat; et magna illa tum numero, tum perspicuitate testimonia, quae in libris cont. Pelagianos ac Semipelagianos editis occurrunt, in quibus de gratia Dei ex proposito agit, aut negligant penitus aut dissimulent. Juxta receptas a theologis omnibus criticas sanctiones ex his, non ex illis voluminibus genuina S. doctoris de gratia mens expiscanda est. Sed haec obiter. Nam quae hactenus sunt allata facilem habent solutionem. Atque

Ad 1. Ubi Augustinus inquit, verae religionis salutem non deesse illi, qui dignus est, non de dignitate naturali, sed de dignitate loquitur, quae in homine sit per gratiam salvatoris. Sic ipsemet mentem suam aperit in lib. II. retr. cap. 31. *In quarum secunda* (ex quaestionibus a Porphyrio propositis) *quod dixi : Salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera ... nulli unquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit, non ita dixi, tanquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit; sed quemadmodum ait Apostolus, Non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, Major serviet minori : quam vocationem ad Dei propositum asserit pertinere. Unde dicit: Non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, et gratiam.*

Ad 2. Dicens S. doctor in hominis arbitrio esse, locum parare Deo, vel diabolo, libertatem arbitrii commendat, non praeveniens Dei denegat adjutorium. In hominis utique arbitrio est, locum parare Deo, si velit, sed a Deo ipso voluntas adjuvatur. Audiatur ipse Augustinus, qui in lib. de grat. et lib. arb. cap. 16. *Certum est*, inquit, *nos mandata servare cum volumus; sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus* etc. Non ergo statim ac Augustinus, vel quivis alius ecclesiasticus scriptor affirmat, ab hominum voluntate et arbitrio hoc vel illud agere bonum pendere, illico inferendum est, non esse Dei gratiam necessariam.

Ad 3. respondeo 1. Augustinum loqui de pacto justitiae: *eo pacto aequissimo, ut qui mortalibus* etc. Adversarii autem adstruere conantur pactum quoddam liberale seu beneficam conventionem. Quare allatus S. Patris textus ipsis non favet. 2. Verborum Augustini sensus est : Qui accepta a Deo gratia bonis hisce creatis ac temporalibus bene utitur, in se meritum habet de condigno; et Deus justissimus rerum ordinator ex pacto aequissimo tenetur dare illi ampliora bona, ipsam scilicet immortalitatis pacem seu vitam aeternam. Ast qui hoc docet, numquid pactum admittit Molinae, contendentis Deum liberaliter largiri gratiam ei, qui naturae viribus bonum fecerit, intuitu pactionis initae cum Jesu Christo?

Obj. 4. ex theol. ratione. I. Receptissimum est apud omnes theologos et a patribus derivatum vulgare illud proloquium : *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*. Quare qui bona naturalia facit, vel meretur gratiam, vel ad illam disponitur; sin minus ea confertur vi pacti. II. Neque illud proloquium intelligi potest hoc modo : *Facienti quod in se est per vires gratiae, Deus uberiorem gratiam non denegat*, ut communiter fit. Nam S. Thomas in disput. de veritate quaest. 14. art. 11. ad 1. intelligit axioma de eo, qui per vires naturae ad gratiam se praeparat; ait enim : *Si aliquis in silvis, vel inter bruta animalia nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*. Quod idem pluribus aliis in locis tradidit. III. Nec incongruum est, ut homo per natura-

lia merita sese disponat ad gratiam; sicut incongruum non est, ut Deus animam creet in corpore nonnullas habente dispositiones.

Resp. ad 1. Theologicum illud proloquium: *Facienti quod in se est* etc. hunc habet sensum: *Facienti quod in se est per vires a praeveniente gratia receptas Deus uberiorem haudquaquam denegat gratiam et justificationem*. Atque hoc sensu plura PP. ac veterum theologorum intelligenda sunt testimonia. Si alius affricetur illi propositioni sensus, proloquium falsum est.

Ad 2. Neque allatae mox expositioni quidquam officit S. Thomae auctoritas, qui in operibus quae postea edidit, quae in QQ. disputatis, et in libris sent. tradiderat, retractasse videtur. Nam lect. 3. in cap. 10. ep. ad Rom. *Si qui fecissent*, inquit, *quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis praeceptorem fidei, sicut Petrum Cornelio, et Paulum Macedonibus. Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciant, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum*. Ex quibus apparet S. doctorem aut retractasse, aut clarius quae alibi circa allatum axioma tradiderat explicavisse. Neque uno in loco, sed etiam in summa 1. 2. q. 109, art. 6. mentem suam aperuit. Ibi enim inquit: *Si homo faciat quod in se est etc. Dicendum, quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Johann. 15. Sine me nihil potestis facere: et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur, hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus a Deo*.

Ad 3. Incongruum utique est, ut homo per naturalia merita sese disponat ad gratiam; quoniam *si gratia, jam non ex operibus*; *alioquin gratia jam non est gratia*, ut ait Apostolus. Quod allato exemplo confirmatur. Nam, praesuppositis in materia dispositionibus, anima illi debetur: adeoque, praesuppositis in anima dispositionibus ad gratiam, gratia illi deberetur tanquam naturalis perfectio. Sed hujus generis argumenta captiunculae sunt et tricae scholasticorum.

CAPUT VI.

An homo cum ordinariis gratiae auxiliis vitare possit per totum vitae tempus omnia et singula peccata venialia.

Dogma fuit inter Pelagianos receptissimum, posse hominem ad eum perfectionis pervenire statum, ut omni prorsus sive lethali sive veniali peccato careat. Immo ajebat Pelagius, *homines filios Dei non posse vocari, nisi omnino absque peccato fuerint effecti*, ut ex Diospolitana synodo colligitur, in qua propositio illa fuit proscripta. Errorem hunc de hominis impeccantia Pelagiani a veteribus hausere philosophis, ut in libro superiore observavimus. Catholica vero fides superbissimum illud Pelagianorum scitum damnat et execratur, statuens hominem quantumvis justum ac sanctum non posse cum ordinariis gratiae auxiliis sine omni exi-

stere veniali peccato, nisi per exiguum temporis spatium; ita ut nequeat omnia venialia vitare vel per totam vitam, vel per diuturnum vitae tempus sine speciali Dei privilegio, quod collatum B. Mariae Virgini fuisse pie credit Ecclesia. Ut autem haec enucleate a nobis explicentur, quasdam subjiciemus propositiones. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Homo justus cum ordinariis divinae gratiae auxiliis per exiguum aliquod vitae tempus vivere potest absque ullo peccato veniali.

Prob. Ratio, cur homo etiam perfectissime justus in venialia peccata facile prolabitur, est, quia quantumvis magna erga Deum caritate ferveat, in eo nihilominus semper usque ad agonem remanet concupiscentia, ut Augustinus inquit, et docet experientia: quae concupiscentia hominem ad legem infringendam pellicit atque trahit, ideoque de illa dicitur quod ad malum inclinet. Ast vero concupiscentia per exiguum aliquod temporis spatium potest hominem justum fluctibus suis non jactare; aut etiamsi illum urgeat et premat, justus ordinariis gratiae auxiliis munitus illius incitamenta reprimere ac retundere potest, atque ita per exiguum tempus quaecumque venialia vitare.

SCHOLION.

Non tam facile est definire quamdiu justus cum ordinariis gratiae auxiliis immunis vivere ab omni veniali queat. Immo si quis audacter id definire vellet, errori sese facillime exponeret. Diuturnitas quippe ejusmodi perseverantiae non solum ex appetitus sensitivi remissione et ex occasionum peccandi infrequentia pendet, sed ex Dei quoque voluntate, quae secundum arcana sua judicia ubi vult et quando vult spirat. Puto, eos diutius immunes ab omni prorsus veniali perseverare, qui majore erga Deum flagrant caritate; dummodo tamen immunitas haec ad totum vitae tempus non protrahatur. Quare sit

CONCLUSIO II.

Homo justus, ut per totum vitae suae tempus omnia venialia peccata devitet, indiget speciali Dei privilegio.

Prob. 1. ex V. T. Psal. CXLII. inquit David: *Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* In II. Paral. cap. 6. legitur: *Non est homo, qui non peccet.* Eccl. cap. 7. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Significant haec, nullum hominem etiam perfecte justum absque peccato vi-

vere; non semper quidem lethali, alioquin non essent justi. Unde nullus est justus, qui speciale Dei non habeat privilegium, sine veniali peccato.

Prob. 2. ex N. T. Joannes in I. epist. cap. 1. scribit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*. Jacobus in sua catholica cap. 3. inquit: *In multis offendimus omnes*. Haec Apostolica testimonia non intelliguntur profecto de peccato mortali; alias sequeretur, Joannem ac Jacobum ceterosque justos quam saepissime in lethalia incidere: accipi itaque debent de venialibus.

Prob. 3. ex conciliis. Quum Pelagiani ad vim elevandam argumenti, quod ex allatis Scripturarum testimoniis elicitur, responderent, dicta illa esse ad commendationem humilitatis, synodus Milevitana cap. 6. hoc in Pelagianos intorsit anathema: *Quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem dici nos habere peccatum, non quod vere ita est, anathema sit*. Concilium Diospolitanum expresse damnavit Pelagium propter impium suum de impeccantia dogma. Quod iterum fecit etiam concilium Carthaginense canone 8. Unde merito Tridentina synodus sess. VI. can. 23. statuit, ut, *Si quis hominem justificatum dixerit posse in tota vita sua peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit*.

Prob. 4. ex SS. PP. quorum unus sufficiat Augustinus, qui lib. II. de peccat. merit. cap. 7. adversus hunc Pelagii errorem disputans inquit: *Si quaeratur, utrum sit, non credo. Magis enim credo Scripturae dicenti: Non intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et ideo misericordia Dei opus est, quae superexaltat judicio, quae illi non erit qui non facit misericordiam. Et Propheta cum diceret: Dixi, pronunciabo adversum me delictum meum Domino, et tu dimisisti impietatem cordis mei, continuo subjunxit: Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Non ergo omnis peccator, sed omnis sanctus: vox enim sanctorum est, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est*. Cap. autem 10. in medium profert Noe, Daniel, et Job exempla, quos tanquam insignes justos commendat Scriptura, nec tamen absque levi culpa fuisse demonstrat. In cap. 13. concludit: *Sunt ergo in terra justi, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, misericordes, temporalia mala omnia propter justitiam aequo animo tolerantes. Sed si verum est, imo, quia verum est, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus*; et *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, non sunt sine peccato*. Hoc idem elegantissime repetit in lib. de nat. et grat. cap. 36. Et in lib. de dono persev. cap. 2. scribit: *Tria sunt, quae maxime adversus* Pelagianos *defendit Ecclesia: quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari ... Alterum est, in quantacumque justitia, sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, et vinculo damnationis obstrictum*.

Prob. 5. theol. rat. I. Omnes omnino homines, justi etiam atque san-

ctissimi, donec mortalem hanc vivunt vitam, recitare quotidie tenentur petitionem illam oratione dominica contentam: *Dimitte nobis debita nostra*. Quare justi quoque ac sancti homines habent quid eis a Domino dimittatur. Non habent lethalia, alioquin justi non essent; ergo habent venialia. Neque dici potest cum Pelagianis orationem illam recitare justos vel propter humilitatem, vel pro aliis qui sunt in Ecclesia peccatores. Nam Carthaginense concilium can. VIII. definivit: *Placuit, ut quicumque dixerit, in petitione dominica ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores; et ideo non dicere unumquemque sanctorum, Dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit*. Hoc idem definiere concilia Milevitanum et Tridentinum. II. Nullum temporis momentum est, in quo etiam sancti concupiscentiae motibus agitati ac lacessiti non tententur ac pelliciantur ad malum. Praeter concupiscentiam habent justi etiam ignorantiam, quae alia est originalis peccati poena, a qua decipi singulis momentis possunt. Duabus hisce praesuppositis in homine justo poenis, quae ad agonem usque perseverant, quis non videt quam facile ab externis etiam occasionibus, ab illecebris mundi, et communi hominum hoste subripi possint? Opus habent ergo speciali quodam Dei privilegio, quo a levibus culpis perpetuo praeserventur. Ita sancti Prosper et Thomas argumentantur.

CONCLUSIO III.

B. Virgo Deipara inter creaturas singulare illud habuit privilegium, quod ad omnia venialia per totum vitae tempus vitanda requiritur.

Prob. S. Ambrosius serm. XXII. in psal. 118. ita loquitur: *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*. Hieronymus in illa psal. 77. verba: *Deduxisti eos in nube diei*, postquam dixerat eam nubem esse Deiparam, subdit: *Pulchre dixit diei, quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce*. S. P. Augustinus lib. de nat. et grat. cap. 36. *Excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos etc.* Sophronius in ep. ad Sergium affirmat, B. Virginem *sanctam fuisse, et ab omni contagione liberatam et corporis et animae*. Bernardus ep. CXIV. *Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem*. Ac denique Tridentinum concilium sess. VI. can. 23. inquit: *Si quis hominem semel justificatum dixerit, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali*

privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. Haec autem omnia satis ostendunt, inter creaturas B. Virginem speciali illo condecoratam fuisse privilegio, quod sane requiritur ut homo omnia venialia peccata per totum vitae tempus devitet.

SCHOLION.

B. Virginem privilegium, quo omnia et singula venialia per totum vitae suae spatium vitavit, a Deo accepisse, de fide est. Ait enim Tridentina synodus, Ecclesiam ita tenere. Ast quod Ecclesia tenet, illud plane ad dogma fidei pertinet. Non videtur tamen de fide, quod sola B. Virgo illud consecuta fuerit privilegium. Nam Tridentina synodus statuit quidem, neminem sine speciali Dei privilegio omnia vitare posse venialia, atque privilegium illud obtinuisse B. Virginem; an vero aliis etiam concessum fuerit, concilium non explicat. E contra in Scripturis et patribus quaedam leguntur de Jeremia, Joanne Baptista, Josepho, aliisque, quae licet non probent, sanctos illos viros tali speciali privilegio fuisse exornatos, intelligi tamen sic possunt, quasi et ipsi fuerint illud a Deo consequuti. Quod sufficit ne dicatur, de fide esse solam Deiparam speciale illud a Deo habuisse privilegium.

Contraria argumenta dispelluntur.

Obj. 1. cont. 1. thesim I. Joannes in I. ep. cap. 1. inquit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Nullum itaque est temporis spatium neque brevissimum, in quo justi in venialia non incidant. II. Prov. cap. 24. legitur: *Septies in die cadet justus.* Subintellige venialiter. Unde falsum est definiri non posse, quamdiu justus immunis vivat ab omni veniali.

Resp. ad 1. Loquitur Joannes de peccato quod sit frequentissimum, non quod semper sit praesens, ut S. Thomas 1. p. q. 79. art. 4. ad 2. optime observat dicens: *Hoc non est intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis.*

Resp. ad 2. 1. Neque in hebraico textu, neque in versione LXX. Int., sed neque in castigatiore nostra latina vulgata occurrit illud, *in die:* quare argumentum inde depromptum evanescit. 2. Ex quo in allato textu legatur, *septies*, nihil conficitur. Ibi scilicet numerus determinatus pro indeterminato ponitur juxta morem Scripturae, sensusque est: *Septies*, hoc est, *saepe*, vel *crebro cadet justus*. 3. Neque sacer textus loquitur de peccatis, sed potius de tribulationibus: videlicet illud, *cadet*, non lapsum justi in peccatum, sed in tribulationes significat. Sic sensus commatis erit: Saepe justus cadet in tribulationes, et Deo adjuvante resurget. Ita S. P. Augustinus lib. XI. de C. D. cap. 31. *Pro universo saepe ponitur, sicuti est, Septies cadet justus, et resurget: id est, quotiescumque cecide*

rit , non peribit . Quod non de iniquitatibus , sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit .

Obj. 2. contra 2. proposit. I. Apostolus in ep. ad Philipp. et Christus ipse Matth. cap. 5. supponunt, posse hominem perfectum esse , et ita perfectum , ut Patrem qui in caelis est imitetur . Ita loquitur Paulus : *Quicumque ergo perfecti sumus , hoc sentiamus* . Et Christus : *Estote ergo perfecti , sicut et Pater vester caelestis perfectus est* . II. Job ad eum plane perfectionis ascendit statum , ut omne veniale prorsus vitaverit . De illo quippe cap. 1. legitur : *Non est ei similis super terram ... vir simplex et rectus , ac timens Deum , et recedens a malo , et retinens innocentiam* . III. Consimilia leguntur Luc. cap. 1. de Zacharia et Elisabeth sanctis conjugibus : *Erant autem justi ambo, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela* . IV. Nec mirum quod plures absque speciali Dei privilegio omni prorsus caruerint per totam vitam veniali . Nam Joannes in ep. I. cap. 3. inquit : *Omnis , qui natus est ex Deo , peccatum non facit ... et non potest peccare , quoniam ex Deo natus est* .

Resp. ad 1. Paulus et Christus Dominus supponunt dari hominem perfectum non perfectione *patriae* , quae est immunitas a quavis culpa et poena , qua fruetur justus in altera vita , ubi Deum facie ad faciem contemplabitur ; sed perfectione *viae* , quae in hoc consistit , ut homo omni suo conatu ad perfectionem tendat : magisque perfectus erit , quum se non esse perfectum agnoverit . Hinc Apostolus de se ipso inquit : *Non quod jam acceperim aut perfectus sim* . Ita Augustinus lib. IV. ad Bonifac. cap. 10.

Ad 2. Nunquam Job pelagianam seu stoicam in se ipso agnovit perfectionem . Immo propria ingenue confitetur peccata , deque iis veniam a Deo expectat hac ductus ratione : Quoniam Deus *etiam in Angelis suis reperit pravitatem* . Hinc S. P. Augustinus in lib. II. de pecc. mer. cap. 12. ait: *Non igitur praeclarum illud testimonium Dei , quo laudatus est Job , contrarium est testimonio , quo dictum est : Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens : quia non id persuadet , prorsus in illo nihil fuisse , quod vel ab ipso veraciter , vel a Domino Deo recte reprehenderetur ; quamvis jam justus , et verax Dei cultor , et ab omni opere malo se abstinens non mendaciter diceretur* . Unde Job celebri illo honestatur elogio et summe justus dicitur per oppositionem ad peccata lethalia , et in comparatione aliorum qui tunc vivebant in terra .

Ad 3. Elisabeth et Zacharia incedebant in viis Domini sine querela , prout permissum illis erat in hoc statu viae , non quod ab omni prorsus immunes essent veniali peccato . Unde Augustinus loco mox laudato cap. 13. *Tantum longe est* , inquit , *ut propter illa verba Zachariam et Elisabeth credamus sine ullo peccato perfectam habuisse justitiam , ut nec ipsum Apostolum ejusdem regulae summitate arbitremur fuisse perfectum* . Hinc Zacharias dum sacerdotii munere fungeretur , sacrificia offerebat et holocausta pro suis delictis .

Ad 4. Omnis qui natus est ex Deo peccatum nec facit , nec facere potest in sensu composito , ut inquiunt , non autem in sensu diviso . Hoc

est, nequit Dei filiatio cum lethali peccato componi. Quamdiu enim homo justus est, nec peccat, nec peccare potest; alioquin desineret esse justus. Ut si quis diceret: Optimus civis nec prodit, nec prodere potest patriam. Sensus est: Quamdiu homo est optimus civis, non prodest nec prodere potest patriam. Ita Augustinus lib. II. de peccat. mer. et rem. cap. 10. *Non igitur contrarium testimonium est, Qui natus est ex Deo, non peccat, ei testimonio, quo jam natis ex Deo dicitur: Si dixerimus quia peccatum non habemus etc. Quamdiu enim homo, quamvis totus spe jam, et jam in re ex parte regeneratione spiritali renovatus, adhuc tamen portat corpus, quod corrumpitur, et aggravat animam.*

Obj. 3. cont. 2. et 3. prop. I. *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest,* inquit S. Pater lib. III. de lib. arb. cap. 18. Unde si ordinaria gratiae auxilia ad vitanda quaecumque venialia satis non sunt, jam homo leviter transgrediendo legem non peccabit, quoniam Deus impossibilia non jubet. II. Non videtur de fide, B. Virginem speciali exornatam fuisse privilegio ad omnia vitanda venialia peccata. Magister namque sententiarum, post Damascenum nonnullosque alios graecos patres, et subinde Gregorius Ariminensis ac aliquot alii scholastici tenent, B. Mariam ab omni prorsus etiam levissima culpa immunem esse coepisse quando divinum concepit Verbum. Hinc potuit Virgo in oratione dominica petitionem illam recitare: *Dimitte nobis debita nostra.*

Resp. ad 1. Homo justus ordinariis gratiae auxiliis munitus per totum vitae tempus omnia venialia vitare non potest *potentia proxima;* potest autem *potentia remota*, quae proxima evadet, si speciale a Deo obtineat privilegium. Quid sit potentia proxima, quid remota ad agendum, suis locis non multo post videbimus. Potentia porrò remota sufficit ad vitandum peccatum, sufficit ad ejusdem peccati imputationem, sufficit ad praeceptum implendum, ac sufficit demum ne dicatur, Deum impossibilia praecipere, ut suo loco dicemus. Ratio autem, cur homo etiam justissimus sit proxime impotens ad vitandum per totum vitae tempus quodcumque veniale, duplex est. Prima, quoniam a concupiscentiae aculeis et externis quoque occasionibus continuo agitatur atque obruitur, ut supra jam diximus. Altera, quoniam justus proximam non habet potentiam ad vitandum peccatum nisi ex gratia efficaci. Deus autem nec etiam insigniter sanctis gratiam illam efficacem vult elargiri. Quod si largiatur, speciale illud est privilegium.

Ad 2. Sententiae a nobis de privilegio B. Mariae Virgini concesso statutae nonnullorum patrum theologorumque auctoritas minime officit. Nam illi ex propria opinione, non ex communi Ecclesiae sensu affirmant, B. Virginem in leve aliquod incidisse peccatum antequam virtus Altissimi eam obumbraret. Supponebant quippe, fuisse eam in originali peccato conceptam; quod vel falsum est, vel in disputationem trahi non debet. Fidei autem dogmata stabiliri debent ex communi Ecclesiae fide, ad quam patres illi atque theologi non attenderunt. Communem autem Ecclesiae hac in caussa sensum citat Tridentinum concilium paullo supra laudatum.

Hinc B. Virgo petitionem illam : *Dimitte nobis debita nostra* , repetere potuit, quatenus una cum reliquis fidelibus de corpore erat Ecclesiae, quae in hac mortali vita non est sine macula et sine ruga, uti erit in altera.

CAPUT VII.

An homo lapsus ad perseverandum usque in finem indigeat speciali dono gratiae :

In hunc fidei articulum peccarunt 1. Pelagiani, qui quum ad nullum pietatis opus requiri putarent supernaturale adjutorium, affirmabant proinde, ad finalem perseverantiam necessariam non esse Dei gratiam, multoque minus speciale aliquod donum. Peccarunt 2. Semipelagiani, qui fatebantur quidem Dei gratiam ad perseverantiam requiri; negabant tamen gratiam illam esse speciale Dei donum, affirmantes sufficere ad perseverandum ordinaria illa auxilia, quae semper sanctificantem gratiam comitantur. 3. Nonnulli theologi peccarunt duce, Duvallio, qui perseverantiam speciale esse Dei donum in iis putavere, qui antequam ex hac vita decedant diu in statu sanctificantis gratiae vivunt, non autem in iis, qui statim aut paullo post justificationem in gratia moriuntur. Catholicorum vero communis unanimisque sententia est, finalem perseverantiam in omnibus ac singulis hominibus qui perseverant esse specialissimum donum Dei. Quod antequam demonstremus, videndum erit, in quo speciale illud donum consistat.

Duo itaque gratiae munera finalis perseverantia importat, externum unum, alterum internum. Prior gratia, quae externa dici potest, est specialis quidam divinae providentiae actus finem vitae cum statu gratiae conjungentis. Licet enim post originale peccatum mors corporis a naturalibus quibusdam caussis dependeat, nihilominus prout illa subest decreto praedestinationis dependet etiam a supernaturali ac beneficentissima Dei providentia, quae ita naturalis vitae cursum dirigit, ut mors animam a corpore dividat quando praedestinatus est in gratia sanctificante. Et quod finalis perseverantia in suo conceptu exteriorem includat specialis providentiae dispositionem, patet ex celeberrimo Sapientiae testimonio, quod habetur cap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*. In quae verba sic contra Semipelag. disserit S. P. Augustinus de praed. SS. cap. 14. *Dictum est enim secundum pericula vitae hujus, non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quod mortem ei immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto*. Et de dono persev. cap. 17. *Videte jam a veritate quam sit alienum negare, donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitae: cum vitae huic, quando voluerit, ipse det finem; quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem*. Et de corr. et gr. cap. 8. *Donum Dei esse*, inquit, *ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum*. Ac denique suffragatur et ratio. Nam non est forsan divinae providentiae actus, ut aliqui ex hac vita decedant quan-

do a Deo sunt aversi? Plane: est nempe specialis poena a divina justitia nonnullis reprobis inflicta. Similiter ergo actus specialis providentiae dici debet, quod aliqui electi ex hujus vitae fluctibus eruantur quando conjuncti sunt Deo per gratiam sanctificantem. Et hoc quoad externum perseverantiae finalis donum. Alterum autem, quod internum dicitur, est inspiratio sanctae dilectionis, seu gratia efficax et victrix, quam confert Deus iis qui perseverant, et in statu supponuntur habitualis gratiae. Quae victrix delectatio non est in omnibus praedestinatis aequalis; sed major atque potentior in iis, qui a rebelli cupiditate acrius agitantur, vel ampliora vitae hujus, quam diligebant, commoda relinquunt, vel acerbiore morte ut martyres occumbunt. Quod interior haec perseverantiae gratia sit efficax victrixque gratia, gratiae habituali superaddita atque a communibus gratiae auxiliis, quae illam comitantur, diversa, demonstrabunt omnia argumenta, quae ad Pelagianos ac Semipelagianos refellendos mox afferemus; Sit ergo

CONCLUSIO I.

Homini lapso ad finaliter perseverandum necessaria est gratia salvatoris.

Prob. brevissime adv. Pelagianos. I. Universalis Ecclesia post Diospolitani concilii definitionem firmiter tenet, homini lapso ad omnes et singulos pietatis actus necessariam esse gratiam salvatoris. Porro finalis perseverantia nonne est maximus actus pietatis ad vitam conducens aeternam? II. Si actiones humanae sint mere naturales, quum inter illas ac aeternam vitam, quae est supernaturalis, nulla sit proportio, nullo prorsus modo vitam aeternam mereri possunt. Sublata autem salvatoris gratia, actiones, quibus homo in fine vitae perseveraret, essent merae naturales. Quomodo ergo poterunt hominem ad vitam aeternam transmittere? III. S. Augustinus ep. XCV. ait: *Oratio est clarissima gratiae testificatio; neque enim ab aliquo poscimus, quod in nostra habemus potestate.* Ecclesia tamen in quotidianis orationibus suis indesinenter a Deo finalem petit perseverantiam. Existimat igitur non esse illam in nostra potestate, sed a gratia descendere salvatoris.

CONCLUSIO II.

Perseverantia finalis est specialissimum Dei donum ab habituali gratia aliisque ei adnexis auxiliis realiter distinctum.

Prob. 1. ex sanctis paginis. I. Apostolus ad Philipp. cap. 1. *Vobis donatum est*, inquit, *pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Quibus recitatis, S. P. Augustinus lib. de dono persev. cap. 2. ita argumentatur: *Horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem: utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque dictum est esse donatum.* II. Petrus in sua I. ep. cap. 3. *Melius est,*

inquit, *benefacientes, si voluntas Dei velit, pati, quam malefacientes*. Post quae verba ita S. doctor loco mox laudato prosequitur: *Cum dicit, Si velit voluntas Dei, ostendit, hoc divinitus donari, nec omnibus sanctis, ut pro Christo patiantur. Neque enim quos non vult voluntas Dei perveni·re ad experientiam gloriamque passionis, non perveniunt ad regnum Dei, si perseveraverint in Christo usque in finem*. III. Jeremiae cap. 32. habetur: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me*. E vestigio subdit S. doctor loco citato: *Quod quid est aliud, quam, talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhaereant?* Quae Scripturae testimonia prout ab Augustino explicantur non modo demonstrant, finalem perseverantiam esse Dei donum, sed ostendunt praeterea, donum illud esse specialissimum ab habituali gratia aliisque donis distinctum. Nam si fideli ac justo homini donatur, ut patiatur pro Christo, quemadmodum infideli donatur, ut credat in Christum: si benefacientes, hoc est, justi et sancti non patiuntur pro Christo, scilicet usque in finem non perseverant, nisi *velit voluntas Dei*, *nec omnibus sanctis* datur, *ut patiantur pro Christo*: si denique justi piique homines magno indigent Dei timore, *ut eidem perseveranter adhaereant*, profecto justis, ut finalem habeant perseverantiam, non sufficit habitualis gratia, nec satis sunt ordinaria auxilia habituali gratiae passim adnexa, sed necessario requiritur, ut eis elargiatur Deus specialissimum donum.

Prob. 2. ex conciliis. Secunda, Arausicana synodus can. X. inquit: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare*. Unde etsi renati ac sancti gratiam habeant habitualem auxiliaque ei communiter adnexa, non habent tamen perseverantiam. Concilium Tridentinum sess. XVI. cap. 13. ait perseverantiam haberi non posse nisi ab omnipotentissima Dei voluntate: *Quod quidem* (donum) *aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere*. Neque dici potest, quodlibet supernaturale adjutorium effectum esse omnipotentissimae Dei voluntatis. Nam licet id verum sit, concilium tamen speciali quodam titulo perseverantiam appellat omnipotentissimae Dei voluntatis effectum, ut eam videlicet ab habituali gratia aliisque ordinariis distinguat auxiliis. can. quippe 16. appellat perseverantiam magnum Dei donum: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, anathema sit*. Et can. 22. litem omnem dirimit dicens: *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*. Vides, justificatum speciali Dei indigere auxilio ut perseveret.

Prob. 3. auctoritate ac ratione M. Augustini; superfluum quippe est multorum PP. proferre sententias. Sic autem S. Pater lib. de dono persev. cap. 2. scribit: *Cur autem perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur non ipsum dare, sed ipso non donante esse in hominis potesta-*

te ; sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum , si ex hoc gratiae agun- tur Deo , quod non donavit ipse nec fecit ? Nolite errare , inquit Apo- stolus ; Deus non irridetur . Lege quae sequuntur , et invenies S. do- ctorem a cap. 2. usque ad 6. demonstrare, hominem justum in qualibet ora- tionis dominicae petitione , excepta quarta , postulare a Deo finalem per- severantiam . Hanc ergo justus per gratiam habitualem adnexaque illi au- xilia non habet ; alioquin irrisorie peteret illam a Deo . Capite autem me- morati libri sexto aliud ad rem nostram profert argumentum : *Sed nolunt, ut scribitis, isti fratres , ita hanc perseverantiam praedicari , ut non vel suppliciter emereri , vel amitti contumaciter possit . Ubi quid dicant , pa- rum diligenter attendunt . De illa enim perseverantia loquimur , qua per- severatur usque in finem : quae si data est , perseveratum est usque in finem ; si autem non est perseveratum usque in finem , non est data ... Dicimus quippe castum , quem novimus castum , sive sit , sive non sit in eadem castitate mansurus ... Perseverantiam vero usque in finem , quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem , multi eam possunt habere , nullus amittere .* Demum cap. 9. strenuissimus gratiae vin- dex ita ratiocinari prosequitur : *Ex duobus autem piis , cur huic done- tur perseverantia usque in finem , illi non donetur , inscrutabilia sunt judicia Dei . Illud tamen fidelibus debet esse certissimum , hunc esse ex praedestinatis , illum non esse .* Ast vero multi sunt justi homines , quibus perseverantia non datur ; unde differt a justificatione donisque ei adnexis finalis perseverantia . Legant tirones laudatum librum , ibique multa alia invenient ad rem facientia argumenta .

Prob. 4. ex absurdis , quae in Semipelagianorum sententia sequuntur . Si enim finalis perseverantia donum esset justis omnibus commune , qui perseverat , per liberi arbitrii sui vires a non perseverante discernetur; quod est contra Apostolum dicentem : *Quis enim te discernit ?* Perseverans quip- pe a non perseverante non se discerneret per gratiam habitualem aliaque ei conjuncta auxilia ; quoniam haec habet cum illo communia . Sequeretur proinde, perseverantem posse prae non perseverante gloriari ob eamdem ra- tionem ; quod similiter repugnat Apostolo exclamanti : *Quid gloriaris, qua- si non acceperis ?* Atque ita recurrendum hac in caussa non esset ad in- scrutabilia Dei judicia , ut post Apostolum Augustinus facit , sed ad liberi arbitrii vires , contra quam statuat Tridentina synodus sess. VI. cap. 13. cu- jus verba supra dedimus .

CONCLUSIO III.

Finalis perseverantia est specialissimum Dei donum etiam in iis , qui statim post justificationem ex hac vita decedunt .

Prob. 1. Scriptura . Sap. cap. 4. haec occurrunt : *Raptus est , ne ma- litia mutaret intellectum ejus .* In quae verba S. P. Augustinus lib. de corr. et gr. cap. 8. ita disserit : *Respondeant qui nos irrident , quando in*

rebus talibus exclamamus: Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! Neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit, aut vero Scriptura illa mentitur, quae de morte velut immatura hominis justi ait: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum, et in cujus potestate est, quandiu quisque in hac vita maneat, quae tentatio dicta est super terram? Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorat; ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundum Scripturas, de quibus testimonia multa jam posui, fateantur nobiscum; et cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum. Contra singularem Duvallii sententiam faciunt, quae capitis hujus initio praemonuimus.

Solutio argumentorum.

Obj. 1. Quod a Deo omnibus justis conceditur, non est speciale ipsius donum, ut per se patet. Ejusmodi autem est perseverantia finalis. Nam Tridentinum concilium sess. VI. cap. 11. post Augustinum de nat. et grat. cap. 26. docet, quod *Deus gratia sua semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* II. Et revera, Deus, quantum ex se est, largitur omnibus justis perseverantiam finalem. Si enim ipsi velint, perseverare possunt; et si non perseverant, eorum culpa est. Ait quippe S. P. Augustinus lib. de corr. et gr. cap. 7. *Justior enim videtur excusatio dicentium: Non accepimus audientiam, quam dicentium: Non accepimus perseverantiam; quoniam potest dici: Homo, in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares, si velles.* III. Et merito. Nam justus, quum per habitualem gratiam sit filius Dei adoptivus, jus habet ad aeternam haereditatem: unde habet etiam jus ad perseverantiam, sine qua gloria consequi nequit. Proinde, quum sanctificantem gratiam et ordinaria ei adnexa auxilia habeat, potest, et quidem potentia proxima et expedita, finaliter perseverare.

Resp. ad 1. Non omnibus justis datur a Deo actualis perseverantia, sed potentia dumtaxat ad perseverandum. Et hanc quidem habent illi primo in gratia habituali, per quam Deus praestat ne peccemus, dando possibilitatem ad supernaturaliter agendum, ut Augustinus ait de nat. et grat. cap. 26.; deinde in actualibus auxiliis, quae sufficientia dicuntur, quaeque justificationem passim comitantur. Ex his fit, ut justi possint perseverare. Cur ergo non omnes perseverant? Quia scilicet nolunt. Quare autem nolunt? Quoniam sua implicati superbia ad gratiam non convertuntur juvantem, ut ait Augustinus. Hinc quod non perseverent, eorum culpa est, quoniam libere peccant. Atque ita qui perseverat, misericordiam Dei commendet, a qua ut perseveret accipit gratiam: qui non perseverat, sibi imputet, quoniam libere divinam transgreditur legem. Rem totam paucis decla-

rat S. P. Augustinus in lib. de corr. et grat. cap. 13. *Hi ergo*, *qui non pertinent ad istum* (praedestinatorum) *numerum pro meritis justissime judicantur*. *Aut enim jacent sub peccato*, *quod originaliter generatione traxerunt*, *et cum illo haereditario debito hinc exeunt*, *quod non est regeneratione dimissum*; *aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt* ...; *aut gratiam Dei suscipiunt*, *sed temporales sunt*, *nec perseverant*; *deserunt*, *et deseruntur*. *Dimissi enim sunt libero arbitrio*, *non accepto perseverantiae dono*, *judicio justo*, *et occulto*. Quod ergo post Augustinum inquit concilium Tridentinum, Deum scilicet justificatum non deserere nisi ab illo prius deseratur, verissimum est. Nam Deus non aufert a justo habitualem gratiam et auxilia illi passim connexa. Sed justus per liberi vires arbitrii obicem ponit, ne auxilia habituali gratiae conjuncta dent ei ad non peccandum potentiam proxime expeditam; et tunc a Deo deseritur. Haberet utique justus potentiam ad non deserendum Deum proxime expeditam, si praesto ei esset gratia efficax. Ast non tenetur Deus talem omnibus justis elargiri gratiam, per quam actu usque in finem perseverent. Hinc justi deserunt Deum, quoniam per liberum arbitrium ad actum non redigunt potentiam, quam ad perseverandum a gratia habituali aliisque ei adnexis auxiliis habent.

Ad 2. Justi per liberum arbitrium, gratia habituali et actualibus gratiae auxiliis habituali gratiae passim conjunctis adjutum, habent potentiam licet remotam ad perseverandum. Possunt ergo si velint perseverare. Quod si non perseverant, eorum culpa est, quia noluerunt. Atque hoc sensu loquitur Augustinus in lib. de corr. et grat. et optime ait, justos perseverare nolentes inexcusabiliores esse infidelibus; quoniam hi non habent ad bonum nisi potentiam in libero arbitrio, quam appellare possum remotissimam, quia qui Evangelium non audierunt nullam ut plurimum habent actualem gratiam. Justi autem praeter potentiam liberi arbitrii aliam habent in sanctificante gratia et auxiliis illi conjunctis potentiam: unde sunt, ex quo perseverare nolint, infidelibus inexcusabiliores in eo, quod audierunt et acceperunt. Ceterum, ut justi actu perseverare velint, necesse est ut eorum voluntas per specialem aliam gratiam actualem praeparetur a Domino. Hinc optime S. doctor in lib. I. retract. cap. 10. *Non existiment novi haeretici Pelagiani*, *secundum eos esse dictum*. *Verum est enim omnino*, *omnes homines hoc posse*, *si velint*; *sed praeparatur voluntas a Domino*, *et tantum augetur munere caritatis*, *ut possint*: *quod hic ideo dictum non est*, *quoniam praesenti necessarium non erat quaestioni*.

Ad 3. Justus habet ad gloriam jus remotum non proximum; alioquin si omnes justi una cum habituali gratia jus proximum reciperent ad aeternam vitam, qui aliquandiu in statu gratiae vivunt reapse salvarentur. Ei igitur dumtaxat jus proximum ad gloriam conceditur, qui praeter habitualem gratiam et actualia auxilia ei passim adnexa accipit a Deo donum perseverantiae, juxta illud Christi Matth. cap. 10. *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit*, quod non nisi de praedestinatis verificatur.

Obj. 2. cont. 3. prop. I. Potest homo statim post acceptam vel in bap-

tismo vel in sacramento poenitentiae justificationem ex praesenti vita migrare. Hoc in casu absque speciali Dei dono perseveraret. Unde in aliquo finalis perseverantia non est speciale Dei donum. II. Mors post originale peccatum a secundarum cursu caussarum dependet. Quapropter, quod quis statim post justificationem decedat, non est speciale Dei donum.

Resp. ad 1. Hoc ipsum, quod homo statim post acceptam justificationem et antequam in peccatum labatur decedat, est specialissimum donum Dei. Hinc S. P. Augustinus in lib. de praed. SS. cap. 14. *Quare aliis*, inquit, *concedatur, ut ex hujus vitae periculis, dum justi sunt, auferantur; alii vero justi, donec a justitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini?*

Ad 2. dico 1. Si ordo caussarum secundarum caussa dici debet, cur quis in statu gratiae decedat, jam caussa, cur quis salvetur, erit earumdem caussarum ordo secundarum. Quod quidem quam absurdum sit, nemo non videt: sequeretur enim aliquos fortuito salvari, quomodo fortuito moriuntur. 2. Caussae secundae influunt in hominis mortem in se inspectam, non autem consideratam prout decreto aeternae praedestinationis subest. Sed haec aliaque hujus generis a nobis praeoccupata sunt initio capitis.

CAPUT VIII.

Utrum gratia habitualis necessaria sit, vel sola actualis sufficiat ad supernaturale opus faciendum.

Joannes Wiclefus antiquae Ecclesiae doctrinae pertaesus eo stultitiae devenit, ut sibi suaderet, concupiscentiam quae etiam in renatis usque ad agonem remanet adeo hominis opera contaminare, ut quidquid boni justi ac sancti faciunt sit inquinamentum et sordes. Ne vero homines a bono peragendo retraheret, addebat non esse a virtutum exercitio abstinendum, quoniam non revocat illas Deus ad examem, sed tanquam puras et immaculatas habet. Multo magis ajebat inquinamenta sunt et peccata opera omnia, quae ab homine in statu lethalis peccati fiunt. Unde in Wiclefi sententia consequitur, non dari opus aliquod bonum absque gratia habituali. Portentum hoc renovavit subinde Calvinus et in omnibus adhaesit Wiclefo. Catholici e contra firmissima fide tenent atque tuentur, quaevis opera ab homine in statu lethalis peccati patrata non esse quidem aeternae vitae meritoria; verum peccatorem et infidelem opera quaedam facere posse, quae ordinis sint supernaturalis, quoniam ad supernaturale opus bonum patrandum sola sufficit gratia actualis, minimeque necessaria est gratia habitualis; falsumque est, concupiscentiam omnia humana opera commaculare. Unde sit

CONCLUSIO.

Homo absque gratia habituali et in mortalis peccati statu existens potest cum sola actuali gratia bonum opus patrare.

Prob. 1. Scripturis. Ezechielis cap. 18. haec habentur: *Convertimini, et agite poenitentiam*. Zachariae cap. 1. legitur: *Convertimini ad me, et convertar ad vos*. Dan. cap. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*. Lucae cap. 11. *Petite et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate et aperietur vobis. Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis etc.* Ibid. Christus sic alloquitur pharisaeos: *Date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis*. Hujusmodi ad omne opus bonum exhortationibus plenae sunt sanctae paginae. Jam vero qui sic admonentur gratiam non habent habitualem, ut allatis textibus patet. Idcirco facere utique bona opera poterant cum sola gratia actuali; secus superflua esset quaevis exhortatio. Hinc in actib. Apost. cap. 10. commendantur orationes et eleemosynae Cornelii centurionis: *Orationes tuae, et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. Et Luc. cap. 18. de publicano, qui pectus suum percutiens exclamabat in corde: *Deus, propitius esto mihi peccatori*, legitur: *Descendit hic justificatus in domum suam*. Hi sane habitualem gratiam non habebant; quum ille adhuc ethnicus esset, hic autem peccator. Et nihilominus bonum agebant supernaturale. Quare sola actualis gratia ad bonum agendum sufficit.

Prob. 2. ex ecclesiasticis definitionibus. Concilium Constantiense hanc damnavit Wiclefistarum et Hussitarum propositionem: *Ex principiis fidei est per se notum, quod quidquid homo in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter*. Concilium Tridentinum sess. VI. hunc adversus Calvinistas edidit num. 7. canonem: *Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius eum peccare, anathema sit*. Pius V. has in Baii scriptis damnavit propositiones. Num. 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Et num. 40. *In omnibus suis actibus peccator servit praedominanti cupiditati*. Quod si ad bonum opus supernaturale necessaria foret gratia habitualis, allatae propositiones immerito ab Ecclesia damnatae fuissent.

Prob. 3. ex PP. Sed in re tam clara unicus afferatur Augustinus, qui in ep. 130. loquens de Polemone ad meliorem frugem revocato inquit: *Et ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino*. Et in lib. de patientia affirmat, schismatici patientiam esse donum Dei: *Proinde negandum non est, hoc etiam esse donum Dei*. Et in lib. I. de nupt. et concup. cap. 3. docet, nonnullos gentiles ex Dei gratia nuptialem pudicitiam custodire: *Quis autem audeat dicere, donum Dei esse peccatum?* In lib. IV. cont. Julian. cap. 3. *Quanto ergo*, inquit, *tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, di-*

vino muneri potius, quam eorum tribueres tantummodo voluntati; licet ipsi hoc nesciant, donec si ex illo sunt praedestinatorum numero accipiant spiritum, qui ex Deo est, ut sciant quae a Deo donata sunt eis? In ep. ad Sixtum denique fuse demonstrat, fidem impetrare remissionem peccatorum.

Prob. 4. ex absurdis. Si ad bonum opus necessario gratia sanctificans requireretur, consequens foret, omnia hominis impii opera, illa etiam cum actuali gratia patrata, esse peccata. Neque enim impius gratiam habet sanctificantem. Hoc autem absurdissimum est, ut ex allatis ecclesiasticis definitionibus patet. Sequeretur etiam, nullo modo peccatorem posse se ad habitualem recipiendam gratiam disponere. Nam si cum sola actuali gratia fidei spei et caritatis actus elicere nequit, nec aliud supernaturale bonum peragere, quomodo se ad justificationem disponet? Numquid per opera solis naturae viribus patrata? Aut per opera quae juxta adversarios inquinamenta sunt et sordes?

Prob. 5. ratione. Opus supernaturale et undequaque bonum est opus, quod bonum est tum ratione officii tum ratione finis. Ast potest homo absque habituali gratia tale opus perficere. Nam etiam gentiles plura patrarunt opera bona ratione officii, ut deinceps demonstrabimus. Quod si homo gratia actuali donetur a Deo, potest utique recto fine operari; per inchoatam nempe caritatem opus suum referre potest ad Deum ultimum finem. Deinde nonne homo, antequam justificationem consequatur, orat Deum, credit, sperat, peccata sua confitetur, quae omnia bona sunt? Et tamen habitualem gratiam adhuc non habet. Cumque haec solis naturae viribus facere nequeat, consequitur, illa bona opera ab homine fieri per solam gratiam actualem.

Difficultatum enodatio.

Obj. ex Scripturis. I. Matth. cap. 6. legitur: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Quid porro est oculus nequam nisi homo sanctificante gratia destitutus? Totum itaque corpus illius tenebrosum erit; omnia scilicet ejus opera mala erunt. II. Ibid. cap. 7. habetur: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*. Cumque peccator absque sanctificante gratia sit arbor mala, fructus bonos, hoc est, bona opera facere non potest. III. Apostolus in ep. ad Titum cap. 1. inquit: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem ... nihil est mundum*. Homo absque habituali gratia est immundus: quare omnia illius opera sunt immunda. IV. Psal. XLIX. Deus peccatorem alloquens ait: *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* Isaiae cap. 1. repetit Deus: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi*. Haec nimis perspicua sunt.

Resp. ad 1. In evangelio Matth. per oculum intelligitur hominis intentio, ut docet S. P. Augustinus lib. IV. cont. Julian. cap. 3. *Hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit*. Ast homo gratia fretus actuali, quamvis habituali careat, habet in opere peragendo ad quod

a gratia actuali movetur, bonam intentionem; ac proinde corpus ejus, hoc est, omnia ejus opera tenebrosa non erunt seu mala.

Ad 2. Peccator est arbor mala, si ex mala voluntate operetur omnique destitutus supernaturali adjutorio. Tunc certe bonos fructus facere non potest. Ast si homo peccator sit, adeoque absque sanctificante gratia, sed tamen habeat actualem a qua moveatur ad agendum, tunc arbor mala non est, et bonos producere potest fructus. Ita Augustinus loco nuperrime laudato: *Non itaque in quantum homo est, quod est opus Dei; sed in quantum malae voluntatis est, quisque arbor mala est, et bonos fructus facere non potest.*

Ad 3. Tamdiu peccator immundus est, quamdiu operatur ex cupiditate. Quod si gratiam a Deo accipiat actualem, operabitur ex caritate, sicque immundus non erit.

Ad 4. Per Prophetas alloquitur Deus peccatores bona opera ex prava intentione facientes, non peccatores quoscumque. Fieri namque ab homine possunt bona opera ex officio, sed ob pravum aliquem finem, ut experientia docemur; eoque in casu opera illa reprehensione digna sunt. Hoc se gerebant modo peccatores, quos laudatis in argumento locis Deus reprehendit. Hinc apud Isaiam cap. 29. de iisdem loquens Deus peccatoribus inquit: *Populus iste ... labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Reprehenduntur etiam Judaei, quod Deum externis colerent operibus, corde autem ad omne perpetrandum facinus parati essent. Quod tum ex allatis Isaiae verbis apparet, tum ex iis, quae eodem psal. 49. leguntur: *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.*

Obj. 2. S. P. Augustinus libro de gratia et lib. arb. cap. 18. inquit: *Praecepta caritatis tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene.* In libro autem de grat. Chr. cap. 26. subdit: *Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur.* Quidquid autem a peccatore fit, sine caritate fit, adeoque bonum esse nequit.

Resp. aliam per Augustinum esse caritatem habitualem, quae a sanctificante gratia profluit, et aliam actualem, quae proficiscitur a gratia actuali. Carent in suis actibus peccatores caritate habituali, quia habitualem gratiam non habent. Ast si bene agant excitati ab actuali gratia, caritatem et dilectionem habent actualem, per quam actus illi boni sunt ac supernaturales.

Obj. ultimo ratione. Homo, qui habituali gratia caret, ultimum finem suum in creatura constituit, atque idcirco lethaliter in actibus suis peccat.

Resp. hominem ultimum finem suum non constituere in creatura actibus illis, quos motus et excitatus ab actuali gratia exercet; atque adeo in iis non peccat, etiam si peccet in aliis.

CAPUT IX.

An praecepta Dei sint hominibus justis possibilia .

In superiore libro jam diximus, non defuisse pessimos in Ecclesia Dei homines, qui tam male de libero arbitrio senserunt, ut nec a gratia motum et excitatum divina praecepta adimplere posse arbitrarentur: quam impossibilitatem partim a Deo ipso impossibilia praecipiente, partim ex hominum libertate per peccatum amissa repetere solebant. Lutherus sane, Calvinus, horumque sectatores audacissime affirmarunt, hominibus etiam justis esse divina praecepta ad observandum impossibilia, ut laudato proxime libro ex pluribus illorum locis demonstravimus. Contra hos igitur omnem impendere debemus conatum ut demonstremus, hominibus justis impossibilia non esse divina praecepta. De alia enim controversia, an eadem divina praecepta possibilia sint quibuscumque hominibus, pertractabimus, Deo dante, alibi.

Nam aliud est inquirere, an omnibus ac singulis hominibus divina praecepta sint possibilia, et aliud, an sint possibilia hominibus justis. Divina praecepta possibilia esse hominibus justis, pertinet ad fidem, quum id ab Ecclesia expresse sit definitum. Ast Ecclesia minime definivit, eadem divina praecepta possibilia esse infidelibus, et obduratis excaecatisque peccatoribus. Immo eadem Ecclesia ad examen revocans opera Jansenii Yprensis Episcopi, licet lib. III. de gr. Chr. cap. 13. scriptum invenerit: *Hanc impotentiam* (observandi divina praecepta) *reperiri non solum in excaecatis et obduratis*, *atque infidelibus*, *sed etiam in fidelibus*, *et justis*, Ecclesia, inquam, non integram illam propositionem, sed eam partem dumtaxat, quae potestatem adimplendi praecepta justis hominibus denegat, proscripsit. Ex quo consequitur, tanquam haereticum habendum esse illum, qui hominibus justis impossibilia esse divina praecepta affirmaverit; non illum, qui eam admitteret impossibilitatem tantum in obduratis et infidelibus: quamvis nostra sententia sit, nec infidelibus et excaecatis impossibilia esse divina mandata.

Sed ut in controversia hac dirimenda perspicue procedamus, animadvertendum existimo, nomen hoc, *Impossibile*, non uno semper sensu sumi penes scriptores. 1. Illud dicitur impossibile, quod nullo prorsus modo fieri potest, ut si dicam: Impossibile est, lapidem videre vel loqui vel ambulare. 2. Dicitur aliquando impossibile, quod difficile et arduum est, ut si quis dicat: Impossibile est, ut tam longum iter pedibus conficiam. 3. Impossibile dicitur, quod absolute nolumus. Hujusmodi esset, si dicerem: Impossibile est, ut ego me interficiam. 4. Impossibile etiam dicitur, quod nunquam eveniet, quamvis absolute loquendo evenire possit; sicut est illud: Impossibile est, ut homo sanae mentis se ipsum interimat. Quando ergo asserimus, impossibilia hominibus justis non esse divina mandata, de impossibilitate loquimur priore modo considerata, statuentes falsum esse quod novatores obganniunt, nempe nullo modo fieri posse, ut justi homines divina observent praecepta.

Animadvertimus praeterea, duplicem esse in homine potestatem observandi legem divinam; alteram ab actu separatam, alteram vero cum actu conjunctam. Illa dat posse, seu constituit potentiam *in actu primo*: haec dat actum, potentiamque constituit *in actu secundo*. Rursus potentia ab actu separata dici potest vel remotissima, vel remota, vel proxima. Remotissima est in eo, qui naturalem quidem habet facultatem agendi, sed infirmam omnique adjumento expoliatam; talem tamen quae sanari possit et auxilium recipere ad operandum. Hoc sensu peccatores obdurati et excaecati bonum quodlibet operari possunt; quoniam etsi per peccatum vix in eis naturalis facultas supersit, eaque infirma omnique destituta gratia, possunt nihilominus a Deo recipere gratiam, per quam, infirmitate eorum sanata, velint agere bonum. Potentia autem remota invenitur in homine, qui gratiam habeat inefficacem, quam Thomistae sensu non malo appellant *sufficientem*; quoniam etsi naturalis falcultas ea gratia suffulta nequeat proxime et immediate in actum prodire, minus tamen difficile actum exercere poterit, si praesto ei sit auxilium efficax. Atque ex hoc intelligitur, in quo sita sit potentia proxima ad operandum; in magna videlicet ac robusta voluntate, per quam naturalis facultas infirma sanatur et roboratur, ita ut in actum prodire et cum ipso actu potentia conjungi possit. Statuentes itaque, homines justos potentiam habere ad observanda divina praecepta, idem est ac si statuamus, justis possibilia esse divina mandata tum potentia remotissima, propterea quod est in eis libertas arbitrii, tum potentia remota, quum habeant gratiam habitualem et gratiam actualem saltem inefficacem. Immo ut recte tota haec disputatio intelligatur, postquam demonstraverimus, justis impossibilia non esse divina praecepta, definiemus subinde, neque illis deesse gratiam, qua possibilia fiant. Ad rem igitur

CONCLUSIO I.

Praecepta Dei justis hominibus non sunt impossibilia.

Prob. 1. ex V. T. Haec occurrunt Deuter. cap. 30. *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est*; non supra nempe vires tuas. Eccl. cap. 15. *Si volueris mandata servare, conservabunt te ... Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi*. Ex quibus luculenter colligitur, nihil impossibile Deum hominibus quibuscumque praecipere, multoque minus impossibilia jubere hominibus justis.

Prob. 2. adhuc clarius ex N. T. Matth. cap. 11. Christus de lege, quam hominibus tradebat, ita loquitur: *Jugum meum suave est, et onus meum leve*. Joann. in I. ep. cap. 5. *Mandata*, inquit, *ejus gravia non sunt*. Apostolus in I. ad Cor. cap. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*.

Prob. 3. ex Eccl. definitionibus. Concilium Tridentinum sess. VI. cap. 11. adversus novatores ait: *Nemo temeraria illa et a patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Deus enim impossibilia non jubet; sed jubendo monet facere quod possis, petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Can. autem 18. inquit: *Si quis dixerit, homini etiam justificato praecepta Dei ad observandum esse impossibilia, anathema sit.* Pius V. hanc propositionem n. 54. in Baii scriptis damnavit: *Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, quum Pelagii sit.* Innocentius vero X. hanc aliam in opere Jansenii proscripsit: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia.*

Prob. 4. ex PP. Tertullianus lib. II. advers. Marcion. cap. 5. scribit: *Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate; nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur.* Hieronymus in cap. 5. Matth. inquit: *Multi praecepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus aestimantes, putant esse impossibilia, quae praecepta sunt ... Sciendum est ergo, Christum non impossibilia praecipere.* Chrysostomus hom. VIII. de poenit. ait: *Nequaquam Dominum incuses: non mandat impossibilia.* S. P. Augustinus lib. de fide contra Manich. cap. 10. *Quis non clamet*, inquit, *stultum esse praecepta dare ei, cui liberum non est, quod praecipitur, facere; et iniquum esse, Deum eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* In lib. de nat. et gr. cap. 43. dicit: *Non igitur Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis.* Consimilia habet in lib. II. de peccat. mer. et remiss. cap. 5. Leo M. serm. XVI. de pass. Dom. cap. 6. *Nihil habemus*, inquit, *nisi quod accepimus, et jugiter admonemur, ut dona gratiae Dei non negligenter habeamus. Juste enim nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio.* Gregorius item M. dicit: *Pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem poena transeat, et per astutiam fortium humana infirmitas excedat.* Infinitus evaderem, si omnia vellem testimonia patrum afferre.

CONCLUSIO II.

Hominibus justis, cum urget eos tentatio, supernaturale Dei auxilium non denegatur.

Prob. 1. M. Augustini auctoritate, qui in psal. XXXIX. n. 27. ita scribit: *Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es, quod voluit, ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiae. Curam tui non habebit? ... Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, et noxia resecat.* Et paullo post eadem de

justis loquens repetit: *Dominus curam habet tui, securus esto ... Ab artificis tui manu noli cadere ... Nusquam tibi deest: tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse*. In psal. CXLV. n. 9. *Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur*. Lib. IV. conf. cap. 9. *Te nemo amittit, nisi qui dimittit*. In lib. denique de nat. et gr. cap. 26. *Ipse autem Deus*, inquit, *cum per mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum spiritualiter sanat aegrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur*. Atque hoc esse ait inter spiritualem ac corporeum medicum discrimen: quod hic cum sanavit hominem, abscedit ab eo, et Deo dimittit; Deus autem cum justificat impium, non deserit nisi prius deseratur. Concinit Augustino fidissimus discipulus ejus Prosper in resp. ad VII. object. Vincent. dicens: *Dei ergo voluntas est, ut in bona voluntate maneatur; qui et priusquam deseratur, neminem deserit, et multos desertores saepe convertit*.

Prob. 2. ex conciliis. Synodus Arausicana canone 25. definit, quod *omnes baptizati, accepta baptismi gratia, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint et debeant adimplere*. Concilium Tridentinum sess. VI. cap. 11. in suis definitionibus adsciscit et consecrat S. Augustini recitata verba: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius deseratur*. Constat itaque luculentissime, justis, cum tentatio urget vel instat praeceptum, non denegari a Deo auxilium aliquod supernaturale, gratiam videlicet, quae a Thomistis sufficiens, a nobis autem inefficax appellari solet, qua possint mandata adimplere si velint. Neque enim asserimus, cuilibet justo praesto esse gratiam efficacem, quae facit ut mandata servemus et custodiamus; sed quaestio est dumtaxat de gratia inefficaci.

Ast adversae sententiae patroni respondent, synodum Tridentinam, et ante illam S. P. Augustinum affirmantes, Deum non deserere justum nisi ab eo deseratur, loqui non de actuali, etiam inefficaci, sed de habituali gratia. Sensusque illorum est, Deum habitualem a justo non subtrahere gratiam nisi justus peccando alienetur a Deo. Et re quidem vera. Augustinus multis in locis, et lib. praesertim VIII. de gen. ad litt. cap. 12. medici comparationem superius allatam usurpat ad demonstrandum, Deum non deserere justum per subtractionem gratiae habitualis.

Verum falsam esse hanc adversariorum animadversionem, facile demonstratur. Et 1. quoniam S. P. Augustinus in lib. de nat. et gr. unde laudata verba Tridentina synodus mutuavit, refellit Pelagium affirmantem: *Non esse necessariam misericordiam Dei, ut non peccemus, sed quia peccavimus*. Misericordia autem, quam necessariam esse ut non peccemus, demonstrat Augustinus, non habitualis, quam Pelagius admittebat, sed actualis gratia est. 2. Affirmat S. doctor, Deum non deserere justum hac de caussa; ut nempe ipse pie justeque vivat. Ast auxilium ad pie justeque vivendum nonne est gratia actualis? 3. Augustinus, ut thesim suam con-

firmet, utitur medici comparatione dicens, medicum deserere aegrotum sanitati restitutum, Deum autem non deserere impium justificatum. Numquid medicus hominem sanatum deserendo sanitatem ab eo subtrahit? Minime: sed auxilia illi amplius non exhibet, per quae sustentetur et vivat. Si ergo Deus justificatum non deserit, actualia auxilia, per quae in justificatione perseveret, illi elargitur. 4. Quod clarius confirmat addendo: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

Quod secundo loco positum est nullo negotio solvitur. Nam eadem comparatio nonne ad plura etiam diversa explicanda adhiberi potest? Etsi aliis in locis S. Pater comparationem illam usurpet ad significandum, neminem deserere Deum per subtractionem gratiae habitualis, in libro tamen de nat. et gr. assumit illam ad denotandum, non deseri a Deo hominem per subtractionem gratiae actualis, nisi ipse prius deserat Deum, ut ex dictis satis abunde patet.

Diluuntur contraria argumenta.

Obj. 1. cont. 1. thes. I. Proloquium illud: *Deus impossibilia non jubet*, erat olim in ore Pelagianorum; unde nihil demonstrat. II. Deinde Augustinus aliique patres proloquium illud adsciverunt comparate ad homines, non in statu naturae lapsae, sed naturae innocentis constitutos. In hoc quippe statu originale peccatum impotentiam parit divina servandi praecepta.

Resp. ad 1. Effatum illud erat in ore Pelagianorum et in ore catholicorum. Ab illis in sensu haeretico, a catholicis in sano sensu usurpabatur. Illi affirmabant, cuique possibilia esse divina mandata per solas vires naturae; Augustinus autem ceterique veteres patres, divina mandata esse possibilia per naturam a gratia adjutam. Ceterum si proloquium illud non erat nisi in ore Pelagianorum, Pelagiani ergo fuere Hieronymus, Augustinus, aliique patres superius laudati, qui expresse dixerunt: *Deus impossibilia non jubet.*

Ad 2. Falsum omnino est, antiquos patres effatum illud adhibuisse relate ad statum naturae innocentis. Ut de ceteris sileam, Augustinus certe ex eo principio exhortatur homines ad orationem dicens, Deum impossibilia non jubere; sed jubendo monere ut faciamus quod possumus, et petamus quod non possumus. Praeterea proloquium illud urget S. doctor contra Pelagianos affirmantes, posse hominem solis naturae viribus divina mandata servare. Porro Pelagiani non de statu naturae innocentis, sed de statu loquebantur naturae corruptae.

Obj. 2. S. P. Augustinus in Psal. CVI. n. 5. scribit: *Inclusum se sentit difficultate vitiorum; et tanquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, qua evadat, ut recte vivat, non invenit.* Lib. I. retr. cap. 22. *Cum fortis*, inquit, *et potens praeparatur voluntas a Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile, atque impossibile fuit.* Lib. III. de lib.

arb. c. 18. *Illa est peccati poena justissima ... ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit; et qui recte facere, cum posset, noluit, amittat posse cum velit*. Paria his innumera occurrunt in S. doctoris libris, ex quibus apparet, hominibus etiam justis impossibilia esse divina mandata. II. Neque verum est, loqui Augustinum, ut vulgo respondetur, de impotentia hypothetica et consequente. Nam in lib. de gr. et lib. arb. cap. 17. divinorum mandatorum impotentiam adstruit absolutam et physicam etiam in iis qui volunt. Ait siquidem: *Qui vult facere Dei mandatum et non potest*. Et tract. XXXIV. in Joann. *Conaris ambulare et non potes*. Multa alia Augustini testimonia, quae ab adversariis in controversia de libertate afferri solent, urgent etiam adversus hanc nostram thesim. De iis autem suo loco.

Resp. ad 1. Ex iis, quae capitis initio monuimus, facile haec et similia solvuntur. Quando enim Augustinus affirmat, impossibilia esse divina praecepta, loquitur de impossibilitate hypothetica et consequente, non de physica et absoluta, ita ut neget in aliquibus potentiam ab omni impedimento nolentiae, non ab omni impedimento impotentiae expeditam. Item loquitur S. Pater de potentia proxima et cum actu conjuncta, quam supra declaravimus, negans in aliquibus possibilitatem proximam servandi divina praecepta, quoniam, quum gratia careant efficaci, quamvis inefficaci sint suffulti adjutorio, actu divina mandata non observant. Atque ita quum quis per Augustinum vitiorum difficultate se sentit inclusum, non vult absolute divina servare praecepta; dumque in ea voluntate persistit, impossibilis illi est impossibilitate consequente legis divinae observatio. Si autem gratiam a Deo obtineat efficacem, qui prius potentiam tantum habebat ad servanda mandata remotam, possibilitatem adipiscetur proximam, ac ita actu mandata servabit. Hoc ex recitatis e lib. I. retr. cap. 22. verbis non obscure colligitur. *Cum fortis et potens praeparatur voluntas a Domino*, hoc est, cum justo parvam dumtaxat habenti gratiam datur gratia efficax seu victrix delectatio, quae *voluntas fortis ac potens a Domino praeparata* crebro ab Augustino vocatur, *facile fit opus pietatis, quod prius difficile atque impossibile fuit*, impossibilitate nimirum proxima et cum actu conjuncta, nec non impossibilitate consequente et hypothetica; quoniam gratia efficax facit ut faciamus atque velimus, praebendo vires efficacissimas voluntati. Hoc eodem sensu tertius quoque intelligitur locus: *Amittat posse cum velit*. Amittat videlicet posse proximum, quando voluntate volet parva et invalida per inefficacem gratiam ipsi inspirata.

Ad 2. dico 1. Si allatum argumentum consisteret, sequeretur, eum qui vult et non potest non modo ad observanda mandata impotentiam habere antecedentem et absolutam, sed etiam coactionem et violentiam. Nam tunc homo coactionem patitur ac violentiam, quando facere nequit quod vult, ad quod faciendum conatur, quemadmodum coactionem ac violentiam patitur, qui compedibus obstrictus vult et conatur ambulare, sed non potest. Hoc autem ab adversariis in homine, qui vult et conatur agere bonum, non admittitur. 2. Non efficaciter sed inefficaciter per S. P. Augusti-

num in allata sententia homo vult agere bonum. Qui enim gratiam habet parvam et invalidam, agere profecto vult bonum, sed ita remisse, ut voluntas illa dici potius debeat velleitas quam vera voluntas; quoniam quum fortius validiusque ab amore trahatur boni sensibilis, absolute et efficaciter vult divina violare praecepta. Sic ei, qui hoc modo et vult et conatur, divina mandata impossibilia sunt impossibilitate hypothetica et consequente, quae nempe descendit ex *nolentia*. Hinc S. Pater lib. de nat. et gr. cap. 15. *Qui voluerit*, inquit, *et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat*. 3. Homo parvam habens voluntatem invalidumque conatum impotens est ad observanda praecepta impotentia proxima et cum actu conjuncta, non impotentia remota. Hinc S. doctor loco in argumento laudato scribit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem* (potentia proxima) *cum magnam habuerit et robustam*, quando scilicet gratiam habebit efficacem atque victricem.

Obj. 3. cont. alteram prop. Petrus quamvis justus in tentatione positus gratiam non habuit, proindeque Christum negavit. Nam S. P. Augustinus serm. LXXIX. de temp. *Quid est homo*, inquit, *sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum? Ideo B. Petrum Dominus paululum deseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine gratia praevalere*. Tract. XLII. in Joann. de caritate loquens ait: *Haec defuit Petro, quando mulieris ancillae interrogatione perterritus non potuit verum testimonium perhibere*. Lib. de gr. et lib. arb. cap. 17. *Caritatem Apostolus Petrus non habuit, quando timore Dominum ter negavit; et tamen, quamvis parva et imperfecta, non deerat, quando* etc. Eadem aliis in locis quoque repetit. Chrysostomus hom. LXXXIII. in Matth. *Petrus*, inquit, *et si bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio cecidit*. Quid simile de Petro aliisque justis tradunt Hieronymus, Basilius, Theodoretus, Arnobius, alii.

Nonnulli ad hoc argumentum respondent, nihil ex laudatis patrum locis adversus nostram thesim elici posse, quoniam Petrus, quando a Deo desertus est, justus amplius non erat. Sed qui ita respondent decipiuntur. Nam Petrum tunc justum adhuc fuisse, luculentissime eruitur, ut cetera mittam, ex allatis testimoniis SS. PP. qui Petrum in exemplum assumunt eorum, quae cuilibet evenire possunt justo; ex Chrysostomo dicente, *Petrum fuisse bene animatum*; et, quod magis est, ex ejusdem Christi sententia paullo ante Petri casum prolata: *Vos autem mundi estis, sed non omnes: sciebat enim, qui esset eum traditurus*. Hac itaque missa solutione, dico, Petrum in tentatione positum gratiam non habuisse efficacem, per quam posset potentia proxima et expedita tentationem superare; habuisse tamen gratiam inefficacem, per quam poterat potentia remota Christum non negare: quod diserte testatur et Augustinus lib. de gr. et lib. arb. loco in argumento laudato dicens: *Caritatem Apostolus Petrus non habuit, quando timore ter Dominum negavit; et tamen, quamvis parva et imperfecta, non deerat*; et Chrysostomus in laudata homilia: *Petrus etsi bene animatus fue-*

rat etc. Unde allatum Petri exemplum non demonstrat, justis hominibus aliquando omnem omnino auferri a Deo gratiam. Neque vero demonstrat, justis quandoque impossibilia esse divina mandata; quippe quod Petrus poterat tentationi resistere et potentia remotissima, quae in liberi arbitrii viribus reposita est, et potentia remota, quum gratiam haberet sanctificantem et actualem inefficacem, qua poterat vel immediate tentationem superare, vel mediate ad orationem confugiendo, per quam gratia efficax impetratur. Nec dicas, ad orandum quoque gratiam requiri efficaciter adjuvantem, ut suo loco probabitur. Nam gratia, quae comparate ad unum opus inefficax est, comparate ad aliud efficax esse potest. Hinc parva illa caritas, quam Petrus habebat relate ad integram tentationis victoriam, inefficax erat; sed relate ad orationem efficax fuisset, nisi obicem ipse posuisset, *putando se posse quod se velle sentiebat*. Neque ex hac nostra sententia sequitur, Deum teneri dare omnibus justis saltem gratiam inefficacem, adeoque gratiam non esse gratuitam. Non enim contendimus nos, Deum absolute, sed ex suppositione tantum, teneri conferre homini justo actualem aliquam gratiam, dum tentatio urget aut instat praeceptum. Supponimus nempe, patrum et conciliorum innixi auctoritati, promisisse Deum, non se deserturum per actualis gratiae subtractionem justos, nisi prius ab iis deseratur.

CAPUT X.

An in hoc infirmitatis statu detur aliqua interior gratia, cui voluntas resistat.

Celebris est penes recentiores theologos actualis gratiae divisio in sufficientem et efficacem. Ut verum ego fatear, veteres patres ecclesiasticique scriptores ejusmodi gratiae divisionem non agnoverunt. Sed Scripturarum usurpantes loquendi formas dividebant eam in *operantem* et *cooperantem*, in *praevenientem* et *subsequentem*, in *excitantem* et *adjuvantem*. Et operantem quidem dicebant eam, quae homini primam dat bonam voluntatem seu boni desiderium; cooperantem vero, quae bonum inceptum opus perficit juxta modum loquendi Apostoli ad Philipp. cap. 1. *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu*. Et cap. sequente: *Operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*. In quae verba S. P. Augustinus lib. de gr. et lib. arb. cap. 17. scribit: *Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*. Gratia autem, quae sub uno aspectu appellabatur a patribus operans, sub alio considerata dicebatur etiam praeveniens; sicuti cooperans ab iisdem subsequens vocabatur. Unde Augustinus in lib. de nat. et gr. cap. 31. inquit: *Praevenit ut sanemur, quia et subsequetur, ut etiam sanati vegetemur: praevenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur: praevenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus*. Et cohaerentes quidem ad phrasim sanctarum Litterarum quae psal. LVIII. inquiunt: *Misericordia ejus praeveniet me*; et psal. XXII. *Misericordia tua subsequetur me omni-*

bus diebus vitae meae. Eamdem denique gratiam nominibus designabant excitantis et adjuvantis, vocabulis ex sacra Scriptura mutuo acceptis. Nam Apostolus ad Eph. cap. 5. *Surge*, inquit, *et exsurge a mortuis*, *et illuminabit te Christus*; et ad Rom. cap. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*. In priora Pauli verba scribit Augustinus in psal. LXII. Apostolus *excitabat animam dormientem*, *quando ad hoc eam excitabat*, *ut illuminaretur a Christo*. *Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste*: *Deus*, *Deus meus*, *ad te de luce vigilo*. *Non enim vigilares in te*, *nisi oriretur lux tua*, *quae te de somno excitaret*. Et in posteriora ait in epist. ad Sixtum: Nomine spiritus *non esse intelligendum spiritum nostrum*, *de quo dictum est*, *Interpellat gemitibus inenarrabilibus*, *sed Spiritum S. quo nostra infirmitas adjuvatur*, *satis ipse demonstrat Apostolus*. Ita actualis Salvatoris gratia antiquitus dividebatur. Sed theologi nonnulli scholastici patrum nostrorum pertaesi locutionum, novarumque vocum amatores, ut suarum forte praecisionum ideas luculentius explicarent, non repudiarunt quidem, sed reliquerunt antiqua gratiae operantis, praevenientis, et excitantis nomina, ut in eorum locum nomen substituerent *gratiae sufficientis*. Sed quoniam nunc jam in usu est apud omnes, admittamus illam et nos, apposita tamen vera nominis illius idea, et ab omni expurgata praejudicio.

Actualis ergo gratia Salvatoris alia est efficax, et alia sufficiens. Illa est supernaturale Dei auxilium semper cum actu conjunctum, quod *a nullo duro corde respuitur*. *Ideo quippe tribuitur*, *ut cordis duritia primitus auferatur*, ut scribit S. P. Augustinus lib. de praed. SS. cap. 8. Haec autem, nempe gratia sufficiens, alio a Molinistis, alio a Thomistis, alio ab Augustini discipulis accipitur modo. Moliniani sufficientis gratiae nomine auxilium intelligunt, quod omnia ad opus necessaria continet, ita ut per illud in potestate hominis sit opus bonum absque alio auxilio facere. Gratia scilicet sufficiens in eorum sententia dat posse agere bonum. Ut vero bonum actu fiat, nihil aliud requiritur ex parte Dei, sed totum pendet opus a libero hominis arbitrio gratiam illam determinante. Ita Molina. Addit autem Suarez, quod si illa flexibilis gratia in quibusdam conferatur circumstantiis, in quibus homo gratiam illam est infallibiliter determinaturus, tunc gratia, quae sub uno aspectu vocatur sufficiens, appellatur *congrua*.

Recentiores Thomistae sufficientis gratiae nomine auxilium intelligunt, quod voluntati tribuit posse agere; quamvis ut actu agat, necessarium sit aliud auxilium, quod dicitur efficax, ab auxilio illo sufficiente omnino diversum. Nec male, inquiunt, ejusmodi gratia appellatur sufficiens, quoniam etsi non sufficiat ad perficiendum opus, sufficit tamen ad perficiendam potentiam, sine qua prodire non posset in actum; quemadmodum oculi sanitas est principium sufficiens ut possit videri, quamvis non sufficiat ut actu videatur, quoniam requiritur lumen.

Augustinianae scholae sectatores in assignanda universim gratiae sufficientis notione a recentioribus Thomistis non dissentiunt. Et ipsi namque affirmant, non ita gratiam illam sufficere, ut ad actu operandum aliud necessarium non sit adjutorium. Ast in eo ab illis discrepant, quod quum

gratia habeat gradus suos, si hoc supernaturale auxilium tale sit ut non inspiret nisi invalidum quoddam velle piaque nonnulla desideria, quae integrum opus non perficiunt, gratia illa dicatur sufficiens. Si autem ita augeatur, ut carnem contraria concupiscentem voluntas spiritus vincat, tunc gratia vocetur efficax. Nos eam, quae a Thomistis appellari solet sufficiens, vocabimus inefficacem et parvam. Animadverto interim, pauca haec nunc de gratia sufficiente delibasse ut praesentis controversiae status intelligatur. Ceterum de eadem sufficiente gratia in sensu Thomistico et Augustiniano, paullo fusius pertractabimus libro sequente.

Ita ergo catholici de gratia sufficiente sentiunt. Ast haeretici ac praecipue Calvinus lib. II. instit. cap. 3. pertinacissime negant, dari gratiam, quae suo effectu ad quem dirigitur frustretur, et cui humana voluntas resistat. Sic enim loco mox laudato loquitur haeresiarcha. *Medium, quod sophistae* (intelligit theologos Parisienses) *imaginantur, motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia*. Sed de heterodoxorum sententia actum libro antecedente. Refellendi itaque sunt.

CONCLUSIO.

Datur in hoc naturae lapsae statu aliqua interior gratia, cui humana voluntas resistit.

Prob. 1. Scripturis. Isaiae cap. 5. sic inquit Deus: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Cap. autem 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas*. Matth. cap. 23. Christus ait: *Hierusalem, Hierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Act. ap. cap. 7. Stephanus alloquens Judaeos inquit: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui S. resistitis*. Paulus ad Rom. cap. 2. *Benignitas Dei*, inquit, *ad poenitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram*. In II. ad Cor. cap. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. In I. ad Thessal. cap. 5. *Spiritum nolite extinguere*. Quae clara sunt ad suadendum, multos gratiae Dei resistere, proindeque dari in hoc infirmitatis statu gratiam, cui humana voluntas resistit. Nec est, quod Calvinus dicat, in laudatis Scripturae sententiis sermonem institui de Dei auxiliis extrinsecis, non de interiore gratia. Nam Stephanus et Paulus, ne singula ad examen revocem testimonia, loquuntur de motu Spiritus S. deque Dei benignitate hominem ducente ad poenitentiam. Ast Spiritus S. motus et Dei benignitas peccatorem ducens ad poenitentiam nonne sunt interior gratia excitans?

Prob. 2. ex ecclesiasticis definitionibus. Concilium Arausicanum II. cap.

23. sic inquit: *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent possint ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*. Concilium Valentinum III. can. 2. definit, *malos non ideo perire, quia boni esse non possunt, sed quia boni esse noluerunt*. Id ipsum statuit concilium Senonense adversus Lutheranos celebratum an. 1528., iisdemque a nobis nuper allatis Scripturis demonstrat, dari gratiam, cui humana voluntas resistit. Synodus tandem Tridentina sess. VI. cap. 5. hanc eamdem consecrat doctrinam, *ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens quippe qui illam et abjicere potest*. Innocentius X. hanc numero II. ex Jansenii volumine excerptam damnavit propositionem: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur*. Et in Quesnellii opere haec alia proscripta est propositio num. XIII. *Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit*.

Prob. 3. ex PP. Justinus in dial. cum Tryph. *Itaque si omnes*, inquit, *qui misericordiam a Deo consequi volunt, superioris vitae poeniteat, id praestare possunt*. Irenaeus adv. haer. lib. IV. cap. 76. *Qui igitur obstiterunt a paterno lumine, et transgressi sunt legem libertatis, per suam obstiterunt culpam liberi arbitrii*. Clemens Alexandr. lib. II. strom. *Divinum Verbum*, inquit, *clamavit omnes simul vocans, eos quidem vel maxime cognoscens, qui non erant parituri; et tamen quoniam est in nostra potestate parere, vel non parere ... justam fecit vocationem*. S. P. Augustinus in lib. de corr. et grat. cap. 11. scribit: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset ... non utique sua culpa cecidissent ... Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum: et tanto amplius datur per J. C. D. N. quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus etiam si velimus, verum ètiam tantum ac tale sit, ut velimus*. Distinguit hic S. doctor duplex adjutorium, *sine quo*, et *quo*. Adjutorium *sine quo* proculdubio est gratia inefficax, cui voluntas resistit; quemadmodum adjutorium *quo* est gratia efficax, cui resistere potest voluntas, sed nunquam resistet. Dari in hoc infirmitatis statu adjutorium *sine quo*, patet ex illis Augustini verbis: *Nunc quibus deest, jam poena peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur*. Quare datur per Augustinum in hoc infirmitatis statu interior gratia, cui voluntas resistit. In lib. de grat. et lib. arb. cap. 17. inquit: *Qui vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam*. Ast juxta Augustini phrasim voluntas parva et invalida nil aliud est quam gratia, cui voluntas ipsa resistit; ait quippe ibidem: *Ipsam caritatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit ... Et tamen, quamvis parva et imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam: putabat enim, se posse quod*

se velle sentiebat. Et ne nimius sim, in Psal. XXXII. n. 2. scribit. *Nec se excuset, qui audire non vult, ne quasi sit quod ab illo exigatur. Id ipsum enim exigitur, quia noluit accipere cum daretur. Aliud est enim non posse accipere, aliud nolle: illic excusatio necessitatis est, hic reatus voluntatis*. S. Prosper in resp. ad obj. Gall. XIII. *Qui enim voluntatem Dei spreverunt invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem*. Gregorius M. lib. LIII. moral. cap. 20. ait: *Idcirco nequaquam caelestis gratiae praemia aeterna percipiunt, qui ea nunc dum promereri poterant libero arbitrio contempserunt*. Ab aliis PP. citandis abstineo, ne in re nimis clara tempus terere videar.

Prob. 4. theol. ratione. Omnibus ac singulis justis praeter habitualem gratiam auxilia quaedam, eaque interiora, dantur, ut superiore capite demonstravimus. Verum non omnes justi in accepta justitia perseverant, ut experientia patet. Hi ergo interioribus illis auxiliis resistunt; adeoque interiori gratiae aliquando resistitur.

Refelluntur argumenta adversariorum.

Obj. 1. In sacris Litteris quoties sermo fit de gratia, gratiae nomine intelligitur semper Dei supernaturale adjutorium efficax, cui humana certe voluntas nunquam resistit; alioquin non esset efficax. Nam Paulus in ep. ad Rom. cap. 9. *Non volentis*, inquit, *neque currentis, sed miserentis est Dei*. Et ad Philipp. cap. 2. *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*. Clariora adhuc habet Ezechiel cap. 36. Atque hujus generis innumera occurrunt in Scripturis. Quare interiori divinae gratiae nunquam resistitur. II. Neque distinguere juvat, ad argumenti vim eludendam, inter gratiam efficacem et inefficacem. Nam gratia, quocumque nomine designetur, nil aliud estquam Dei voluntas. Ast divinae voluntati numquid resistere potest voluntas humana? Absit. Nam *Deus noster in caelo: omnia quaecumque voluit, fecit*, inquit David psal. CXIII. Et Paulus ad Rom. cap. 9. *Voluntati enim ejus quis resistit?*

Resp. ad 1. Sacra Scriptura locis in argumento allatis, et aliis plurimis, quae afferri possunt, loquitur de gratia efficaci sine exclusione gratiae inefficacis. Nam eadem Scriptura, quae memoratis locis totum opus Deo tribuit, aliis in locis paullo ante a nobis recitatis in hominis relinquit potestate impulsum sequi vel non sequi gratiae, et non raro conqueritur, quod divinae gratiae homo resistat.

Ad 2. dico 1. Deum facere omnia quaecumque vult, etiam si verum sit dari gratiam, cui voluntas resistat. Nam si Deus vult gratiam conferre, illam utique confert. Si gratiam conferendo vult misericordiam ostendere, ostendit. Ast quando Deus gratiam elargitur inefficacem, non vult efficaciter opus, alioquin gratiam conferret efficacem. Sed vult dumtaxat bonam, licet parvam, voluntatem, quae ab inefficaci gratia producitur. 2. Divinae voluntati nunquam humana voluntas dissentiet, comparate ad effectum proximum et immediatum, quamvis saepe illi resistat comparate ad

effectum remotum. Rem explico. Duplicem in Deo admittunt theologi voluntatem, antecedentem scilicet et consequentem, ut harum Institutionum tom. II. animadvertimus. Voluntas consequens semper efficax est, non item antecedens. Deus v. g. inspirat alicui parvam gratiam, ut vinolentiae superet habitum. Per eam bonam habet ebriosus voluntatem, piumque vinolentiae habitum abjiciendi desiderium; sed pravum habitum revera non abjicit. Deus hoc in casu voluntate sua consequente vult in homine illo bonam voluntatem piumque desiderium. Et quoniam bona voluntas in eo reapse excitatur, voluntati Dei non resistit. Ast vero homo ille per liberum suum arbitrium parvae huic gratiae, qua vinolentiae habitum vincere potest, concupiscentia instigante, obicem ponit, et gratiae divinae resistit. Sicque verum est, neminem divinae resistere voluntati, et verum quoque est, dari gratiam, cui humana voluntas resistit.

Obj. 2. S. P. Augustinus ubique in suis adversus Pelagianos ac Semipelagianos scriptis gratiam commendat efficacem, quam robustissimam omnipotentissimamque appellat voluntatem, quae a nullo duro corde respuitur, quaeque facit, ut faciamus. Non datur itaque per Augustinum gratia, cui humana voluntas resistat. II. Et dum ita S. doctor gratiam commendat atque describit, excludere plane intendit gratiam illam, quae inefficax ab ejus discipulis appellatur. Nam in lib. de corr. et gr. et alibi passim totus est, ut maximum intercedere demonstret inter statum naturae innocentis et statum lapsae discrimen; illudque in hoc consistere docet, quod tunc necessarium esset adjutorium *sine quo*, gratia videlicet inefficax; nunc autem requiratur adjutorium *quo*, efficacissimum videlicet supernaturale auxilium. III. Atque hoc ipsum idea confirmat, quam Augustinus tradit adjutorii *sine quo*, sive gratiae inefficacis: ait quippe per hanc gratiam dari homini posse bene agere. Ast vult S. doctor, non posse hominem in hoc infirmitatis statu bene agere absque adjutorio *quo*, seu efficaci. Nam Scripturae loca, quae de gratia pertractant, et illa etiam a nobis supra relata, explicat constantissime de gratia efficaci in lib. I. ad Bonif., in lib. de grat. et lib. arb., et alibi saepe.

Resp. ad 1. brevissime. S. P. Augustinus gratiam commendat efficacem sine inefficacis exclusione, ut ex testimoniis superius allatis satis superque colligitur. Ideo autem contra Pelagianos disputans gratiam semper urget efficacem, quoniam illi autumabant, non modo ad inchoandum, sed et ad perficiendum opus satis esse purum putumque hominis arbitrium.

Ad 2. In hoc consistit discrimen, quod S. Pater inter utrumque statum admittit; quod in statu naturae innocentis ad bonum agendum non indigeret Adam, nisi adjutorio inefficaci, quod ab eo adjutorium appellatur *sine quo*, quum illius natura sana esset, nec a pugnaci concupiscentia traheretur ad malum; nunc autem, praeter auxilium *sine quo*, gratia requiratur efficax, ut carnem contraria concupiscentem voluntas spiritus actu vincat. Hinc in lib. de corr. et grat. cap. 11. ait: *Nunc quibus deest tale adjutorium* (sine quo), *jam poena peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur.*

Ad 3. Dum Augustinus tradit, in hoc infirmitatis statu efficacissimum requiri adjutorium, ut homo possit bene operari, loquitur de potentia proxima et cum actu conjuncta, quam homo non habet, nisi efficacem a Deo recipiat gratiam. Nam saepe docet, etiam cum inefficaci gratia posse hominem, potentia tamen remota et ab actu sejuncta, supernaturaliter operari. Quid sit potentia proxima, quid remota, supra explicavimus.

Obj. 3. Gratia, quae ab Augustinianis dicitur inefficax, quum nunquam habuerit nec habitura sit effectum, ad quem dicitur ordinata, est prorsus vana et inutilis, adeoque rejicienda. II. Immo si res probe perpendatur, est magis noxia quam utilis. Homo quippe gratiae illi resistendo, magis peccator evadit ac reus, quam si gratiam nullam haberet. Idcirco non male ajebat ille: *A gratia sufficienti libera nos, Domine*.

Resp. ad 1. gratiam inefficacem inutilem minime esse. Quamvis enim effectum, ad quem ordinatur, non producat, nisi alia uberior, quae dicitur efficax, praesto sit gratia; nihilominus disponit hominem ad gratiam recipiendam efficacem. Nam praeterquam quod hominem ad supernaturalem elevat statum bonam ei inspirando voluntatem, praeter hoc, inquam, si bona voluntas ita augeatur, ut magna evadat atque robusta, integrum ac perfectum habebitur opus: et nisi ad actionem obicem concupiscentia poneret, gratia illa inefficax, quantum ex se est, bonam produceret actionem, ad quam ordinatur.

Ad 2. Hominis peccantis reitas non a gratia, quam ipse respuit, sed a praedominante provenit cupiditate. Quumque cupiditas seu concupiscentia in eoqui inefficacem habet gratiam minus lacertosa sit, quam in eoqui ea omnino caret, inspirans inefficax gratia pia desideria bonamque voluntatem facit, ut minus graviter peccet qui ea donatur, quam qui ea penitus destitutus est. Deinde nonne gratia inefficax dat potentiam, licet remotam, ad agendum? Sicut ergo noxia non est gratia habitualis, quae et ipsa remotam dat ad operandum potentiam, ita noxia non est gratia inefficax. Denique si qui gratiam habet inefficacem eo titulo magis peccaret, sequeretur, peccatores obduratos et excaecatos omni prorsus gratia carentes minus ex ea carentia peccare, quam peccatores non obduratos, quod absurdissimum est. Unde Alexander Papa VIII. hanc merito damnavit propositionem: *Gratia sufficiens statui nostro non tam inutilis, quam perniciosa est; sic ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti libera nos, Domine*.

CAPUT XI.

Demonstratur, pollere hominem in hoc infirmitatis statu sua libertate, et quidem indifferentiae, quae necessaria statuitur ad merendum et demerendum.

Multos, et Lutherum praesertim atque Calvinum, circa humanae voluntatis libertatem errasse, narravimus libro superiore. Quae ad humanae libertatis essentiam ac proprietates pertinent, exponentur a nobis initio li-

bri sequentis. Nunc illud animadvertere dumtaxat sufficiat, catholicorum omnium sententiam esse, primi peccati granditate liberum non periisse in homine arbitrium, ut novatores contra proprium intimum sensum dogmatizant; sed vigere adhuc, licet infirmum, illudque esse indifferentiae, non quod appellari solet lubentiae seu a coactione. Immo certissima fide tenent, ad merendum vel demerendum libertatem non sufficere a coactione, sed requiri libertatem indifferentiae seu a necessitate. Atque tria haec totidem propositionibus statuenda sunt hoc in capite. Unde

CONCLUSIO I.

In hoc infirmitatis statu persistit adhuc in homine liberum voluntatis arbitrium.

Prob. 1. sacris Litt. Gen. cap. 4. sic Deus Cainum alloquitur: *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Eccl. cap. 15. legitur. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Josue cap. 24. *Si malum*, inquit, *vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis.* Joann. cap. 19. ita Pilatus Christum alloquitur. *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?* Paulus in I. ad Cor. cap. 7. Quod si pater, inquit, filiam nuptui tradere velit, *quod vult faciat... Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem habens suae voluntatis* etc. Adeo luculenter haec demonstrant liberam in quovis homine arbitrii facultatem, ut ea explicare idem esset ac obscura reddere.

Calviniani nihilominus primum alterumque V. T. locum a nobis allatum ad rem minime facere contendunt. Et quoad primum, ibi, inquiunt, sermo fit non de libero humanae voluntatis arbitrio, sed de Caini in Abelem fratrem suum auctoritate ratione primogeniturae. Quod suadere conantur, tum ex quo *peccatum*, *appetitus*, *concupiscentia* hebraice nomina sint feminini generis, et in ea propositione, to *illius*, *Tu dominaberis illius*, habeatur suffixum masculini generis; tum etiam ex quo septuaginta interpretum versio legat: *Ad te conversio ejus, et tu principatum habebis ipsius*; tum denique ex quo Chrysostomus allata verba ita interpretetur: *Post peccatum hoc permitto, ut primogeniturae privilegiis gaudeas, illumque sub tua potestate et dominio esse jubeo.* Quoad alterum vero ajunt, dicta illa esse de primo homine, quando adhuc erat in statu naturae innocentis, quem liberum habuisse arbitrium non diffitentur.

Sed nihil hac exceptione proficiunt. Atque ut a primo exordiar, grae-

ea etiam admissa lectione ac interpretatione Chrysostomi, viget adhuc nostrum argumentum. Etenim juxta LXX. atque Chrysostomum Deus ita principatum super Abelem ratione primogeniturae Caino dedit, ut, si hic bene egisset, bona, sin autem male, mala reciperet. Quare liberum habebat Cain arbitrium, quo bonum vel malum in Abelem agendo, poenam vel praemium sibi comparare posset. Verum contendo, in allatis geneseos verbis sermonem fieri de dominio libertatis in appetitum et concupiscentiam. Nam Targum Hierosolymitanum ita vertit: *Verum in manu tua tradidi potestatem concupiscentiae malae, et tu dominaberis in eam, sive ad innocenter vivendum, sive ad peccandum*. Rursus, ita textum intelligunt, praeter Rabbinos, etiam Josephus, et Cartwrightus, et Mercerus. Unde Vatablus inquit: *Omnes fere referunt haec ad peccatum*. Quibus nostrae vulgatae adde auctoritatem, et scopum sacri auctoris; qui hic videtur esse, ut Deus Cainum reprehendat, quod invidia tabescens fratrem suum oderit, quasi et ipse vel aequalia munera offerre, vel appetitum, a quo in fratris odium trahebatur, propria libertate cohibere non posset; conciderat enim ob iram facies ejus. Ne autem Ecclesiastici verba cap. 15. de Adamo in statu naturae innocentis intelligamus, impedit, quod ibi habeatur, *Si volueris mandata servare*, quum tamen unicum in paradiso voluptatis impositum fuerit Adamo praeceptum; et quia ibidem legitur: *Apposui tibi ignem et aquam*. Per ignem autem et aquam carnis illecebrae et divinae intelliguntur operationes, testibus Grotio, Brentio, Luthero, et Glassio. Ast in statu naturae innocentis carnis cupiditates non erant. Denique etiam Moyses deuter. cap. 30. inquit: *Testes invoco hodie caelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam* etc. Numquid haec intelligi possunt de primo homine ante peccatum?

Prob. 2. ex Tridentino concilio, in quo Lutherus atque Calvinus etiam hoc titulo, quod negaverint in homine lapso liberum voluntatis arbitrium, expresse damnati sunt in haec verba sess. VI. can. 5. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam, anathema sit*.

Prob. 3. ex SS. PP. Athanasius in exhort. ad gent. *Anima*, inquit, *liberi arbitrii cum existat, potest ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari*. Epiphanius haer. 64. *Quomodo liberum arbitrium in hoc mundo? In nobis siquidem situm est credere et non credere: ubi autem credere et non credere in nobis situm est, consequens est, ut recte agere et peccare, bonum facere et malum, nostri quoque sit juris*. Chrysostomus in psal. LX. *Non potest quis fieri bonus necessitate*. Hieronymus apud Augustinum lib. de nat. et gr. cap. 65. *Liberi arbitrii*, inquit, *nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est*. Hilarius in psal. II. ait: *Unicuique nostrum* (Deus) *libertatem vitae sensusque permisit*. Innumera alia PP. tum graecorum tum latinorum testimonia vide apud Bellarmi-

num. Veniamus modo ad Augustinum, cujus potissimum auctoritate gloriantur haeretici, eumque pro se stare autumant disputantem tum adversus Manichaeos, tum contra Pelagianos. Catholicam ergo propugnemus veritatem in primis ex libris ejus contra Manichaeos. Duas pessimi hi haeretici admittebant in unoquoque homine animas, bonam unam, a qua virtutes, alteram malam, a qua vitia proficiscerentur; ita ut anima bona necessario bonum, anima mala necessario malum operetur. Augustinus itaque adversus illos disputans totus est, ut demonstret, virtutes simul et vitia non a natura, sed a voluntate nostra descendere, voluntatem sumendo non prout est natura, ut eam accipiebant Manichaei, sed prout est facultas agendi. Lib. igitur de duab. animab. contra Manichaeos cap. 10. sic voluntatem definit: *Voluntas est animi motus, cogente nullo* (hoc est, nullo necessitante), *ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum*. Cap. autem 11. *Peccatum*, inquit, *est voluntas* (nempe voluntatis facultas) *retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*. Cap. 12. *Dicere animas, et esse malas, et nihil peccare, plenum est dementiae: dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est; et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summae iniquitatis est et insaniae. Quamobrem illae animae quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum, et ad non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus*. Cap. 13. Manichaeos affirmantes, bonum et malum esse duarum animarum indicium, refellens, scribit: *Cur non magis hoc signum est unius animae, quae libera illa voluntate huc et huc ferri, hinc atque hinc referri potest?* Lib. II. de actis cum Felice Manichaeo cap. 3. inquit: *Veritas dicit, omnia ista, quae videmus et quae non videmus, quae naturaliter subsistunt, a Deo facta esse: in quibus rationalem creaturam, etiam ipsam factam, sive in Angelis sive in hominibus accepisse liberum arbitrium; quo libero arbitrio si Deo servire vellet ... haberet apud eum aeternam felicitatem: si autem legi ejus subdi noluisset, sed potestate sua usa contra ejus fecisset imperium, secundum ejus justitiam poenae debitae subjaceret*. Et cap. 4. *Audi ergo de libero arbitrio primo ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti: audi dicentem: Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum. Cum ergo dicit, Aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam ... Hoc ergo Dominus dicens, Aut facite illud, aut facite illud, ostendit esse in potestate quid facerent*. Haec in Augustini libris adversus Manichaeos.

Agamus nunc de illius operibus contra Pelagianos. Hi originalis peccati negantes existentiam, affirmabant proinde, vigere modo in homine liberum arbitrium sanum atque robustum, quomodo habuit illud Adam, statim ac a Deo conditus fuerat. Rursus negantes gratiam Salvatoris, existimabant, tantas habere liberum hominis arbitrium vires, ut absque ullo interiore auxilio ex aequo ad bonum valeat et ad malum. Augustinus itaque

contra Pelagianos dimicans totus est ut demonstret, vigere quidem etiam post peccatum liberum in homine arbitrium, sed illud non amplius sanum atque robustum, ut erat in Adamo antequam peccaret. Quumque in Adamo et ante et multo magis post peccatum supernaturalis gratiae agnosceret necessitatem, invictissimis argumentis demonstrat, in hoc infirmitatis statu liberum voluntatis arbitrium ad malum per se sufficere, ad bonum vero Salvatoris gratia esse juvandum. His praenotatis, audiamus modo quid S. doctor scribat. In lib. II. de nupt. et conc. cap. 3. *Liberum*, inquit, *in hominibus esse arbitrium ... utrique dicimus: non hinc estis Caelestiani, et Pelagiani*. Et paullo ante, eisdem Pelagianis accusantibus eum tanquam Manichaeum respondens, ait: *Non est ita, ut loqueris, quicumque ista dixisti; non est ita: multum falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium*. Hanc eamdem calumniam sibi a Pelagianis impactam iterum repellit in lib. I. ad Bonif. cap. 2. his verbis: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis: utique liberi ad bene justeque vivendum*. Lib. de nat. et gr. cap. 65. recitatis Hieronymi verbis paullo supra a nobis commemoratis subdit: *Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam? Sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis*. In lib. de gr. et lib. arb. cap. 2. ait: *Revelavit nobis* (Deus) *per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum arbitrium*. Et cap. 4. *Si dixerit* (homo), *Volo servare* (praecepta), *sed vincor a concupiscentia mea, respondet Scriptura libero ejus arbitrio ...... Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*. Lege multa alia S. Patris testimonia apud Jo. Laurentium Berti lib. XVI. de theol. discipl. cap. 2.

Prob. 4. ratione. Si in hoc infirmitatis statu liberum deesset homini arbitrium, frustra sancitae essent leges, superfluae essent exhortationes, comminationes inutiles, et irrisione dignus esset Deus praemia benefacientibus spondens, et male agentibus interminabiles poenas. Nec homo legem infringendo peccaret, et labor illius et conatus ad bonum agendum prorsus esset inanis; deesset quippe illi libertas, qua posset vitare peccata. Quumque haec absurdissima sint, fateantur oportet protestantes, vigere adhuc in homine liberum voluntatis arbitrium.

CONCLUSIO II.

Libertas, quae post peccatum remansit in homine, est libertas indifferentiae.

Jam superiore libro observavimus, Lutherum atque Calvinum non adeo stultos fuisse, ut removendo ab homine post Adae lapsum libertatem arbitrii crediderint, agere eum per vim et coacte; sed duris admodum phra-

sibus denegata prorsus libertate *a necessitate* seu indifferentiae, admisisse tantum libertatem a *coactione*, quae *lubentiae* quoque et *spontaneitatis* dici solet. Itaque

Prob. 1. thesis ex sacris Litteris. Praeter ea, quae in antecedente demonstranda propositione adduximus, quaeque thesim hanc mirifice comprobant, Deut. cap. 30. legitur, sic Moysem allocutum fuisse populum: *Testes invoco hodie caelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum: et diligas Dominum Deum tuum*. In lib. Josue cap. postremo, postquam ipse Josue optionem dedit populo, ut cui vellet serviret, narratur, populum respondisse: *Absit a nobis, ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis*. Apostolus in II. ad Cor. cap. 9. *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*. Haec aliaque multa, quae sunt in Scripturis, luculentissime ostendunt, pollere hominem etiam in hoc naturae lapsae statu plena libertate indifferentiae.

Prob. 2. ecclesiasticis definitionibus. Concilium Senonense adversus protestantes celebratum an. 1528. cap. 25. inquit: *Non enim tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit; ideoque non praejudicat libero arbitrio*. Concilium Tridentinum sess. VI. cap. 5. definit primo, peccatores Dei gratiae assentiendo et cooperando disponi ad justificationem; deinde subdit, ita libere divinae eos assentiri gratiae, *ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens; quippe qui illam et abjicere potest*. Gregorius XIII. post Pium V. has Baii confixit propositiones: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere fit*. Item: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Similiter: *Homo peccat damnabiliter in eo, quod necessario facit*.

Prob. 3. ex SS. PP., quorum testimonia superius a nobis allata non modo demonstrant, pollere adhuc hominem libero voluntatis arbitrio, sed praeterea ostendunt etiam, libertatem illam esse indifferentiae et a necessitate immunem. Addi illis potest Optatus Milevitanus, qui lib. VII. adv. Parmen. *Voluntas*, inquit, *habet poenam, necessitas habet veniam*. Ubi voluntatis nomine intelligere Optatum animi non naturam sed facultatem, patet; tum quia voluntati opponit necessitatem, tum quia subdit: *Homicida scelus, dum nemo cogit, potest facere, et potest non facere: adulterium moechus, dum foris nemo compellit, potest admittere, et potest non admittere; et cetera hujusmodi in quibus liberum habetur arbitrium. Ideo prohibita dum geruntur judicio destinantur*. Accedit Bernardus, qui de grat. et lib. arb. scribit: *Porro ubi necessitas, ibi libertas non est nec meritum; ac per hoc nec judicium*. Eodem modo loquitur serm. V. in quadrag. Sed redeamus ad Augustinum nostrum. In lib. III. de lib. arb. cap. 1. *Si natura*, inquit, *vel necessitate iste motus* (voluntatis) *existit, culpabilis esse nullo pacto potest*. Non ait S. doctor, si natura vel coactione; sed si natura vel necessitate existat, motum voluntatis non esse culpabilem.

Eodem cap. ejusd. lib. III. motum voluntatis comparat cum motu lapidis deorsum tendentis, quoniam sicut lapidi ita et voluntati a natura motus inditus est. Addit deinde: *Verumtamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius; animus vero dum non vult non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora deligat; et ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius*. Per Augustinum itaque voluntas in potestate sua habet cohibere motum ad differentiam lapidis, in quo potestas illa non est. Ast si libertas, quae in homine post peccatum remansit, non esset libertas indifferentiae, eodem modo comparate ad motum se haberet voluntas ac lapis, nec in voluntatis potestate esset suum cohibere motum. Motus ergo animo est voluntarius, videlicet, juxta Augustini phrasim adversus Manichaeos, est liber non solum a coactione sed etiam a necessitate. Idem S. doctor in lib. de spir. et litt. cap. 31. *Cum potestas datur*, inquit, *non necessitas utique imponitur*. Denique in lib. de gr. et lib. arb. cap. 2. postquam ex divinis praeceptis existere probavit in homine liberum arbitrium, ita concludit: *Nempe ubi dicitur, Noli hoc, et noli illud, et ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium*. Ad libertatem igitur opus exigitur voluntatis, quo quisque dicat, Nolo illud, nolo hoc; Volo hoc, volo illud; atque adeo ad libertatem per Augustinum exigitur indifferentia.

Prob. 4. theol. ratione. Homo in hoc infirmitatis statu, quamvis multa per originale peccatum amiserit, retinet tamen facultatem unum prae alio eligendi, ut experientia manifestum est. Talis autem facultas idem est ac arbitrii indifferentia. Unde inquit S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 2. *Cum electio sit praeacceptio unius respectu alterius, necesse est, quod electio sit respectu plurium: et ideo in iis, quae sunt determinata ad unum, electio locum non habet*. Deinde libertas, quae post peccatum in homine viget, est juxta Augustinum potestas voluntatis, quae sua deliberatione potest huc atque illuc ferri, hinc atque illinc referri. Talis vero potestas nequit sine indifferentia consistere. Demum, homini in statu naturae corruptae impossibilia non sunt divina praecepta, ut supra demonstravimus. Essent autem, si homo non indifferenter sed necessario, quamvis non coacte, ageret. Necessario quippe hoc potius modo, quam illo operari deberet, sicut lapis necessario descendere debet deorsum.

CONCLUSIO III.

Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non sufficit libertas a coactione, sed libertas requiritur a necessitate.

Fluit thesis haec ex dictis, illamque singula momenta superius allata demonstrant. Quibus ex Scripturis alia addi possunt. 1. Omnia illa loca, in quibus Deus morum praecepta servanda praescribit, ut est illud: *Non habebis Deos alienos; Non assumes nomen Dei tui in vanum*; aliaque hu-

jusmodi, etiam ab Augustino lib. de gr. et lib. arb. cap. 2. enumerata. Neque enim a justo legislatore praecepta imponi possunt homini, qui ita est ad unum determinatus, ut se ad oppositum flectere non possit. 2. Illa etiam loca, in quibus aliquid promittit Deus hominibus sub ea conditione, *Si voluerint*, ut est illud Isaiae cap. 1. *Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Quorsum enim haec promitteret Deus, si nullo modo conditio, sub qua meritum aut demeritum latet, ab homine penderet? 3. Insuper loca, in quibus dicitur, hominis esse culpam, quod bene non egerit vitaveritque peccata, ut est apud Matth. cap. 23. *Quoties volui congregare filios tuos ... et noluisti?* Homo quippe poterat bene agere ex caritate: sed a cupiditate ductus eique libere consentiens agere voluit male. Propter hoc dictum est ei: *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* 4. Illa denique loca, in quibus absolute dicitur, in hominis esse potestate agere bonum et agere malum; ut legitur Eccl. cap. 31. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.*

Prob. 2. ex Eccl. definit. Concilium Tridentinum sess. VI. can. 4. hoc statuit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, anathema sit.* In quae verba optime inquit Bellarminus lib. III. de gr. et lib. arb. cap. 5. *Concilium sine dubio aliquid voluit declarare adversus errores nuper exortos. Nullus autem est, nec fuit, qui doceret hominem non esse liberum a coactione; sed tota quaestio est de libertate a necessitate, quam solam haeretici negant. Igitur hanc ipsam concilium adstruere voluit.* Pius V. damnavit Baii articulum num. 67. *Homo peccat damnabiliter etiam in eo, quod necessario facit.* Innocentius X. hanc aliam proscripsit num. 3. Jansenii propositionem: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

Prob. 3. ex PP. superius allatis, quibus pauca addemus ex S. P. Augustino excerpta loca. Lib. V. de C. D. cap. 10. scribit: *Si nolit, utique non peccat.* Lib. II. de pecc. mer. cap. 17. inquit: *Cum, voluntatem humanam gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime ac veraciter respondere, quia homines nolunt.* Lib. de duab. anim. cap. 12. *Si libero ad faciendum, et ad non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus.* Lib. III. de lib. arb. cap. 18. *Quis enim*, inquit, *peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* In lib. de nat. et gr. cap. 55. Pelagio Hieronymi illam sententiam objicienti: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est*, Augustinus respondet: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat?* Quapropter meritum vel demeritum nequit homo sibi comparare, nisi liber omnino sit non solum a coactione, sed a quavis etiam necessitate.

Prob. 4. ratione. Crudelis et tyrannus esset princeps, qui subditis suis praecepta imponeret, quae infringi necessario ab illis deberent; multoque crudelior, si in illis malum puniret, quod necessario facerent nec omittere possent. Hoc idem dicendum foret de Deo, si eos damnaret, qui necessario, licet non coacte, divinam deberent transgredi legem. Hinc optime Augustinus lib. de fide contra Manich. cap. 10. *Quis non clamet*, inquit, *stultum esse praecepta dare ei, cui liberum non est quod praecipitur facere, et iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?*

CAPUT XII.

Ad ea quae adversus dicta objiciunt heterodoxi responsio.

Obj. 1. cont. I. thesim. Affirmant catholici, liberum arbitrium in hoc infirmitatis statu adhuc persistere, quoniam Deus jubet aliqua facienda hominibus. Sed nequit ex hoc deduci, persistere nunc in homine liberum voluntatis arbitrium. Nam dum Deus aliquid nobis faciendum imponit, ostendere vult, quid ipse facere in nobis velit, non quid nos facere valeamus. Ita Ezech. cap. 18. inquit Deus: *Facite vobis cor novum, et spiritum novum*. Numquid hisce verbis significare voluit, quod nos facere valeamus? Minime; sed quid ipse in nobis facere velit. Unde cap. 36. inquit: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum*. Consimilia occurrunt aliis in locis, ubi hominibus aliquid faciendum proponitur. II. Et re quidem vera, homo a Deo motus per gratiam est veluti instrumentum quoddam sub divina voluntate, atque ita respectu Dei se habet, sicuti se habebat virga in manu Moysis, ad quem dixit Deus Ex. cap. 14. *Eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud*. Numquid Moyses per virgam mare divisit? Minime. Sed Deus per omnipotentiam suam. Similiter quum dicitur: *Convertimini ad me*, Deus est, qui homines ad se convertit. III. Neque dicant catholici, hominem sub gratia constitutum esse instrumentum quidem, sed animatum et activum. Nam a gratia motus et excitatus mere passive ad opus bonum se habet. Inquit enim Christus: Matth. cap. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere*. Quid est illud, non potest, nisi necessitate movetur ad bonum? IV. Et quemadmodum homo sub dominio gratiae facere non potest malum, ita e contra homo sub dominio cupiditatis agere non potest bonum. Clara quippe sunt verba Joann. cap. 8. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*. Et Paulus in II. ad Timoth. cap. 2. ait, peccatores captivos teneri a diabolo *ad ipsius voluntatem*. Ubi est ergo in his liberum voluntatis arbitrium?

Resp. ad 1. Ut homo bonum opus supernaturale operetur, duo requiruntur; liberum videlicet voluntatis arbitrium, et supernaturale Dei adjutorium. Ad liberi arbitrii indicandam necessitatem, saepe Deus in sacris eloquiis praecepta et mandata homini inculcat; aitque per Ezechielem: *Facite vobis cor novum, et spiritum novum*; per Apostolum ad Philipp. cap.

2. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*; et alibi: *Convertimini ad me*; et crebro: Facite hoc, facite illud; Nolite facere hoc, nolite facere illud. Haec, inquam, dicta sunt ad demonstrandum, requiri ad bonum faciendum libertatem arbitrii. Sed quoniam ad idem bonum agendum opus ex aequo necessaria est Dei gratia, idcirco subdit Deus: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum*; et, *Ego convertar ad vos*; et, *Deus operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate* ... Hinc Tridentina synodus sess. VI. cap. 5. *Cum dicitur, Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus: Converte nos Domine ad te, et convertemur, Dei nos gratia praeveniri confitemur*. Et ante illam Augustinus de praed. SS. cap. 11. in laudata Ezechielis verba scripserat: *Ideo enim haec et nobis praecipiuntur, et dona Dei esse monstrantur; ut intelligatur, quod et nos ea facimus, et Deus facit, ut illa faciamus, sicut per prophetam Ezechielem apertissime dicit. Quid enim apertius, quam ubi dicit: Ego faciam, ut faciatis? Locum ipsum Scripturae attendite: et videbitis illa Deum promittere facturum se ut faciant, quae jubet ut fiant*.

Ad 2. Homo a Deo motus per gratiam est sane veluti instrumentum, sed animatum ac vivum, non mortuum et inanime. Omnes quippe creaturae, sive rationales sint sive irrationales, in manu Dei sunt instrumenta; sed unaquaeque juxta propriam conditionem: creaturae nimirum ad unum determinatae necessario, liberae vero motu indifferente moventur. Et quoniam creaturae rationales natura sua liberae sunt, moventur quidem a creatore, sed motu libero, non necessario. Hoc sensu Leo M. serm. V. in quadr. inquit: *Lapides rationabiles sumus, et viva materies: sic nos Auctoris nostri extruxit manus, ut cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur*. Exemplum autem a Moysis virga desumptum ad rem minime facit. In iis enim, quae naturaliter et absolute impossibilia sunt, meram exhibet homo praesentiam, totaque actio Deo tribuitur. Maris scindere fluctus, impossibile erat Moysi; ed ideo actio illa Dei est, quamvis Moyses libere obtemperaverit Deo jubenti, ut virgam elevaret. Hinc Apostolus in I. ad Cor. cap. 15. *Abundantius*, inquit, *omnibus illis laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum*; hoc est, ut S. P. Augustinus lib. de gratia et libero arbitrio cap. 5. explicat: *Non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*.

Ad 3. Arbor bona est caritas, non homo habens caritatem; sicuti arbor mala est cupiditas, non homo cupiditatem habens. Arbor ergo bona malos fructus producere nequit, quoniam ex caritate bona opera profluunt et virtutes; quemadmodum arbor mala, quoniam ex cupiditate vitia oriuntur et peccata, bonos facere non potest fructus. Ast homo, in quo cupiditas est, dummodo per gratiam inseratur caritas, fructus bonos facere potest, et simul non facere ob libertatem arbitrii; sicuti deficiente caritatis radice, sola illectus et abstractus cupiditate potest non facere malos fructus, quum indifferentia polleat ad agendum.

Ad 4. Non eo sensu peccatores servi dicuntur peccati diabolique captivi, quod liberum amiserint voluntatis arbitrium, ut stulte affirmat Lutherus; sed quoniam non Deo legitimo eorum Domino, sed vitiis, concupiscentiae, atque peccato serviunt. Dicuntur etiam captivi diaboli, propterea quod non ad Dei, sed ad diaboli pertinent regnum, et illius voluntati magis quam voluntati Dei malunt obedire. Ceterum peccati et diaboli servi sunt per liberum eorum arbitrium: ideo namque in eum inciderunt miseriae statum, quoniam voluerunt. Porro si volunt, possunt utique, divina opitulante gratia, servitutis jugum et vincula captivitatis excutere et a se abjicere. Hinc loco in argumento laudato jubet Apostolus iis, qui captivi tenentur a diabolo, *ut resipiscant a diaboli laqueis*. Irrisorie autem diceretur homini vinculis alligato, ut prosiliat et ambulet.

Obj. 2. cont. eamd. prop. Homo propter Adae peccatum, teste Augustino pluribus in locis, amisit omnino liberum voluntatis arbitrium. Nam in ep. ad Vitalem cap. 4. scribit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. In ench. ad Laur. cap. 30. inquit: *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum*. Lib. de perf. just. cap. 4. *Victa*, inquit, *vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura*. Similia habet alibi.

Resp. Homo juxta S. P. Augustinum propter originale peccatum liberum amisit arbitrium, non absolute et quoad naturam, sed quale erat in statu naturae innocentis, in quo sanum erat et integrum. Hoc est, quum homo in eo statu nec concupiscentiam haberet neque ignorantiam, quibus traheretur ad malum, cum sola versatili gratia creatoris poterat ex aequo bonum agere et malum. Post peccatum vero hanc a Deo justo judice poenam promeruit, ut liberi arbitrii sanitatem et integritatem, qua solo conditoris auxilio adjutus bonum agere poterat ac malum, amitteret. Ita semper catholica fides tenuit. Ast non sic Pelagiani, qui quum originale non admitterent peccatum, volebant proinde, liberum hominis arbitrium etiam modo ita sanum esse atque robustum, ut absque ulla supernaturali gratia per solas naturae vires sit in aequilibrio ad bonum faciendum pro suo lubitu vel malum. S. Pater itaque Augustinus contra illos exclamat, liberum arbitrium periisse, quoad sanitatem scilicet et integritatem, quam habuit homo ante peccatum, non quoad arbitrii ipsius naturam. Rem ita se habere discimus ex ipso Augustino, qui lib. I. ad Bonif. cap. 2. inquit: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis: utique liberi ad bene justeque vivendum*. Vide quae scripsimus capite antecedente.

Obj. 3. adv. 2. prop. S. P. Augustinus multis in locis affirmat, solam coactionem, non autem necessitatem officere libertati hominis in statu naturae corruptae. Et I. in lib. V. de C. D. cap. 10. ubi ita scribit: *Si necessitas nostra illa dicenda est, quae non est in nostra potestate, sed,*

etiam si nolimus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum est, voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quae, si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus pertinet ipsum velle: nam si volumus, est, si nolumus, non est ... Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio, cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim et vitam Dei, et praescientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse, Deum semper vivere, et cuncta praescire: sicut nec potestas ejus minuitur, cum dicitur, mori fallique non posse. Per Augustinum ergo in eo non est libertas, in quo *est illa necessitas*, *quae non est in nostra potestate*, *sicut est necessitas mortis*, quaeque coactio dicitur et violentia. Ceterum in quo est voluntas, *quo primitus pertinet et ipsum velle*, est utique per Augustinum libertas. Ast vero ubi libertas est voluntatis, ibi libertas est lubentiae ac spontaneitatis, ut est in beatis in diligendo Deo, non libertas indifferentiae: praesertim quum addat, eo modo in hoc infirmitatis statu hominem liberum esse ad agendum, quo Deus liber est ad vivendum, atque ad praesciendum futura, quae plane libertas est a coactione. II. In enchir. cap. 105. idem S. Pater, *Sic oportebat*, inquit, *prius hominem fieri*, *ut et bene velle posset*, *et male*: *postea vero sic erit*, *ut male velle non possit*; *nec ideo libero carebit arbitrio*. *Multo quippe liberius erit arbitrium*, *quod omnino non poterit servire peccato*. *Neque enim culpanda est voluntas*, *aut voluntas non est*, *aut libera dicenda non est*, *qua beati esse sic volumus*, *ut esse miseri non solum nolimus*, *sed nequaquam prorsus velle possimus*. In lib. de nat. et gr. cap. 46. respondens Pelagio dicenti: *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur*, *quidquid naturali necessitate constringitur*, ita loquitur: *Perquam absurdum est*, *ut ideo dicamus*, *non pertinere ad voluntatem nostram quod beati esse volumus*, *quia id omnino nolle non possumus*, *nescio qua et bona constrictione naturae*: *nec dicere audemus*, *ideo Deum non voluntatem*, *sed necessitatem habere justitiae*, *quia non potest velle peccare*. III. Idem Augustinus, ubi insectatur Pelagianos, aperte tradit, liberum arbitrium consistere in voluntario necessario. Ita in lib. I. oper. imperf. adv. Julian. inquit: *Si liber non est*, *nisi qui duo potest velle*, *et bonum et malum*, *liber Deus non est*, *qui malum non potest velle*, *de quo etiam ipse dixisti*, *vereque dixisti*, *Deus esse nisi justus non potest*. *Siccine Deum laudas*, *ut ei auferas libertatem? An potius intelligere debes*, *esse quamdam beatam necessitatem*, *qua Deus injustus non potest esse*. Eadem tradit alibi passim. IV. Prosper fidissimus Augustini discipulus non aliam habuit de libertate doctrinam. Unde adv. collatorem cap. 18. liberum definit arbitrium *rei sibi placitae spontaneum appetitum*. Bernardus etiam in eamdem cum Augustino et Prospero descendit sententiam. Nam in lib. de gr. et lib. arb. a cap. 1. ad 5. docet, argumentisque demonstrat, ibi esse libertatem, ubi non est coactio et extorsio. *Ubi ergo consensus*, inquit, *ibi est voluntas*. *Porro ubi voluntas*, *ibi libertas*: *et hoc*

est, *quod dici puto liberum arbitrium*. Subdit deinde: *Ipsam vero* (voluntatem) *quia impossibile est sibi non obedire ... etiam impossibile est de sua privari libertate*. Id ipsum pariter demonstrat exemplo Angelorum, quod proposuerat, eosque liberos dicit ad diligendum Deum, quem non amare non possunt. Per totum opus passim idem repetit semper et inculcat. Et de S. Thoma quid dicam? Infinitus essem, si omnia exscribere vellem loca, in quibus statuit, naturalem necessitatem optime stare cum libertate arbitrii. Legatur Q. 3. de pot. art. 7. Q. 10. art. 2. Q. 22. de verit. art. 1. Q. 24. art. 4. in corp. Haeretici itaque non adeo turpiter hac in caussa errarunt, ut catholici contendunt.

Resp. ad 1. In lib. V. de C. D. cap. 10. S. P. Augustinus disputat contra Ciceronem autumantem, non esse in Deo praescientiam, ut adstrueret in homine libertatem, faciens hoc modo homines sacrilegos, cum vellet eos facere liberos. In toto ergo eo capite S. doctor demonstrat, Deï praescientiam non auferre ab homine libertatem, quae stare potest cum necessitate, non quae dicit determinationem ad unum, sed quae ex Dei oritur praescientia, quaeque appellari solet consequentiae. Nam ajebat Cicero: Res ita evenire debet et quidem necessario, ut Deus illam futuram praescivit; unde divina praescientia aufert ab homine libertatem. Augustinus respondet, non omnem necessitatem libertatem adimere ab homine. Quod ut demonstret, varia affert exempla, in primisque illud: *Cum dicimus necesse esse*, *ut*, *cum volumus*, *libero velimus arbitrio*, *et verum dicimus*, *et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus*, *quae adimit libertatem*. Ex quo vero multa sint, de quibus dicimus, Necesse est, ut ita fiant vel eveniant, quin tamen libertatem interimant, infert, quod etsi dicamus, *Necesse est*, *ut res ita fiat*, *sicut Deus praescivit*, talis necessitas minime tollit ab homine libertatem; proindeque neganda non est Deo praescientia, ut intacta in homine servetur libertas. Ita contra Ciceronem Augustinus ratiocinatur. Addit subinde, ideo ex divina praescientia necessitatem, quae humanam adimit libertatem, non induci, quoniam non ideo homo peccat, quia id Deus praescivit; sed e contra, ideo Deus hominem peccaturum praescivit, quia homo peccabit, atque necessitas haec appellatur in scholis necessitas consequens, seu ex suppositione. *Neque ideo peccat homo*, *quia Deus illum peccaturum esse praescivit*: *imo ideo non dubitatur*, *ipsum peccare cum peccat*, *quia ille*, *cujus praescientia falli non potest*, *non fatum*, *non fortunam*, *non aliquid aliud*, *sed ipsum peccaturum esse praescivit*. *Qui si nolit*, *utique non peccat*; *sed si peccare noluerit*, *etiam hoc ille praescivit*. Haec satis diserte demonstrant, necessitatem ex divina praescientia fluentem, de qua ibi contra Ciceronem loquitur S. doctor, non esse necessitatem absolutam et antecedentem, sed ex suppositione et consequentem. Dicens ergo Augustinus, quod ubi est coactio vel violentia, ibi libertas non est, non id affirmat, quasi necessitatem illam necessitati, cum qua consistere posse libertatem adversarii contendunt, velit opponere; sed potius ut necessitatem a necessitate distinguat, Ciceronem refutaturus. Similiter quod S. doctor ait, ubi est voluntas, ibi plane est libertas, verum

est; sed voluntatis nomine non naturam, sed facultatem intelligit volendi. *Multa enim facimus*, inquit, *quae*, *si nollemus*, *non utique faceremus* ... *nam si volumus*, *est*, *si nolumus*, *non est*. Exemplum denique ab eo desumptum ex necessitate, quam habet Deus vivendi, usurpat Augustinus ad explicandum quid sit necessitas consequentiae, non ad comparationem libertatis nostrae cum libertate Dei. Nam inquit ibidem, sub divina praescientia hominem peccaturum; *sed si nollet*, *utique non peccaret*. An dici potest: Deus vivit; sed si nollet, utique non viveret?

Ad 2. Duplici modo liberum arbitrium accipi a veteribus consuevit, lato nimirum, ac stricto sensu. Liberum arbitrium lato generalique sensu acceptum idem est ac voluntarium, etiam necessarium. Sumptum vero stricto ac speciali sensu est facultas agendi vel non agendi cum indifferentia judicii. Libertas quippe est veluti quoddam genus, sub quo duae species continentur, libertas nempe a coactione, et libertas a necessitate; proindeque etiam quod sponte volumus, quamvis necessario velimus, liberum dici potest. Hinc quemadmodum pessime quis argueret, si ex quo bruta sint animalia, concludere vellet, homines, qui etiam animalia sunt, esse bruta; ita pessime arguunt adversarii, dum ex quo ratio liberi invenitur in libertate quoque a coactione, inferunt, hominem semper liberum esse, etiam in hoc infirmitatis statu, quamvis ei desit indifferentia. Quod vero Augustinus laudatis in argumento locis et alibi liberum acceperit arbitrium latiore quodam modo, patet ex ipsa lectione, et observatum fuit a doctissimis PP. Maurinis in praef. generali ad opera Augustini, ubi ita scribunt: *Id solum observamus*, *liberum nonnunquam latiori et generaliori significatione ab Augustino usurpari pro voluntario etiam necessario*. Nusquam autem in ejus operibus inveniemus, liberum hominis arbitrium in statu naturae lapsae posse simul cum necessitate consistere. Immo in primo ex laudatis in argumento testimoniis luculentissime adstruit in homine viatore indifferentiam, scribens: *Sic oportebat hominem prius fieri*, *ut bene velle posset et male*.

Ad 3. eamdem teneto solutionem. Augustinus videlicet adversus Julianum disputans affirmat, hominem in sua appetenda felicitate, et Deum comparate ad suam justitiam liberos utique esse; sed aliqua libertatis specie, nempe a coactione, non libertate indifferentiae. Si autem quaeras, cur non magis luculenter de humana libertate iis in locis locutus est S. doctor, respondeo 1., Augustinum contra Pelagianos dimicantem illorum errores non modo contra fidem, sed etiam contra accuratas dialecticae regulas confutare; tum quia Pelagius obscuris, ut plurimum, ambiguisque terminis ad imperitos decipiendos utebatur; tum etiam ut demonstraret, se non esse *tardi ingenii*, *obtusi*, *plumbeique*, ut Pelagiani dicebant; tum denique ut Julianum reprehenderet, qui catholicos irridebat, quod juxta Aristotelis categorias disputare nescirent. Augustinus ergo laudato in argumento loco et alibi passim Julianum suosque redarguit, quod in tradenda libertatis definitione contra bonas definitionis leges peccarent. Nam generica libertatis definitio cuique competere debet libertati, et a coactione videlicet, et a

necessitate; adeoque libertati beatorum atque viatorum in amanda felicitate, libertati Dei quoad sui justitiam, et libertati hominum in hoc infirmitatis statu; quum ipsi interim libertatem non definirent, nisi prout hominibus convenit in hac vita degentibus, nempe per solam potentiam agendi bonum et malum. Sed rem clarius exponamus exemplis. Pelagius dixerat: *Quia non peccare nostrum est, possumus peccare et non peccare*. Augustinus in lib. de nat. et gr. cap. 49. eam propositionem tanquam *inconsideratam*, *intortam*, *et subobscuram*, non tanquam absolute falsam rejicit. Ait enim: *Quid, si alius dicat, Quia nolle infelicitatem nostrum est, possumus eam et nolle et velle? Et tamen eam velle omnino non possumus. ... Quia Dei multo magis est non peccare, num audebimus eum dicere et peccare posse, et non peccare? ... Quid est ergo, quod loquitur, et quibus locutionum regulis conatur persuadere, quod non vult considerare? ... Intorte hoc dixit, et ideo subobscure*. Non negat igitur S. doctor, posse hominem peccare et non peccare; sed causalem tantummodo: *Quia non peccare nostrum est*, tanquam falsam reprehendit. Praeterea dixerat Julianus, non esse malum illud, a quo liberum non est abstinere. Definitionem hanc nimis libere prolatam refutat Augustinus, quum detur malum aliquod necessarium, de quo postea. Ait autem lib. V. op. imp. num. 50. *Qui dicit, quod nolo malum, hoc ago, necessitate se ostendit malum agere, non voluntate; et flens miserias suas, ridet definitiones tuas*. Et num. 59. *Regulas tuas aperte in majoribus frangimus, ut eas ad parvulos transferre non possis. Non erat parvulus, qui dicebat: Non quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago ... Ecce et quod non agit bonum, et quod agit malum, non possibili, ut ipse constituis, sed ut ille patitur et fatetur, necessario suo debet: infirmus quidem ad auferendas miserias suas, sed plane firmissimus malleus ad conterendas regulas vestras*. Itaque manifestum est, Augustinum contra Pelagianos disserentem illorum refellere errores non solum contra fidei dogmata, sed etiam contra bonae dialecticae regulas. 2. Volebant Pelagiani non dari libertatem absque potentia ad bonum et malum. Falsum id clamabat Augustinus. Deus enim est plane liber circa omnia creata libertate indifferentiae et tamen nequit agere malum. Unde Julianum redarguens inquit: *Siccine laudas Deum, ut ei auferas libertatem?* Atque quum Julianus dixisset, nullam esse virtutem sine mali possibilitate, Augustinus respondet, quod si ita res se haberet, nulla esset virtus in Deo, qui possibilitatem non habet ad malum. His bene perpensis, quae ex Augustino contra catholicam opponuntur sententiam facile explicantur.

Ad 4. S. Prosper laudato in argumento loco nomine spontaneitatis intelligit dubio procul indifferentiam. Ibi namque describit liberum arbitrium Adamo innocenti collatum, quod per adversarios plenissima pollebat indifferentia. Bernardus vero, qui in eo opere liberum passim arbitrium sumit *inadaequate*, initio satis ostendit, non esse stricte sumptam libertatem ubi est necessitas, dicens, *liberum arbitrium esse voluntatis*, *non necessitatis*. Dici praeterea potest cum cl. Berti, S. doctorem crebro usurpare nomina

coactionis et violentiae pro necessitate; ita ut, quum inquit liberum arbitrium esse habitum animi liberum sui, siquidem *non cogitur*, idem sit ac si dicat, *siquidem non necessitatur*. Denique mirari subit, quod adversarii in proprii patrocinium erroris ad auctoritatem provocent Angelici doctoris, quum allatis in argumento locis sibi agendum dumtaxat proponat de libertate, quae dici solet *a coactione*. Quid mirum ergo, si libertatem definit per *voluntarium*, aitque consistere posse libertatem cum necessitate?

Obj. 4. cont. 3. prop. S. P. Augustinus lib. II. de actis cum Felice Manich. cap. 5. approbans verba Manetis: *Qui sibi legem a Deo datam servare noluerunt*, inquit: *Vides in his verbis confirmatum esse, etiam a nesciente quid loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est, si velit. Non enim dixit, Non potuerunt; sed, noluerunt. Hoc certe, quod nolunt servare legem, non a gente tenebrarum coguntur: si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt*. Ut quis itaque non peccet, sufficit per Augustinum, si non cogatur. II. Atque in hac revera fuit Augustinus sententia, ut quaedam dentur peccata, quae quum sint aliorum poena peccatorum, sunt necessaria, neque in nostra est potestate ab iis abstinere. Nam quum Julianus peccati definitionem a S. doctore in lib. de duab. animab. cap. 11. traditam: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*, in medium protulerit, Augustinus lib. I. oper. imperf. num. 44. respondet, eam definitionem pro statu naturae lapsae non valere, quia nunc quaedam dantur peccata in aliorum peccatorum poenam, a quibus liberum non est abstinere; scribit enim: *Hic peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam poena peccati*. Et num. 47. *Ipse est Adam*, inquit, *quem nostra illa definitio, quae tibi placuit, intuebatur*. Praeterea Juliano affirmanti, non esse peccatum ubi est transgrediendi legem necessitas, Augustinus objurgat eum ibid. num. 105. *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate commissum est. Si enim necessitas nulla peccandi est etc.* Stare itaque potest cum necessitate peccatum. Quod S. P. numero sequente repetit in haec verba: *Necesse est, ut peccet, a quo ignoratur justitia. Numquid ideo cum justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quae ignorantiae necessitate commisit?* Demum in lib. I. retract. cap. 15. affirmat, dari homines, qui resistere pravae cupiditati nequeunt, et nihilominus peccant: *Qui cogenti cupiditati*, inquit, *bona voluntate resistere non potest, et ideo facit contra praecepta justitiae, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam poena peccati*.

Resp. ad 1. Per Augustinum, ut quis peccet, sufficit si non cogatur a mala substantia seu principio nequam, non vero in sensu adversariorum. Manichaei namque duplicem, ut supra observavimus, admittebant in quovis homine substantiam, bonam et malam; atque bonam trahi ajebant quandoque invitam ad peccatum. Augustinus ergo, qui in impugnandis erroribus aliis se immiscere non solebat quaestionibus, totus est ut demonstret,

voluntatem ad malum non cogi, sed sponte sua peccare; quod multis demonstrat argumentis, et inter cetera assumit etiam illud, quod ex Manetis sententia depromitur. Unde coactionis nomine vel intelligit necessitatem, vel contra Manichaeos disputans admittit in homine libertatem a coactione, ne aliis immisceat se quaestionibus, non negata illa, quae a necessitate dicitur. Idque non solum ex variis capite superiore prolatis sententiis, sed etiam ex disp. 17. contra Fortunat. Manich. luculentissime apparet; ubi Fortunato dicenti: *Inviti peccamus, et cogimur a contraria et inimica nobis substantia*, Augustinus respondet: *Ergo nunc quaero abs te... quomodo habeamus peccatum, si natura contraria nos cogit facere? Qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat. Qui autem peccat, libero arbitrio peccat*. Et exemplum affert illius, qui, membris violenter alligatis, si ad falsum subscribendum adigatur, nullam meretur a judicibus poenam. Demonstrant haec, Augustini scopum esse excludere a voluntate, dum peccat, coactionem per gentem tenebrarum, non negata libertate indifferentiae.

Ad 2. In Augustini sententia dantur plane quaedam peccata necessaria; nempe vel peccatum originale, quod liberum fuit in Adamo non autem in nobis, vel quae sint peccata dumtaxat *materialiter*, ut dici solet, non *formaliter*, vel demum quae sint necessaria necessitate morali, non necessitate vera et absoluta. Hac praesupposita idearum distinctione, argumenta, quae ex singulis allatis Augustini testimoniis deduci possunt, facillime solvuntur. Ad 1. itaque sit responsio. Pelagiani, quorum agmen ducebat Julianus, ut suaderent, non dari peccatum originale, ajebant peccatum non esse, unde liberum non est abstinere, definitionem afferentes ab Augustino ipso in lib. de duab. anim. traditam: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*. Qua recitata, Julianus exclamat: *Oh lucens aurum in stercore! Quid verius, quid plenius dici a quoquam orthodoxo potuisset?* Ita Augustino insultabant haeretici. Quid vero ad haec S. doctor? Affirmat, se in lib. de duab. anim. definiisse peccatum, quod tantummodo peccatum est, non peccatum, quod peccatum simul sit et poena peccati, ut est culpa originalis, a qua liberum non est hominibus abstinere. Nec proinde in Augustini sententia sequitur, peccatum aliquod dari, quod peccatum sit absque libertate. Nam peccatum ipsum originale, quod non est liberum parvulis, liberum fuit primo parenti, qui poterat, si voluisset, ab eo abstinere: eoque sensu inquit, definitionem illam peccati ad Adamum praecipue pertinere. Ceterum quaevis alia peccata, praeter originale, libera sunt cuique peccanti, quum quilibet possit ab iis abstinere, quamvis non tam sana atque robusta libertate, ut poterat Adam. *Multa quippe sunt*, ait S. Pater loco citato num. 47. *quae agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere; sed nulli tam liberum est, quam illi fuit*, videlicet Adamo. Et iterum: *Proinde originale peccatum nec ad illud pertinet ... ubi est voluntas malum operandi, unde liberum est abstinere; alioquin non esset in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio*. Et num. 98. *Ex quo autem homo incipit uti voluntatis arbitrio, et peccare et non pec-*

care potest . Ex quibus habes , S. Patrem omnia peccata actualia definire illa , a quibus liberum est hominibus abstinere , peccatum vero originale quod dici nequit liberum in parvulis , liberi rationem habuisse in primo parente , atque idcirco et illud ejus generis esse , unde liberum est abstinere ; *Quia ex illius origine rei* (parvuli) *tenentur* , *qui voluntate peccavit* , *quando libero et ad non faciendum* , *et ad faciendum motu animi non carebat* , *eique ab opere malo abstinendi summa potestas erat* . Adde ex aliis Augustini testimoniis depromptum argumentum . Certum est, peccati nomine non semper venire reatum et animae maculam , sed crebro etiam poenam peccati . *Nunc autem* , ait Apostolus in epist: ad Rom. cap. 7. *jam non ego operor illud ; sed quod habitat in me peccatum* : nec in Paulo tamen tunc reatus erat . Quare Augustinus in lib. III. de lib. arb. cap. 54. *Non solum dicimus peccatum* , *quod proprie vocatur peccatum* , *sed etiam illud* , *quod jam de illo supplicio consequatur* , *necesse est* . Quum itaque S. doctor dari dicit quaedam peccata necessitatis , de poenis intelligi debet peccati , quae peccata dici possunt *materialia* , non *formalia* . Et revera , peccata illa necessitatis , de quibus loquitur Augustinus , nil aliud denique sunt nisi motus concupiscentiae , qui profecto quum rectae rationi sint difformes , peccata sunt , sed ad culpam nisi consentiat voluntas non imputantur . En integer Augustini locus : *Si enim nulla necessitas peccandi est ... quid patiebatur* , *quaeso* , *qui secundum vestrum sensum tanta mole pravae consuetudinis premebatur* , *ut diceret* : *Non quod volo*, *facio bonum* , *sed quod nolo malum* , *hoc ago ?* Numquid adversarii dicent, Apostolum per Augustinum peccata habuisse necessitatis, quae ipsi imputarentur ad culpam , et peccata *formaliter* essent ? Sed clarius de hisce concupiscentiae motibus loquitur S. doctor in lib. II. de peccat. mer. cap. 4. dicens : *Ad agonem interim manet* (concupiscentia) , *non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura* . Et de pecc. orig. cap. 40. *Ipsa desideria vitiosa* , *quibus* , *si non consentitur* , *nullius peccati reatus contrahitur* . Enarr. in psal. 115. *Illicitis desideriis* , *si non adhibeatur voluntatis assensus* , *movetur quidem nonnullus affectus* , *sed nullus ei relaxatur effectus* . En peccata necessitatis per Augustinum , quae ex concupiscentia proficiscuntur . Paria habet etiam de peccatis , quae proveniunt ex ignorantia ; quae quum et ipsa sint rationi difformia , peccata jure dici possunt , sed nisi ignorantia vincibilis sit ac voluntaria , peccata inde provenientia ad culpam plane non imputantur . Luculentissime rem explicat Augustinus lib. III. de libero arb. cap. 19. ubi sic inquit : *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras* , *sed quod negligis quaerere quod ignoras* . Et tract. 89. in Joann. num. 2. scribit , infideles qui nihil de Christo audierunt , *habere excusationem* , *non de omni peccato suo* , *sed de hoc peccato* , *quo in Christo non crediderunt* . Quod tertio loco objectum est nullam habet difficultatem si animadvertamus , verba illa : *resistere non potest* , intelligere S. Patrem de necessitate peccandi morali , non physica et absoluta . Aliquando enim Deus in praecedentium poenam delictorum subtrahit homini quodcumque gratiae auxilium , ut sequente libro

ostendemus; unde consequitur, non posse hominem allicienti resistere cupiditati, hoc est, nolle resistere, proindeque in nova incidere peccata, quae simul et peccata et aliorum sunt poena peccatorum. Hoc sensu loquens S. doctor de iis, de quibus scriptum est: *Non potuerunt credere*, quaest. XIV. in Matth. inquit: *Cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ita eos excaecari meruisse: qua tamen excaecatione non potuerunt credere*. Et de iisdem illis, qui credere non poterant, verba faciens tract. LIII. in Joan. num. 6. quaerit, quare non poterant credere. Statimque subdit: *Si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant*. Et paullo infra num. 9. *Dictum est, non poterant, ubi intelligendum est, quod nolebant*.

Obj. postremo cont. eamd. thes. I. Excepta B. Virgine, omnes homines in aliqua incidunt et quidem necessaria venialia peccata per totum vitae tempus, quae ipsis imputantur ad culpam. Quare consistere potest necessitas cum merito vel demerito. II. Si quis caussam libere ponat, unde aliquod sequitur peccatum, quamvis ille in peccando libertate non polleat, vere nihilominus demeretur, ut patet in sacerdote, qui ebrius divinum omitteret officium.

Resp. ad 1. Omnes homines in venialia incidunt peccata necessario, necessitate morali, non physica et absoluta. Supposita quippe ob originale peccatum humani generis fragilitate; supposito etiam justissimo Dei supremi domini decreto de non conferenda in quavis levi occasione gratia efficaci, necessario incident homines in aliqua venialia peccata. Ast necessitas haec non est physica et absoluta, sed tantum moralis et hypothetica, ut per se manifestum est.

Ad 2. Argumentum in primis nimis probare videtur. Nam si consistat, ad meritum vel demeritum nulla prorsus, neque illa quae a coactione dicitur, requiritur libertas. Nam ebrii, dormientes etc. nulla penitus fruuntur libertate. Praeterea qui in sensu argumenti peccaret, frueretur utique libertate indifferentiae, non quidem proxima et immediata, sed mediata, remota, ac morali. Ad ponendam siquidem caussam, ex qua peccatum consequitur, perfecta ac integra pollebat libertate indifferentiae. Atque hic difficillimae controversiae simul ac libro XXVIII. sit finis.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXIX.

IN QUO PRAECIPUAE PERTRACTANTUR QUAESTIONES DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO IN SCHOLIS AGITARI SOLITAE.

CAPUT I.

De libero arbitrio generatim, tum de modo quo voluntas ad agendum libere se determinat.

Solent theologiae omnes tractatores de libero hominis arbitrio disputare in ea institutionum parte, quae agit de actibus humanis; et quidem merito, quum humanus actus debeat ex libertate dimetari. Nos tamen animadvertentes, nullo modo quae ad gratiam pertinent assequi posse, nisi prius naturam proprietatesque liberi arbitrii apprime noverimus, de eo hoc in loco disserere proposuimus, ut ita a rerum difficultate studiosa juventus non terreatur.

Liberum itaque arbitrium optime definiri potest, *Facultas, per quam creatura rationalis pro suo lubitu eligere, vel rejicere potest, quod sibi a ratione proponitur*. Quae definitio ut accurate intelligi valeat, multa hic exponenda sunt. Atque initio videndum, quid sit actus *coactus voluntarius*, et *necessarius*. Actus coactus dicitur ille, qui fit contra voluntatis inclinationem per vim ab extrinseco principio illatam, ut actus, quo quis compedibus obstrictus immobilis sistit. Vellet nempe ille ambulare, sed a principio extrinseco, hoc est, compedibus, cogitur immobilis permanere. Actus voluntatis eliciti, quum sint ipsa volitio, nequeunt esse coacti, quoniam voluntas vellet simul et non vellet, quod contradictionem involvit; sed possunt esse coacti actus dumtaxat voluntatis imperati.

Actui *coacto* actus opponitur *voluntarius*, seu coactioni opponitur voluntarium. Quidquid enim est voluntarium liberum est a coactione, quoniam a principio procedit intrinseco, videlicet a voluntate, ubi coactio, ut diximus, locum non habet. Quia vero ferri nequit voluntas in incognitum: *Nemo enim*, ait S. P. Augustinus lib. VIII. de Trinit. cap. 4. *amare potest incognitum*, cognitio actum praecedere debet voluntarium, hoc est, antequam voluntas actum circa objectum aliquod eliciat, debet obje-

ctum illud cognoscere. Hinc qui cognitione carent, ut amentes, brutaque animantia, carent quoque actu voluntario. Duplici autem modo potest intellectus cognoscere objectum, ad quod fertur voluntas, vel imperfecte nimirum vel perfecte. Priore modo est, quando illud apprehendit quidem, sed non satis sui compos est, ut circumstantias examinet ad judicium ferendum, ut ei accidit, qui actus, qui *primo primi* dicuntur, vel indignationis vel luxuriae etc. in se sentit; eo quippe in instanti intellectus imperfecte cognoscit objectum, ad quod fertur voluntas. Intellectus autem cognoscit objectum perfecte, si cum tota rationis advertentia circumstantias examinet, quae ad judicium ferendum illum movere possunt, ut accidit in eo, qui deliberate et cum animi reflexione operatur. Si ergo intellectus non satis compos sui judicium ferat, et voluntas ad sequendum vel fugiendum objectum moveatur, actus ille a voluntate elicitus dicitur indeliberatus et actus *primo primus*, actus voluntatis et hominis, non actus voluntarius et humanus. E contra si intellectus, objecto percepto, cum tota rationis advertentia seu reflexione, sive actuali sive virtuali, circumstantias examinaverit, quae voluntatem ad illud sequendum vel fugiendum movere possunt, atque voluntas se se ad actum determinaverit, tunc actus ille est vere voluntarius, et actus humanus appellatur. Hinc voluntarium a S. Thoma 1. 2. q. 6. post Aristotelem in III. ethic. cap. 1. optime definitur: *Id, cujus principium est in ipso agente sciente singula*. Et adhuc clarius ab aliis: *Actus procedens a principio intrinseco, et ex advertentia rationis*.

Actus denique humanus *necessarius* species quaedam est actus voluntarii. Voluntarius enim dividitur in necessarium et contingentem. Aliquando scilicet voluntas cum tota advertentia rationis ita erga objectum aliquod elicit actum, ut non possit illum non elicere, ut est actus, quo beatus in patria diligit Deum: neque enim potest illum non diligere; et nihilominus actus ille dicitur voluntarius, quoniam procedit ab intrinseco principio et ex advertentia rationis. Dicitur actus idem etiam liber, non a necessitate sed a coactione, seu liber libertate *spontaneitatis* et *lubentiae*, quia sponte atque lubenter elicitur; et definitur: *Actus procedens a principio intrinseco ex advertentia rationis, qui non potest aliter poni*. Per ea verba: *Procedens a principio intrinseco*, actus necessarius distinguitur ab actu coacto; per haec alia vero: *Qui non potest aliter poni*, ab actu secernitur contingente. Nam actus voluntarius contingens ita a voluntate promanat, ut ab illa possit non emanare, ac liber est non solum a coactione, sed etiam a necessitate, diciturque liber libertate indifferentiae, ut est amor Dei in hominibus viatoribus, qui indifferentes sunt ad Deum amandum vel non amandum: non solum enim ad amorem illum non coguntur, sed neque necessitantur. Et proprie definitur: *Actus, qui ita emanat a principio intrinseco ex advertentia rationis, ut possit vel non emanare, vel aliter émanare*. Atque in hoc proprie vera consistit libertas.

Ex allata autem mox definitione intelligimus, duplicem esse indifferentiam. Vel enim voluntas ita actum ponit, ut possit illum eumdem actum non ponere, v. g. ita amat Deum, ut possit illum non amare, et indiffe-

rentia dicitur *contradictionis*: vel ita voluntas actum aliquod ponit, ut possit ponere alterum, puta pro actu amoris ponere potest actum odii, et indifferentia haec appellatur *contrarietatis*, vel *specificationis*. Item indifferentia contrarietatis duplex est. Prima, quum talis actus ponitur, ut poni possit alter in eodem genere sive boni sive mali. V. g. beatus in patria ita adorationis actum ponit, ut pro eo actum ponere possit gratiarum actionis; et damnatus ita ponit actum blasphemiae, ut ponere possit actum desperationis. Altera vero, quum voluntas ita elicit actum bonum, ut elicere possit etiam malum. V. g. ita viator ponit actum spei, ut ponere queat actum desperationis. His ita adnotatis, jam patet, merito liberum arbitrium a nobis definiri, *Facultatem, qua rationalis creatura pro lubitu suo eligere, vel rejicere potest, quod sibi a ratione proponitur*, ut ab initio diximus.

Creatura autem rationalis triplici modo libera dici potest, videlicet *a necessitate*, *a peccato*, *a miseria*. De libertate a necessitate diximus hactenus, eaque stare potest cum servitute peccati atque miseriae, ut hominibus accidit in hoc infirmitatis statu degentibus, qui liberi quidem sunt a necessitate operandi, non autem a peccato et a miseria. Libertas a peccato reperitur in eo, qui peccatorum vinculis non est illigatus, eamque habuit Adam in prima sui conditione, et habemus etiam nos per gratiam salvatoris. *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*: *utique liberi ad bene justeque vivendum*, ut Augustinus ait lib. I. cont. 2. epist. Pelag. cap. 2. Libertas denique a miseria est immunitas a quibusvis aerumnis, eaque beati in patria fruuntur, ubi *et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, ut ait Apostolus ad Rom. cap. 8. Triplicem hanc libertatem post Augustinum fuse exponit Bernardus in lib. de gr. et lib. arb.

Sed paullo enucleatius explicanda sunt, quae hactenus de libero arbitrio summatim diximus. Duae itaque sunt praecipuae voluntatis nostrae operationes, nempe, *velle* et *nolle*. Quando voluntas objectum aliquod vult, illud amat. Quod si illud nolit, odio habet et aversatur. Objectum autem voluntatis, ex ipsius essentia naturalique constitutione, est, fatentibus omnibus, *bonum*. Nam quum actus voluntatis sit velle; et velle idem sit, ut diximus, ac amare; amabile vero non sit nisi bonum; fit, ut voluntatis objectum non sit nisi bonum. Haec autem naturalis proprietas voluntatis est, ut ad objectum quod amat se inclinet, ut illi conjungatur; eaque de caussa omnis amor dicitur unitivus. Quumque voluntatis objectum sit bonum, merito dicitur, bonum trahere ad se voluntatem. Ast ex quo voluntatis objectum sit bonum, necessario sequitur, nostram voluntatem fugere ac odio habere malum, atque jure de malo dici, quod voluntatem a se repellat. Hinc vulgare proloquium: Non potest voluntas malum, qua malum est, sectari, et bonum, qua bonum, aversari. Harum autem rerum nulla reddi potest ab homine ratio, quoniam inclinatio illa voluntatis ad bonum et aversio a malo pertinent ad naturam voluntatis. Et quoniam rerum essentiae necessariae sunt et immutabiles, inclinatio illa voluntatis

ad bonum et illius aversio a malo libero non subjacet arbitrio; neque enim in potestate nostra est, malum, qua malum, diligere, bonumque, ut bonum, odisse.

Ut vero voluntas in naturale suum objectum, hoc est, in bonum feratur, necesse est, ut ratio boni prius cognoscatur ab intellectu, quoniam *nil volitum, quin praecognitum*. Postquam itaque intellectus rationem boni in objecto cognoverit, exhibet illud voluntati, quae quum rationem boni in eo reperiat, statim ad illud amplectendum movetur. In objecto autem sequendo magnam experitur voluntas delectationem. Sicut enim intellectus in veritate, oculus in colorato, auditus in sono, quoniam sunt harum potentiarum objecta; ita voluntas in bono velut in naturali suo objecto delectatur, quae delectatio voluntatem movet ad objectum sequendum.

Ast si ita se res habet, quid est, inquiet aliquis, quod voluntas bonum sepe rejicit, ut malum sequatur? Nempe provenit id ex praepostera boni malive cognitione. Crebro namque intellectus verum bonum sub ratione mali, verumque malum sub boni apprehendit ratione: atque bonum ac malum quum ita perceptum praesentetur voluntati, haec in electione decipitur, malumque ut bonum apprehensum sequitur, et vicissim. Sed quoniam objectum voluntatis, ut saepe diximus, est bonum, hoc modo in sequendo malo ac bono rejiciendo illa decipitur. Intellectus scilicet reale malum induit boni habitu, ut ita dicam, sed apparentis; et rursus verum bonum habitu induit apparentis mali. Fictitio hoc indumento aut bono aut malo exhibito voluntati, sequitur ipsa malum, putans bonum amplecti, bonumque repellit, existimans esse malum.

Unum tamen est, in quo intellectus nullam apprehendere potest rationem mali, nempe *felicitas*. Et re vera, quid est felicitas, nisi omni carere malo omnique frui bono? Tendimus autem naturaliter in bonum. In ceteris vero rebus, cujuscumque sint generis ac dignitatis, quandiu in hac mortali vita sumus, intellectus ita bonum percipit, ut in eo plures mali rationes apprehendere possit, et e contra. Quid namque Deo melius? Et nihilominus intellectus noster etiam in Deo alicujus mali reperit rationes, dum ipsum, vel ut peccata, quae sensibus placent, vetantem, vel ut aeterna inferentem supplicia considerat. Quid peccato pejus? Ast intellectus respicit quandoque in peccato aut sensuum delectationem, aut propriam utilitatem, sive mundanum honorem; sicque rationem in eo apprehendit boni. Cognoscit quidem intellectus generatim, Deum esse ens, quo nihil melius, nullamque in eo invenire potest mali rationem; sed in particulari, in quibusdam nimirum circumstantiis et practice, ita in eo mali invenit rationes, ut voluntati displiceat. Cognitio illa generalis dicitur *speculativa*, haec vero particularis *practica* appellatur. Advertendum tamen est, voluntatem non a speculativa, sed a practica cognitione moveri ad agendum.

Si itaque voluntas bonum amat necessario, ut ex hactenus dictis apparet, consequens fit, amorem esse quoddam voluntatis veluti pondus, per quod inclinatur ad bonum. Quare S. P. Augustinus lib. XIII. conf. cap. 9. ajebat: *Pondus meum amor meus; eo feror quocumque feror*. Et lib.

XI. de C. D. cap. 28. *Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur*. Hinc quidquid rationalis creatura meditatur, desiderat, agit, ad id fertur ex amore boni, a quo tanquam a pondere ad agendum determinatur; bonum quippe quum voluntatem delectet, ipsam ad sui trahit amorem. Unde rursus S. doctor in lib. VI. de musica cap. 11. *Delectatio pondus est animae*. Ex his intelligimus, quare voluntas ad amandum potius, quam ad fugiendum se determinet objectum, quamvis in eodem objecto et boni et mali rationes intellectus inveniat atque percipiat. Delectatio namque est boni veluti pondus, quo voluntas ad amorem determinatur, et tristitia mali e contra est veluti pondus, quo voluntas movetur ac determinatur ad odium. Quare si intellectus plus boni quam mali in objecto apprehendat, voluntas, quae majorem delectationem quam tristitiam in objecto reperit, illud amplexatur. E contra si intellectus plus mali quam boni in objecto agnoscat, eadem voluntas naturaliter contraria tristitiae objectum illud rejiciet. Quod si bonum in objecto perceptum aequale fuerit malo, voluntas suspensa haerebit, et nec bonum sequetur nec rejiciet malum.

Hic tamen monitum volo lectorem, non omnes homines de unius ejusdemque rei bonitate vel malitia idem ferre judicium. Fit namque aliquando, ut objectum, quod uni bonum videtur, appareat alteri malum, et e contra. Si rei hujus caussam scisciteris, puto id evenire et ex corporis constitutione ac temperamento, et ex habitibus animi tum speculativis tum practicis, et ex praesentibus ideis ac circumstantiis etc. Ita qui bile facile accenditur, magis vindicta delectabitur illo, qui humorum praeditus est temperie. Superbus plus boni in honoribus quam humilis apprehendet. Qui repetitis actibus habitum acquisivit avaritiae, maximum in auro percipiet bonum, quod homini liberali non eveniet, et sic porro de reliquis. Quamvis enim intellectus tanquam arbiter in homine sedeat, ut sua ferat judicia, nihilominus imperio subest voluntatis, ita ut de rebus non judicet nisi secundum naturales vel acquisitas illius inclinationes. Unde dicitur in scholis, non posse intellectum sine voluntate ultimum ferre judicium practicum, quod nempe hic et nunc, hoc potius modo quam illo sit agendum, licet absque voluntate valeat intellectus judicium ferre universale. Quod ut accuratius explicetur, animadvertere juvat, quod sicut in intellectu perceptio a judicio distinguitur, et perceptio in intellectu judicium praecedit, ita in voluntate amor indeliberatus ab amore secernitur deliberato, atque hunc ille praecedit. Quum itaque objectum aliquod repraesentatur intellectui, si optimis theoreticis ille sit instructus habitibus, statim in eo objecto boni malique rationes dignoscet. Exhibet deinde objectum illud sic cognitum voluntati, quae juxta suas inclinationes statim in indeliberatum vel amorem vel odium erga illud objectum prorumpit. Rem exponamus exemplo. Repraesentatur intellectui martyrium pro Christi fide subeundum. Intellectus bonis instructus habitibus maximum in martyrio percipit bonum, quod est testimonium reddere christianae fidei, ex quo actu sequitur aeterna felicitas. Percipit etiam in martyrio rationem mali, cruciatus videlicet dolores ac mortem. Si voluntas talibus praedita sit habitibus, ut in bonum dele-

ctabile magis quam in bonum difficile propendeat, in indeliberatum odium erga martyrium prorumpet; displicent quippe ei cruciatus dolores et mors. Si e contra voluntas per naturales suas inclinationes in bonum arduum ac difficile, quod absque poenarum tolerantia consequi nequit, propendeat, prorumpet statim in indeliberatum erga martyrium amorem. Postquam ita se gessit voluntas, progreditur intellectus ad judicium ultimo practicum ferendum, ac veluti consultando dicit: Si hic et nunc sustinendum sit martyrium, quid faciendum est? Sustineri debet, nec ne? Quoniam intellectus regitur a voluntate, illiusque imperio subest, si martyrium voluntati etiam indeliberate placet, cito intellectus ultimum fert judicium practicum, quod hic et nunc sustinendum sit martyrium. Si e contra proruperit voluntas in indeliberatum odium erga cruciatus et mortem, intellectus judicabit, non esse martyrium hic et nunc sustinendum.

Quae quum ita sint, luculenter apparet, unde proveniat quod callidi homines, quid alii in aliquo eventu acturi sint, facile divinent. Nempe rem omnesque illius circumstantias sedulo perpendunt; tum hominum illorum, quorum praedicere volunt actiones, habitus, inclinationes, et characterem assequuntur. Haec omnia invicem conferentes, facile norunt, an illi plus boni vel mali in ea re judicent inveniri, sicque ex consequente deducunt, quid illi in tali eventu acturi sint. Et conclusio quidem erit infallibilis, si nihil erratum sit in praemissis. Rem claram faciamus exemplo. Si quaeratur, an Curtius v. g. audito oraculi responso se praecipitem daturus sit in foveam, primo considerandum est, quid sit se praecipitem in foveam dare. In hoc quippe et malum invenitur mortis, et simul bonum servatae patriae et maxima nominis gloria. Deinde Curtii consideranda est conditio. Is enim vir erat intrepidus, mortis contemptor, patriae amantissimus, cupidissimus gloriae. Inferri ergo tuto potest, Curtium plus boni quam mali in eo genere mortis reperturum, et ideo praecipitem in foveam se daturum. Huic ratiocinio tota humana prudentia atque politica tanquam solido fundamento innititur.

Hactenus vidimus, quomodo voluntas ad agendum se determinet. Inspiciendum modo, qua ratione se determinet ad agendum libere. Ex quo voluntas in actibus imperatis dumtaxat, non in actibus elicitis coactionem pati possit, ut initio hujus capitis diximus, usus invaluit apud homines, ut id dicant se libere facere, quod faciunt volentes; et tunc solum de amissa queruntur libertate, quum ad id, quod nolunt, agendum, vel ab eo, quod volunt, desistendum, compelluntur. Sic qui in carcere clauditur, dum ibi, ubi nollet, morari cogitur, amissam plorat libertatem. Ex quo patet, ad constituendam libertatem requiri, ut id voluntas agere possit quod sibi placet. Sed quoniam nihil placere voluntati potest, quod non fuerit ab intellectu praecognitum, ad libertatem constituendam requiritur etiam intellectus; ita ut ubi nulla est cognitio, nulla quoque sit libertas. Hinc quo perfectior est cognitio, perfectior quoque habetur libertas. Unde si cognitio sit perturbata, ut in pueris ante rationis usum, in semi-dormientibus, semi-ebriis, quorum cognitio semi-cognitio potius dicenda est, liber-

tas dicetur potius semi-libertas. Si cognitio sit imperfecta, quod nempe rationem duntaxat vel boni vel mali in objecto apprehendat, contraria sive boni sive mali ratione non cognita, libertas erit imperfecta, qualis est in iis qui motibus *primo-primis* corripiuntur. Quum enim intellectus noster valde sit imperfectus, nequit unico, ut ita dicam, intuitu rem totam inspicere, sed debet boni malique rationes successive cognoscere. Antequam autem intellectus rationes omnes consideret, quis non videt, cognitionem adhuc esse imperfectam? Quare qui perfectiore praediti sunt intellectu quum omnes objecti qualitates unico videant intuitu, motibus *primo-primis* et imperfecte liberis cieri non possunt, ut evenit in Angelis. Ergo ubi cognitio in sensu exposito perfectior est, perfectior quoque erit libertas. Atque haec est libertas, quae in hominibus reperitur viatoribus agentibus ex deliberatione, quae videlicet ex boni ac mali rationum, quae in objecto inveniuntur, cognitione proficiscitur. Sed haec libertas perfici ulterius potest. Nam creaturae quum natura sua defectibiles sint fallique possint, ac proinde rationem apprehendere possint mali ubi nullum est malum, rationemque boni ubi nihil boni est, dari potest cognitio perfectior, quae res prout in se sunt conspiciens falli non possit. Cognitio fundamentum erit perfectioris libertatis. Haec perfecta libertas est in Deo, qui natura sua indefectibilis est, et etiam in beatis, qui ex intuitiva Dei visione indefectibilitatem participant.

Ex his celeberrima oritur libertatis divisio in libertatem lubentiae seu spontaneitatis, quae a coactione quoque dicitur, et libertatem indifferentiae, quae appellatur etiam a necessitate, de quibus initio capitis diximus. Et en quomodo. Ex quo intellectus boni vel mali rationem, quae in objecto est, cognoscat, sequitur, voluntatem ad objectum vel amandum vel fugiendum moveri. Si intellectus in objecto rationem boni duntaxat apprehendat, voluntas ferri in objectum debet necessario. Quum enim id, in quod voluntas suapte natura tendit, sit bonum, ubi bonum nulli admixtum malo reperit, necessario in illud tendat oportet. Proinde fundamentum necessariae tendentiae voluntatis, sive libertatis a coactione, est judicium, quo intellectus decernit, objectum esse simpliciter bonum, nec ullam mali admixtam habere rationem. Quod si intellectus rationes tum boni tum mali in objecto percipiens judicet, objectum esse simul amore dignum quatenus bonum, et dignum odio quatenus malum, tunc voluntas indifferens est ut illud tanquam bonum prosequatur, vel aversetur tanquam malum; atque idcirco fundamentum indifferentis tendentiae voluntatis, seu libertatis a necessitate, est indifferentia judicii, per quam voluntati repraesentatur objectum sub ratione boni simul et mali. Et haec est libertas, quae in homine viatore requiritur ad merendum vel demerendum. Ex hactenus dictis multa deduci possunt

COROLLARIA.

I. Liberum idem est ac voluntarium; atque haec duo dicuntur, ut ajunt, ad convertentiam. Quum enim voluntarium ac liberum utrumque

a principio proveniat intrinseco, nempe a voluntate, praecedente cognitione intellectus, sequitur idem esse voluntarium ac liberum.

II. Libertas est veluti genus, sub se duas continens species, videlicet libertatem a coactione et libertatem a necessitate.

III. Illa omnia, quae usum auferunt rationis, tollunt quoque libertatem generice dictam. Si namque rationis usus sit impeditus, quum voluntas non agat ex directione rationis, nullum est voluntarium nullumque liberum. Sic dormientes, amentes, ebrii, pueri, quibus ratio dominari nequit, nihil habent voluntarium nihilque liberum.

IV. Quae rationis usum non prorsus impediunt quidem, sed magna ex parte minuunt, imminuunt etiam voluntarium ac liberum, ita ut remaneat semi-voluntarium et semi-liberum, ut in semi-sopitis, semi-ebriis ac pueris accidit ante perfectum usum rationis.

V. Quod si in aliqua animi subreptione usus rationis perfectus non sit, nec intellectus totum cognoscat objectum, sed vel boni vel mali rationem in eo dumtaxat apprehendat, ut iis evenit, qui motibus primo primis corripiuntur, tunc ob usus rationis imperfectionem libertas imperfecta est, et quae superest est libertas spontaneitatis, non indifferentiae, quoniam ad objectum sequendum, quod sibi proponitur, necessitatur.

VI. Ast si voluntati sub boni simul et mali ratione objectum ab intellectu proponatur, tunc libertas habetur indifferentiae. Nam voluntas objectum amare potest inspecta ratione boni, vel odio habere ratione inspecta mali. Hac libertate gaudent homines in omnibus pene, quae deliberate agunt. In omnibus enim, quae ab intellectu vel fugienda vel amplectenda proponuntur voluntati, una excepta felicitate, rationes boni et mali simul repraesentantur. Etiam in damnatis ac daemonibus libertas haec invenitur. Ita quippe Deum ut sibi malum apprehendunt, ut bonum esse simul cognoscant; proindeque nulla ad illum odio habendum necessitate impelluntur. Haec denique libertas est etiam in Deo et in beatis circa objecta omnia creata; quae licet bona sint, aliquam tamen habent rationem mali admixtam, quum limitata prorsus sint et imperfecta; atque adeo nulla adiguntur necessitate ad ea volenda.

VII. Tandem si intellectus objectum sub ratione boni dumtaxat voluntati proponat, voluntas quum invincibili necessitate ad illud amandum feratur, solam habet libertatem a coactione. Libertas isthaec reperitur in nobis erga felicitatem, et in beatis erga Deum, et in Deo erga se ipsum. Hinc colliges rursum, quod quum libertas in cognitione fundetur intellectus, ubi perfectissima est cognitio, perfectissima quoque reperitur libertas. Ac per hoc libertas, qua Deus se ipsum diligit, est perfectissima; illa autem, qua homo viator diligit Deum, est imperfecta. Verumtamen haec est indifferens, qua indifferentia caret illa.

CAPUT II.

Explicantur magis et confirmantur quae dicta sunt capite superiore.

Etsi quae hactenus de libertate dicta sunt clara non minus quam certa esse videantur, quoniam tamen tractatio haec est maximi usus tum in sequentibus tum alibi, operae pretium existimo, quae superiore capite exposuimus rationibus communire, atque ab adversariorum vindicare contradictionibus. Unde sit

CONCLUSIO I.

Voluntas ex duobus bonis particularibus sibi propositis potest majus deserere et minus eligere.

Prob. Si voluntas ex duobus bonis sibi propositis deserere non posset majus, ad illud amplectendum necessitaretur, quod aperte repugnat. Nam majus illud bonum quum sit bonum particulare, secum admixtas habet imperfectiones ac plures rationes mali. Ast omne bonum malo admixtum voluntatem ad sui amorem non trahit necessario, sed circa illud tali gaudet indifferentiae libertate, ut illud amplecti ac rejicere possit.

CONCLUSIO II.

Quamvis voluntas eligere possit bonum minus prae majore, semper tamen bonum eligit quod pensatis circumstantiis majus videtur.

Prob. 1. ex communi hominum experientia. Quis enim unquam bonum minus, ut minus cognitum, majori praeposuit? Si homini pecuniae avidissimo decem ex una, centum ex altera parte offeras, quis credat, ipsum electurum decem, centum relictis? Hinc S. P. Augustinus in exp. ep. ad Gal. cap. 5. ait, voluntatem secundum id operari, quod magis delectat. Atque tam alte hoc humanis impressum est mentibus, ut dum homines, quid alii in datis circumstantiis acturi sint, dignoscere conantur, in id solum incumbant ut explorent, quid tunc ipsis melius, juxta cujusque vel corporis vel animae habitudinem, futurum videatur; certi quod si hoc divinent, illorum etiam operationes infallibiliter praenoscent. Singuli quippe sciunt, quod trahat sua quemque voluptas.

Prob. 2. Bonum majus quum voluntatem magis delectet, magis profecto illam ad se trahit. Et sicuti corpora pondere feruntur, ut ait Augustinus, ita fertur animus amore ac delectatione. Corpora autem feruntur quo a majore diriguntur pondere: unde et animus eo fertur quo a majore urgetur delectatione. Praeterea nonne voluntas simpliciter trahitur a bono, quod undequaque bonum apparet? Quoniam ergo magis a majore bono quam a minore trahitur, illud magis sequi debet.

Nec dicant adversarii, comparationem hanc nimis probare; probare videlicet, quod sicut voluntas necessario trahitur a bono, quod undequaque bonum apparet, ita trahi necessario deberet a bono majore. Non hoc, inquam, dicant. Nam bonum, quod undequaque apparet bonum, quum nullam admixtam habeat rationem mali, adeoque voluntati sufficientem non relinquat rationem illud aversandi, necessario illam ad se trahit. Ast bonum, quod apparet majus, quum admixtas habeat rationes mali, voluntatem necessario trahere non potest. Nihilominus quoniam est magis bonum, magis voluntatem trahere debet. Unde sic rursus arguo. Bonum undequaque bonum ex quo simpliciter ac necessario trahat voluntatem, haec sequitur illud simpliciter et necessario. Bonum proinde altero majus ex quo magis, sed non necessario trahat voluntatem, magis utique illud sequi debet, sed non necessario.

Prob. 3. Voluntas potentia est rationalis, quae rationem saltem sibi ipsi reddere tenetur, cur unum eligat prae alio. Quod si minus bonum prae majore eligeret, quam sibi rationem redderet suae electionis? Nam quum ratio, propter quam voluntas objectum eligit, sit ipsius bonitas, quae potior invenitur in bono majore, si voluntas eo in concursu minus bonum eligeret, ratio esset potius in oppositum. Hinc quemadmodum homo dum rationabiliter operatur nunquam eam rejiciet propositionem, cujus affirmandae potiores habet rationes, ita dum rationabiliter operatur, nunquam bonum illud rejiciet, cujus amplexandi potiores habet rationes.

CONCLUSIO III.

Inter duo bona aequalia, etsi voluntas possit alterutrum pro lubitu eligere, ad nullum tamen prae altero se determinabit.

Patet ex dictis. Nam voluntas ex duobus bonis alterutrum potest eligere vel respuere, quoniam ambo licet bona sint, rationes tamen habent mali bono admixtas. Ast vero voluntas ad neutrum se determinabit, quum non potiorem in uno quam in altero boni rationem inveniat, a qua determinetur; atque ita suspensa haerebit donec potior in uno quam in alio bonitatis appareat ratio.

CONCLUSIO IV.

Si voluntati objectum proponatur sub majore ratione boni et minore ratione mali, quamvis possit illud eligere vel rejicere, nunquam tamen rejiciet, sed semper eliget.

Haec quoque propositio patet ex praemissis. Voluntas quippe propositum objectum eligere potest et rejicere, quoniam nec ad odium nec ad amorem necessitatur. Sed quoniam potiores illud amandi quam odio habendi rationes habet, ad amorem semper se determinabit. Et sicut voluntas nunquam minus bonum eligit ut rejiciat majus, ita nunquam ex ratione minoris mali objectum rejiciet, quod sit magis bonum.

CONCLUSIO V.

Posito judicio indifferente de alicujus objecti bonitate atque malitia, voluntas nulla cogi potest virtute ad illud necessario amandum vel odio habendum, sed remanet semper indifferens ad amorem vel odium.

Prob. Judicium indifferens ostendit voluntati objectum sub ratione boni simul et mali. Objectum autem hoc modo voluntati repraesentatum nec ad amorem nec ad odium illam necessario trahit. Nam objectum voluntati sub omni ratione boni repraesentatum eamdem necessario trahit ad amorem. Quod vero exhibetur sub omni ratione mali illam necessario movet ad odium. Quare quod sub ratione boni simul et mali repraesentatur, nec ad amorem nec ad odium necessario trahit. Et revera, bonum sequi et fugere a malo ad essentiam pertinet voluntatis: ac proinde quemadmodum quum illi bonum sub omni ratione boni repraesentatur, nullum inveniens ibi malum, a quo fugiat, ei necessario adhaeret; et similiter dum illi exhibetur malum sub omni ratione mali, quum ibi non inveniat bonum, quod sequatur, ab eo necessario fugit; ita dum voluntati repraesentatur objectum sub ratione boni et mali, quum ibi et bonum quod sequatur, et malum a quo fugiat inveniat, neque ad prosecutionem neque ad fugam necessitatur, sed indifferens remanet ad amorem vel odium. Et sicut si voluntas odio haberet objectum sub omni ratione boni cognitum, odio haberet incognitum, odio quippe haberet malum quod in eo objecto non cognosceret; ita si necessario amaret objectum cognitum sub boni ac mali ratione, ferretur in incognitum, quia in objectum ferretur undequaque bonum quod non cognoscit. Objectum namque amoris necessarii est objectum cognitum sub omni ratione boni.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cont. 1. thes. I. S. P. Augustinus in expos. ep. ad Gal. cap. 5. *Quod enim*, inquit, *amplius nos delectat, secundum id operari necesse est*. Majus autem bonum magis nos delectat. Quare voluntas ex duobus bonis particularibus sibi propositis, relicto minore, majus necessario eligere tenetur. II. Intellectus negare nullo modo potest propositionem, quam ex potioribus rationibus cognoscit esse veram. Unde neque voluntas aversari potest objectum, quod sub potiore boni ratione ipsi proponitur.

Resp. ad 1. In superiore libro jam monuimus, Augustinum saepe vocare necessarium, non illud quod impossibile est ut aliter fiat, sed quod semper fieri solet; sicuti communi etiam loquendi more dicere solemus: Necesse est ut hoc vel illud faciam; non quod aliqua ad id faciendum adigamur necessitate proprie dicta, sed quia ita fieri decet. Quare verborum Augustini sensus est, hominem sequi semper id, quod magis delectat; et hoc verum esse jam demonstravi.

Ad 2. Falsum est, non posse intellectum absolute negare propositionem, quam ex potioribus rationibus cognoscit esse veram, quamvis nunquam illam absolute negabit. Et eodem plane modo de intellectu ac voluntate, respectu suorum objectorum, loquendum est. Sicut enim objectum intellectus est verum, ita objectum voluntatis est bonum. Si intellectui propositio ita exhibeatur, ut nullam falsi in illa invenire possit suspicionem, propositioni necessario assentietur. Similiter et voluntas necessitatur ad amandum objectum, in quo nulla exhibetur ipsi ratio mali. At si intellectus in aliqua propositione veritatis simul et falsitatis rationes apprehendat, illam et uti veram affirmare potest, et uti falsam negare. Nihilominus quando plures ac potiores sunt rationes propositionis ostendentes veritatem, semper ipsam affirmabit, non quidem ut absolute veram, sed ut magis verisimilem. Si rationes potiores sint in contrarium, illam negabit; si aeque potentes, intellectus haerebit in ancipiti, nec ad aliquid affirmandum vel negandum se determinabit. Pari modo res agitur in voluntate comparate ad bonum, et ad majorem vel minorem vel aequam boni rationem, ut supra diximus.

Obj. 2. cont. alt. prop. I. Potest voluntas minus bonum prae majore sequi, ut ex prima propositione constat. Quare illud aliquando sequatur oportet. Nam nulla est potentia, quae nunquam reducetur ad actum; adeoque non semper eliget bonum, quod sibi majus videtur. II. Et revera, voluntas est potentia libera et sui juris. Hinc vera libertas in absoluta aequilibrii consistit indifferentia. Unde si voluntas velit, potest ita sua uti libertate, ut bonum minus eligat prae majore, nec aliam reddere tenetur rationem, nisi quod ita operari velit, ut sua utatur libertate, juxta commune proloquium, *Stat pro ratione voluntas*.

Resp. ad 1. Non est frustranea potentia, quae nunquam reducetur ad actum, alioquin frustra esset in Deo potentia tot possibilia creandi, quae tamen nusquam creabuntur. Nec frustra est potentia, qua sanae mentis homo pollet ad se interimendum, quae tamen nunquam ab eo reducetur ad actum, nisi ratio in eo perturbetur, vel aliquod majus bonum se consecuturum post mortem speraverit.

Ad 2. Libertatem in absoluta aequilibrii consistere indifferentia, sententia fuit olim Pelagianorum. Nam affirmare, voluntatis determinationem ab absoluta provenire indifferentia indeterminata, idem est ac affirmare, ipsam naturaliter profluere ex nihilo. Quippe talis determinatio non provenit a Deo, ac proinde nec ab anima nec a corpore neque a circumstantiis, quae omnia supponuntur indeterminata. Provenit ergo ex nihilo. Ast nulla creatura virtutem habet rem e nihilo educendi. Itaque potest utique voluntas ita sua uti libertate, ut bonum minus eligat prae majore, si velit. Ast volet nunquam; quoniam si voluntas vult bonum minus, quia bonum est, velle debet bonum majus, quoniam magis bonum est. Verum utique est, posse hominem in suae libertatis exercitio, minus bonum prae majore eligendo, tantum apprehendere bonum, quod superet majus bonum cognitum in objecto; sed tunc non sequitur minus bonum quatenus minus est, sed quatenus conjungitur cum hoc libertatis exercitio: *Volo*, *ad meae li-*

bertatis vim ostendendam , eligere minus bonum prae majore ; quod tanquam majus bonum apprehenditur . Sed hunc agendi modum vix probari posse crediderim ab homine serio agente. Allatum autem proloquium ab hominibus dicitur, non juxta leges aequitatis, sed juxta perversas cupiditates operantibus. Hi namque non agunt juxta dictamen rationis ostendens quod in se bonum est, sed juxta eam rationem, quae proponit quod bonum est ipsis; atque ita talibus hominibus stat pro ratione voluntas. Sed melius diceretur: Stat pro ratione *voluptas*, quae ipsis tota est agendi ratio.

Obj. 3. cont. 3. thes. I. Si sint duo bona aequalia sed incompossibilia, melius est unum habere quam neutrum. Unde voluntas inter duo aequalia bona eligere debet alterutrum. II. Datur quandoque casus, in quo homo absque ulla vel intrinseca vel extrinseca ratione boni majoris, sed sola voluntatis suae vi ad unum se determinet. Puta, si duo nummi aurei aequalis ponderis, valoris, ac magnitudinis alicui proponantur, illeque se ad unum eligendum determinaverit, talis electio nullam intrinsecam aut extrinsecam habebit sufficientem rationem. III. Deus ex duobus omnino aequalibus bonis unum prae altero diligit; unde unam creaturam prae altera creat, uni prae altera beneficium aliquod confert. Cur ergo id ipsum pro lubitu agere non poterit etiam creatura rationalis?

Resp. ad 1. Melius ubique est voluntati unum bonum habere quam neutrum; atque ideo ad unum vult se determinare. Ast nunquam se determinabit, donec aliquid majoris boni in alterutro inveniat. Hinc homo in tali casu constitutus, vel majore consideratione vel aliorum uti solet consilio, ut in alterutro majorem detegat boni rationem. Si vero nihil horum sufficiat, solent homines vel sorte se determinare, vel quod primitus occurrit eligere. Testatur id experientia.

Ad 2. Jam dictum est, hominem hisce in casibus vel sorte se ad alterutrum determinare, vel alterutrum casu eligere. Forte in allato exemplo corporis constitutio vel habitus animi aut aliqua extrinseca circumstantia influxum habere possunt in electionem. Ac denique in dubium verti nequit, quin homini illi in proposito casu multa occurrerent menti rationes, quae inefficaciter moverent ad eligendum, unaque alteri succederet. Quod argumento est, ex majore ratione boni, non ex vi quadam mentis irrationabiliter operantis pendere determinationem.

Ad 3. Ineptissima est comparatio. Nam 1. Quo perfectiores sunt creaturae in ordine sive naturali sive supernaturali, id est, quo magis creaturae Dei perfectiones participant, eo magis ab ipso diliguntur. 2. Deus ad agendum non movetur ex bonitate creaturarum, sed ex bonitate sua. Unde eas producit, iisque beneficia confert, quibus creationem vel beneficia impertiri ex sua se determinat bonitate. 3. Quum sit sapientissimus, nequit in sua bonitate rationem non invenire cur unum eligat prae alio. Sed quum sit incomprehensibilis, ratio illa nequit nobis esse manifesta. Hinc cum Apostolo exclamandum: *O altitudo divitiarum!* 4. Allatum argumentum falso, ut inquiunt, laborat supposito; supponit enim, duas possibiles creaturas duo esse objecta bona, quod ridiculum est. Nam possibilia sicuti nullum

habent esse reale, ita nullam in se continent bonitatem realem, nullumque meritum ut diligatur. Quare duas creaturas Deus non diligit, amore saltem effectivo, quandiu in statu sunt possibilitatis, etiam si de possibilibus loquamur, quae futura evaserunt, ante creationis decretum consideratis. Si loquamur autem de creaturis post decretum creationis, hoc est, de futuris, hae diliguntur quidem, sed in his diligit Deus dona sua. Beneficia sua vero confert Deus, prout expedit gloriae suae. Hac responsione solvitur etiam argumentum, quod ex gratuitae praedestinationis decreto urgeri posset.

Obj. 4. adv. 4. prop. I. Dum aliqua repraesentatur intellectui propositio sub veri et falsi ratione, quamvis potior sit ratio veri, intellectus tamen assensum saepe suspendit. Itaque dum objectum repraesentatur voluntati sub ratione boni et mali, licet potior sit ratio boni, potest voluntas objectum non amare vel amorem suspendere. II. Item potest intellectus propositionibus etiam evidentibus, quales sunt prima principia, assensum cohibere ita, ut terminos apprehendat, in assensum autem non erumpat. Cur et voluntas nequeat amorem circa objectum, ut magis bonum cognitum, non cohibere? III. Postquam intellectus objectum aliquod bonum esse judicaverit, potest Deus cum voluntate non concurrere ad amorem. Numquid tunc voluntas amabit objectum sub majore ratione boni sibi ab intellectu propositum? IV. Quamvis intellectus judicet, Deum esse summum bonum, potest nihilominus voluntas amorem suspendere, ut Deum non diligat. Similiter etiam, si majoris boni rationem intellectus reperiat in virtutibus, potest tamen voluntas amorem erga virtutes suspendere; poterit igitur voluntas etiam non amare objectum, ut bonum ab intellectu cognitum.

Resp. ad 1. Laborat argumentum in falso supposito. Neque enim dari potest propositio vera simul et falsa, quum veritas omnem falsitatis formidinem excludat. Potest autem dari propositio, quae probabilius sit vera quam falsa. Sed tunc intellectus assensum saepe suspendit, quoniam objectum intellectus quum veritas sit, non probabilitas, ubi veritatem non reperit, ad assensum non tenetur. At voluntas reperit in objecto bonum, quod est ipsius proprium objectum; ac proinde ubi a majore mali ratione non deterreatur, illud semper amplectitur.

Ad 2. Primo ex antecedente semel admissa propositione sequeretur, voluntatem cohibere posse amorem circa objectum undequaque bonum, puta, circa Deum intuitive visum, vel circa propriam felicitatem, quod omnino falsum est. Praeterea etiam si intellectus perceptis evidentis propositionis terminis in assensum non erumpat explicite, propositioni tamen illi assentitur implicite, dum certus de illius veritate remanet; illa quippe certitudo est implicitus ac virtualis assensus. Demum quum intellectus subsit imperio voluntatis, potest ad istius nutum assensum cohibere, quatenus a voluntate ad aliud considerandum objectum potest applicari. Puta, si proponatur alicui evidens haec propositio: *Idem non potest simul esse et non esse*, voluntas potest alio divertere intellectum, ut ad propositionis terminos non attendat. Ast nequit voluntas in nostro casu ad aliud se conver-

tere objectum, ut suum cohibeat amorem, sed versari omnino circa illud debet, quod hic et nunc ab intellectu ei repraesentatur; alioquin voluntas ferretur in incognitum.

Ad 3. Quid, si Deus cum beatis ipsum clare videntibus non concurreret? Equidem quum creatura nihil, nisi Deo coagente, agere valeat, tum beatus Deum plane non diligeret. Num proinde beatus ad Deum amandum non necessitatur? Similiter si Deus ad amorem boni cum voluntate non concurreret, voluntas certe bonum non amaret, quia amoris nequiret elicere actum. Non tamen sequitur hinc, ad majoris boni amorem se non determinare. Ceterum nunc supponimus, creaturam habere in omnibus actibus suis simultaneum Dei concursum.

Ad 4. In primis, quamvis intellectus judicet, Deum esse summum bonum, voluntas tamen saepe ab eo refugit, ut sequatur peccatum quod ab intellectu summum judicatur esse malum. An ideo voluntas potest summum bonum ut tale cognitum odisse, et summum malum amplecti? Quis haec absurda deglutiet? Itaque dum intellectus judicat, Deum esse summum bonum, et majus bonum in virtute reperiri, si voluntas in Dei virtutumque non rapitur amorem, cognitio illa est, ut supra diximus, mere speculativa non practica, cui aliud opponitur judicium practicum, quo intellectus melius esse judicat, hic et nunc nec Deum nec virtutes amare. Atque hoc judicium practicum, non illud speculativum voluntatem dirigit ad operandum. Qui igitur Deum non amat, quamvis speculative illum esse summum bonum noverit (si namque judicium hoc speculativum non haberet, esset infidelis), practice tamen judicat, majorem boni rationem in Deo non amando, quam in eo amando se invenire. Idem dicas de vitiis ac virtutibus. Nisi quod saepe in tantam devenimus perversitatem, ut etiam speculative judicemus, in vitio plus boni esse quam mali. Hinc patet verum esse vulgare illud proloquium: *Omnis peccans est ignorans*. Errat enim qui peccat vel speculative et circa universalia principia, vel saltem practice et circa conclusiones particulares.

Ut vero quae dicta sunt clarius elucescant, animadvertendum sedulo est, quod sicut objecta quo magis ab oculo distant eo minora apparent, ita quo magis distant a nobis bona, eo videntur minora: et quemadmodum quo magis distat objectum visus, debilior est species visiva minusque clare objectum repraesentat; sic species intellectualis est de bono absente magis confusa, minusque rei repraesentat bonitatem. Hinc quoniam Deus a mente nostra maxime distat, nec ipsum nisi in aenigmate intuemur, illius idea maxime obscura est. Proindeque licet fide rationeque sciamus, esse summum bonum, quomodo scimus solem corpus esse immensae magnitudinis, nihilominus repraesentatur nobis velut bonum maxime limitatum pluribusque malis admixtum, sicuti intuemur solem vix palmaris extensionis. Idem de aliis spiritualibus bonis dicendum; quoniam clariores in nobis sunt rerum, quas sensu percipimus, ideae, quam rerum, quas cognoscimus, rationes; atque idcirco fortius a bono praesente, quam ab eo, quod a nobis remotum est, trahimur. Quare licet ratione noscamus, Deum esse sum-

mum bonum, et majus in virtute quam in vitio reperiri bonum, quoniam tamen bona haec sunt minus sensibilia, haec potius sequi volumus quam illa.

Obj. 4. cont. 5. prop. multa hypothetica argumenta ex Peripatetica philosophia desumpta, ut suadere conentur, posse utique stare indifferentiam judicii in intellectu absque indifferentia electionis in voluntate, illaque ut plurimum ex Dei repetunt omnipotentia, quae vel voluntatem determinare potest ad unum, stante indifferentia judicii, vel illam impedire, ne eligat quod intellectus eligendum judicavit. Verum haec frigida sunt nec nos a praeconcepta valent removere sententia. Primo, quoniam nos non loquimur modo de humana libertate sub omnipotente virtute Dei, per quam extraordinaria quadam lege facere potest, quae nos nec possumus cogitare; sed de humana loquimur libertate, quae in manu Dei est secundum ordinariam legem operantis. Atque hoc modo spectata ita voluntas sequitur indifferentiam judicii, ut indifferens semper remaneat ad objectum amandum, vel odio habendum. Deinde, pleraeque subtilitates allatae eo vergunt, ut dum indifferentiam voluntatis sub indifferentia judicii per extraordinariam Dei virtutem removere contendunt, removent etiam ab intellectu indifferentiam judicii: atque ita extra oleam penitus ferimur. Postremo falsum omnino est, posse Deum per virtutem suam infinitam, posito judicio indifferente de bonitate et malitia alicujus objecti, a voluntate indifferentiam auferre ad amorem vel odium. Neque enim potest Deus rerum naturas et essentias mutare. Hinc quemadmodum facere nequit, ut voluntas feratur in nullum objectum, aut in objectum non cognitum, vel in malum cognitum qua malum, ita facere non potest, ut necessario feratur in objectum cognitum sub ratione indifferente, boni videlicet et mali.

Obj. ultimo adv. eamdem thes. I. S. P. Augustinus in enchir. cap. 93. et alibi passim ait, Deum inclinare posse hominum voluntates ad quodcumque voluerit, et quomodocumque voluerit. Concinit Magistro fidus ejus discipulus dicens quaest. 22. de verit. art. 8. *Deum necessitare posse voluntates ad quodcumque voluerit, et quomodocumque voluerit*. Quare stante indifferentia judicii, voluntas potest non esse indifferens. II. Lutherus atque Calvinus de medio sustulerunt libertatem indifferentiae, non denegata in eodem homine indifferentia judicii. Hoc non obstante, damnati sunt ab Ecclesia tanquam verae libertatis eversores. Unde indifferentia judicii ad libertatem salvandam indifferentiae non sufficit.

Resp. ad I. Per eam phrasim saepe ab Augustino adhibitam, Deum inclinare posse hominum voluntates ad quodcumque, et quomodocumque voluerit, vult ipse efficaciam exprimere divinae gratiae. Sed numquid proinde affirmat, necessitare posse Deum humanam voluntatem, remanente judicii indifferentia? Immo e contra. Si voluntatem per gratiam suam ad unum determinat, primitus per eamdem gratiam facit ut intellectus judicet, majorem esse in objecto sequendo rationem boni. Hinc definit gratiam *inspirationem sanctae dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*. Quod si adversarii velint, loqui Augustinum de Dei infinita virtute necessitante humanas voluntates, si velint, liceat. Sed eo in casu dum Deus volunta-

tem ad tale sequendum objectum necessitat, aufert ab intellectu indifferentiam judicii, atque hoc sensu certe loquitur S. Thomas. Quare inquit, posse Deum necessitare voluntatem, quin valeat cogitare, per cogitationem videlicet judicare.

Ad 2. Ecclesia parum sollicita est de philosophica hac quaestione, per quid libertas habeatur indifferentiae. Sed id solum a fidelibus exigit ut fateantur, libertatem indifferentiae in homine lapso perdurare; proindeque quidquid de philosophica quaestione haeretici dixerint non curans, eos damnat, qui libertatem denegant indifferentiae. Praeterea falsum est, Calvinum atque Lutherum, denegata indifferentia voluntatis, non denegasse in statu naturae lapsae etiam indifferentiam judicii. Affirmarunt quippe, homini lapso cognitionem ademptam esse boni et mali ad recte dirigendam voluntatem. Vide utriusque haeretici verba in superioribus. Atque de difficili philosophica quaestione, quae tamen disputationibus de divina gratia lumen maximum affert, dictum satis.

CAPUT III.

Explicatur adhuc clarius libertas indifferentiae.

Consentiunt omnes omnino theologi, indifferentiam contradictionis, in superioribus explicatam, quae tamen activa sit non passiva, necessario requiri ad veram libertatem indifferentiae constituendam. Dubium quoque non est, quin libertas contrarietatis, cujus ideam dedimus supra, servato et non praetermisso ordine finis, vera sit ac propria libertas a necessitate. Immo et in hoc conveniunt, quod indifferentia contrarietatis, praetermisso et non servato ordine finis, ad essentiam non requiratur libertatis; quum soli Pelagiani affirment, non dari libertatem nisi cum indifferentia ad bonum et malum. Ut autem haec clarius elucescant, totidem erunt confirmanda propositionibus.

CONCLUSIO I.

Indifferentia exercitii seu potestas agendi et non agendi ad essentiam pertinet libertatis.

Propositio haec satis superque demonstrata remanet ex iis, quae cap. 1. et 2. hujus libri, et cap. penultimo praecedentis fuse disputavimus, ad quae lectorem remittimus. Quare optime a theologis libertas definitur: Rationalis creaturae facultas agendi et non agendi, prout lubet, positis omnibus ad agendum requisitis.

CONCLUSIO II.

Dari potest et reapse datur vera libertas a necessitate sine ulla potentia ad peccandum; proindeque indifferentia ad bonum et malum non est de essentia libertatis a necessitate.

Prob. 1. ex S. P. Augustino, qui de hoc argumento ex professo per-

tractavit adversus Pelagianos. Et ne multus sim, in lib. I. op. imp. adv. Julianum, qui dixerat: *Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum et malum*, respondet: *Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, Deus nisi justus esse non potest? Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Cujus testimonii vis est, quod etsi Deus in iis, quae sunt ad intra liber non sit nisi a coactione, nihilominus circa ea, quae sunt ad extra, perfectissima gaudet libertate indifferentiae. Et tamen Deus, utpote sanctitas per essentiam, indifferentiam non habet ad bonum et malum. Quare ad essentiam libertatis a necessitate non requiritur indifferentia ad bonum et malum, seu potestas peccandi. Consimile argumentum deducitur ex Angelis ac beatis hominibus in patria degentibus, qui quum incommutabili bono per intuitivam visionem adhaereant, carent potentia peccandi, et nihilominus liberrimi sunt in iis, quae sunt extra Deum. Hoc ipsum dicendum de beatissima humanitate Christi, quum nobiscum versaretur in terris.

Prob. 2. auctoritate ac ratione S. Thomae, qui in II. sent. d. 25. q. 1. art. 2. ad 2. inquit: *Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum vel malum, quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, cum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendat, nisi ob aliquem defectum, quem apprehendit ut bonum; cum non sit voluntas aut electio, nisi boni aut apparentis boni. Et ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit.*

Prob. 3. Libertas indifferentiae quum reperiatur etiam in Deo, est proculdubio perfectio. Potestas autem peccandi defectus est et imperfectio. Nequit ergo dici necessaria ad libertatis constitutionem.

CONCLUSIO III.

Libertas creaturae includit indifferentiam ad bonum et malum.

Prob. Creaturam facultate pollere ad bonum agendum, ulteriore non indiget demonstratione; satis enim patet ex dictis. Quod vero creatura ex sui essentia indifferens sit ad malum agendum, liquet ex quo naturaliter et ex sui essentia sit defectibilis. Neque enim dari potest creatura, quae non possit deficere, alioquin daretur creatura infinite perfecta, quod absolute repugnat. Quumque ubi est defectibilitas ibi vertibilitas sit ad malum, consequitur, libertatem creaturae indifferentiam includere ad bonum et malum.

CONCLUSIO IV.

Indifferentia contrarietatis, servato et non praetermisso ordine finis, reperitur quandoque in libertate.

Prob. Indifferentia isthaec est potentia eligendi duo media sibi invi-

cem quidem opposita, sed ambo ordinata et conducentia ad debitum ultimum finem. Verum hujusmodi indifferentia reperitur quandoque in libertate. Nam potest quis ad vitam acquirendam aeternam, quae est ultimus rationalis creaturae finis, castitatem, vel conjugalem eligere statum; quae sunt duo invicem opposita media, utrumque tamen ad vitam aeternam ordinabile et conducens. Qua de re indifferentia contrarietatis, servato et non praetermisso ordine finis, reperitur aliquando in libertate. Hinc S. Thomas 1. p. q. 61. art. 8. definit libertatem hoc modo: *Libertas est vis electiva mediorum, servato et non praetermisso ordine finis*. Et q. sequente art. 8. ad 3. ait: *Quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato et non praetermisso ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus; quod vero liberum arbitrium eligat aliquod divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis*. Hac pollent libertate Deus, beati, et humanitas Christi in iis, in quibus liberi sunt libertate indifferentiae.

Dixi *quandoque*, quoniam fieri potest, ut homo se ipsum ad debitum ultimum finem referre nequeat nisi per unius dumtaxat medii electionem, ut accidit illi, qui ad mortem in odium fidei damnatur. Is sane in ea positus circumstantia nequit aliud eligere medium ad vitam conducens aeternam, praeter martyrium, in quo tamen sustinendo liberrimus est.

CONCLUSIO V.

Indifferentia suspensiva nullimode pertinet ad essentiam libertatis a necessitate.

Prob. Indifferentia suspensiva est suspensio a quovis actu. Talem autem suspensionem in libertate indifferentiae non habere locum, patet. Et 1. quidem quia suspensio, quum oriatur ex ignorantia, propter quam voluntas in objecti electione anceps pendet, boni et mali rationem non apprehendens, maxima imperfectio est. Imperfectio autem locum habere nequit in libertate a necessitate, quae est perfectio. 2. Deus perfectissima gaudet libertate indifferentiae in iis, quae ad extra sunt. Numquid in Deo, qui infinite sapiens est, locum habet suspensio? 3. Homo sub efficaci gratia constitutus liber est vera indifferentiae libertate, nec proinde indifferentiam habet suspensivam: revera enim agit et applicatur ad actum, quum gratia efficax faciat, ut homo actu velit et operetur.

Solvuntur contraria nonnulla argumenta.

Adversus priorem thesim faciunt omnia Lutheranorum ac Calvinistarum argumenta contendentium, veram libertatem consistere in immunitate a coactione, atque hanc ad merendum vel demerendum sufficere, quae a nobis libro praecedente capite postremo soluta sunt.

Obj. itaque 1. cont. 2. prop. Si libertas a necessitate natura sua in-

differentiam ad bonum et malum non exigeret, sequeretur, posse hominem ita bene agendo sibi meritum comparare, etiam si malum agere non posset; quod falsissimum est. Nam I. Eccl. cap. 31. illi meritum adscribitur, cui potestas est agendi bonum et malum: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*. II. Quum Pelagius Augustino objiceret illam Hieronymi sententiam: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est*, S. P. libro de nat. et gr. cap. 65. ita respondet: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat?* Quamobrem juxta Hieronymum et Augustinum si homo necessitaretur ad virtutem, non posset habere coronam; proindeque ad meritum comparandum aequa potestas requiritur ad bonum et malum. III. Atque haec plane fuit Augustini sententia. Nam lib. V. op. imp. num. 61. cont. Julian. scribens inquit: *Non aliter esset virtus in nobis, nisi voluntatem malam sic non haberemus, ut habere possemus*. Cetera similia habet S. doctor, quae praecedente libro legi possunt, ubi libertatis indifferentiae necessitatem ad merendum et demerendum demonstravimus.

Resp. ad 1. Falsa omnino est primae propositionis sequela. Nam humanitas Christi maximum sibi revera comparavit meritum dum nobiscum versaretur in terris, quamvis potentiam non haberet peccandi. Textus autem Ecclesiastici sententiae nostrae minime officit. Non enim nos inficiamur, magnum sibi hominem comparare meritum, qui quum malum agere possit agit bonum. Sed affirmamus, posse bonum agendo mereri, etiam si malum agere nequeat, dummodo ad bonum agendum nulla adigatur necessitate, quod accidit quando ex duobus bonis unum potius eligit quam aliud. Ecclesiasticus ergo loquitur de saeculi hujus divitibus, in quibus est profecto potestas agendi bonum et malum, ut concl. 3. diximus.

Ad 2. dico, Hieronymum, cui subscribit Augustinus, de hominum loqui libertate, qui adhuc sunt in statu viae, quibusque potestatem esse indifferentem ad bonum et malum, nullus catholicus denegaverit. Sed aliud est affirmare, in creaturarum libertate indifferentiam includi contrarietatis, praetermisso ac non servato ordine finis, ob eorum defectibilitatem, quod nos ultro concedimus; aliud vero, ejusmodi indifferentiam necessario ad veram constituendam requiri libertatem, quod negamus ob allatas superius rationes. Ceterum, quid ait denique S. Hieronymus? Si quis necessitate feratur in virtutem, nullam meretur coronam. Et optime quidem. Nam qui necessitate fertur in virtutem, non modo liber non est ad vitium contrarium, sed neque indifferentia pollet exercitii circa eamdem virtutem, quoniam qui necessitatur v. g. ad virginitatem, non habet circa hanc virtutem indifferentiam exercitii, nec potestatem statum amplectendi conjugalem: quam indifferentiam utique haberet, si ita necessitaretur ad bonum, ut malum non posset eligere; eo siquidem in casu vel indifferenter eligeret virginitatem, vel, ea omissa, eligeret conjugalem statum. Quid mirum ergo, si Hieronymus meriti rationem removet ab eo, qui ad virtutem necessitatur? Atque hoc sensu Hieronymo subscribit Augustinus.

Ad 3. S. P. Augustinus laudata in argumento sententia aliisque in testimoniis, ubi similia tradit, verba facit de virtute hominum in statu viae, quam vocat virtutem minorem, et ad quam exercendam cum ratione meriti certissime requirit potestatem peccandi. Sed addit, aliam esse virtutem, quam ipse vocat majorem, per quam sic non habemus malam voluntatem, ut nec habere illam possimus. Neque quis dicat, quod si res ita se haberet, beati virtutes exercendo possent meritum sibi comparare, et daemones peccando demererentur, quod affirmare absurdum est. Nam si nec beati meritum, nec demeritum daemones possunt sibi comparare, provenit id ex quo sunt in termino, in quo nec meritum datur neque demeritum; non quod beati virtutes revera non exerceant, ac daemones revera non peccent, quoniam utrique plenissimam habent libertatem secundum suam germanam essentiam.

Obj. ultimo cont. 3. prop. Humanitas Christi et beati in patria nullam habent peccandi potentiam. Quare falsum est, creaturarum libertatem indifferentiam includere ad bonum et malum.

Resp. Humanitatem Christi atque beatos potentia carere peccandi non naturaliter, sed ratione donorum, quibus sunt adornati. Humanitas enim Christi impeccabilis erat ob unionem hypostaticam, quod est maximum donum; et beati in patria peccare nequeunt eo quod intuitiva fruuntur Dei visione, quae eminentissimum est supernaturale beneficium. Quando autem nos dicimus, omnem creaturam deficere posse, adeoque peccare, de ea loquimur spectata non secundum Dei dona superaddita, sed secundum propriam naturam, quae quum defectibilis sit, est quoque ad malum vertibilis.

CAPUT IV.

Quaeritur quid sit gratia status naturae lapsae, et quomodo in nobis operetur.

His ergo quae ad liberum pertinent arbitrium hoc modo delibatis, de natura gratiae, quae hominibus in statu naturae lapsae necessaria est, deque modo, quo in nobis operari solet, breviter disquirendum est. Quod antequam faciamus, praecipuas theologorum sententias opus est indigitare. Si ergo quaeras a Molinistis, in quo gratiae hujus status natura consistat, et quomodo operetur in nobis, incunctanter respondent, consistere in interna quadam revelatione se tenente ex parte intellectus, quae *objective* tantum et moraliter attrahit voluntatem. Neque enim, inquiunt, auxilium Dei est intrinsece et natura sua efficax. Vel, ut nonnulli clarius inquiunt, gratia consistit in qualitate quadam supernaturali, sine qua non posset voluntas bonum operari, sed quae ab ipsa voluntate ad libitum versatur et determinatur. Nonnulli inter Thomistas gratiae naturam reponunt in actuosa quadam ac supernaturali qualitate, creatae voluntati a Deo impressa, quae non moraliter nec indifferenter, ut Molinianis placet, sed physice ipsam voluntatem moveat ad bonum agendum. Sed non ab omnibus opinio haec pro-

batur Thomistis, et aperte impugnatur a Joanne Gonzalez controv. I. de grat. art. 3. et a Tiphanio Jesuita strenuo scientiae mediae impugnatore et efficacis Dei operationis propugnatore acerrimo. Idem Tiphanius, cl. Estius, et alii post Thomam Bradwardinum gratiae naturam statuunt in Dei voluntate semper invicta. Volunt videlicet, gratiam esse ipsum Deum voluntati praesentem, ac bonum cum libero arbitrio operantem; ita tamen ut prius ordine caussalitatis sit Deus operans, quam liberum arbitrium. Alvarus, Capreolus, Vega, quibus plures e schola nostra subscribunt, tenent, gratiae naturam in motibus consistere indeliberatis intellectus et voluntatis. Omnes denique S. P. Augustini discipuli gratiae naturam reponunt in illustratione intellectus et inspiratione caritatis; affirmantes tamen, magis in caritate, quae in voluntate sit, quam in intellectus consistere illustratione. Ajunt praeterea, tunc gratiam efficacem esse, quando delectatio sive caritas tanta est, ut contrariam superet ac vincat delectationem seu carnalem cupiditatem. Volunt quippe, delectationem seu caritatem suos habere gradus, a quibus gratiae efficaciam vel inefficaciam repetendam esse contendunt. Sed clarius haec explicabimus paullo infra; huic namque sententiae nos absque ulla haesitatione subscribimus. Verum antequam illam argumentis confirmare aggrediamur, nonnulla scitu necessaria arbitror esse praemittenda.

Suppono itaque, rationalem creaturam absque supernaturali Dei adjutorio supernaturalia bona non posse diligere, etiam si creaturam spectemus absque ullo prorsus peccato; idque duplici ex capite. Primo, quoniam quum supernaturalia alterius sint ordinis, intellectus humanus nequit illa naturaliter cognoscere, adeoque nec voluntas amare; nil enim volitum quin praecognitum. Secundo, quoniam rerum supernaturalium ideae non adeo vividae sunt et perspicuae, ut ideae rerum naturalium ac sensibilium: hinc etiam si intellectus a fide illuminatus cognoscat supernaturalia, illius tamen judicium practicum potius pro sensibilibus erit ac naturalibus rebus, quam pro supernaturalibus. His etiam accedit, quod quum supernaturalia bona magnis implexa sint difficultatibus, intellectus rationem mali potius quam boni in illis apprehendet, atque idcirco voluntas magis bonis sensibilibus quam supernaturalibus delectabitur. Hoc sensu S. P. Augustinus lib. II. de peccat. mer. cap. 17. ajebat: *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat.*

Multo magis autem ad sensibilia inclinatur homo, si consideremus illum in statu per peccatum corrupto. Culpa enim originalis et ignorantiam in intellectu et concupiscentiam induxit in voluntate. Ob ignorantiam originalem nescit homo multa etiam ex iis, quae cognosci naturali lumine possent; et ob concupiscentiam tendit voluntas et trahitur ad malum. Ast intellectus in ferendo de rerum bonitate ac malitia judicium regitur a corporis temperie atque ab habitibus animi. Quumque animus concupiscentiae laqueis sit irretitus, intellectus melius esse sibi fingit vitium, quam virtutem. Verbo dicam, intellectus ob ignorantiae, qua laborat, infirmitatem maximam apprehendit in re turpi boni rationem, et voluntas ob concupiscentiam maxime in re sensibili delectatur. Verum donec res hisce limiti-

bus continentur, non adhuc peccatum habetur in anima, quoniam illa voluntatis inclinatio et delectatio ad bonum sensibile ita ab intellectu cognitum est indeliberata ac necessaria. In actibus autem indeliberatis ac necessariis nulla meriti vel demeriti ratio habetur. Quod si voluntas ad sensibile illud bonum, quod magis delectat, amplectendum deliberate determinetur, tunc habetur peccatum.

Ita se habet homo in statu naturae corruptae. Quare ut supernaturaliter operetur ac supernaturalia diligat, indiget proculdubio, ut Deus adjutorium aliquod supernaturalis ordinis eidem conferat, per quod intellectus atque voluntas a contracta per originale peccatum infirmitate sanentur ac roborentur. Quod fit, si gratia ignorantiam ab intellectu, illum illuminando, expellat ad hoc, ut verum bonum agnoscat, et concupiscentiam in voluntate reprimat, illam inflammando, eique erga supernaturale bonum delectationem inspirando. Audiamus Augustinum in lib. II. de peccat. merit. cap. 17. scribentem: *Ut innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates*. Scilicet quum intellectus majorem mali quam boni in supernaturali objecto rationem agnosceret, Deus elargiendo homini gratiam ita intellectum illuminat, ut in eodem objecto deinceps majorem boni quam mali inveniat rationem. Sed ad objectum illud amplectendum hoc non sufficit, quoniam voluntas ab concupiscentiae habitu pressa in contrarium potius sensibile rapitur bonum. Unde necesse est, ut eadem voluntas objecto jam per intellectum sub ratione majoris boni cognito delectetur. Quare S. P. Augustinus in lib. de spir. et litt. cap. 3. scribit: *Cum id quod agendum ... est coeperit non latere, nisi etiam delectet et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur*. Delectatur autem voluntas, quando Deus per gratiam suam amorem ei inspirat et caritatem erga objectum sub majore boni ratione ab intellectu cognitum. Sed adhuc non habetur bonum opus, quia motus voluntatis erga objectum adhuc indeliberatus est ac necessarius. Habebitur vero meritum et opus bonum, si voluntas sensibile bonum rejiciens determinate sistat ac delectetur in vero bono.

Accidit autem quam saepissime, ut dum voluntas a gratia mota et excitata inclinat ad verum bonum, propensio, quam ob concupiscentiam pravosque habitus ad bonum sensibile retinet, tam magna sit, ut bonum verum minus voluntatem delectet quam apparens ac sensibile bonum; atque idcirco quamvis voluntas a gratia et caritate ad bonum verum trahatur, magis tamen assentiatur bono sensibili et apparenti, atque illud omittat et hoc sequatur. Si delectatio a Deo voluntati inspirata contrariam superet delectationem a concupiscentia provenientem, gratia tunc erit efficax; si vero a prava delectatione delectatio vincatur a Deo infusa, gratia erit inefficax, quae a Thomistis appellatur sufficiens. His bene perpensis, sit

CONCLUSIO I.

Caussa efficiens gratiae est ipse Deus nobis intime praesens, et potente sua virtute intellectum illuminans et voluntatem inflammans.

Prob. 1. Scripturis. Psal. XX. legitur: *Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Psal. XXII. *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae*. Psal. LVIII. *Misericordia ejus praeveniet me*. Joan. cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Ad Rom. cap. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. In re tam manifesta superfluum est alia afferre testimonia.

Prob. 2. ex PP. S. Augustinus in lib. de praed. SS. cap. 10. *Promisit Deus*, inquit, *quod ipse facturus fuerat, non quod homines*. Et de dono persev. cap. 13. *Nos ergo volumus; sed Deus in nobis operatur et velle*. Basilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 8. *Gratiam appellat auxilium, quod Deus per imperium suae potentiae operatur in nobis*. Caelestinus R. P. in epist. 2. ad Episcop. Gall. cap. 8. docet, voluntatem nostram praeparari a Domino. S. Thomas III. p. q. 86. art. 2. *Gratia Dei*, inquit, *causat bonitatem in homine grato, quia bona voluntate Dei, quae nomine gratiae intelligitur, est causa omnis boni creati*.

Prob. 3. ratione. Nisi Deus hominis illuminaret intellectum ejusque voluntatem inflammaret, nec intellectus verum cognosceret bonum, nec voluntas in vero bono delectaretur ob rationes paullo supra allatas. Caussa itaque efficiens gratiae est Deus ipse nobis intime praesens.

CONCLUSIO II.

Natura gratiae consistit in illuminatione intellectus et inflammatione voluntatis, sive in actibus indeliberatis intellectus et voluntatis.

Prob. prior thesis pars I. ex Scripturis. Apostolus ad Ephes. cap. 5. *Surge*, inquit, *et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus*. Et rursus: *Eratis aliquando tenebrae; nunc autem lux in Domino*, hoc est, ut ejusdem ep. cap. 2. loquitur: *Eratis illo in tempore sine Christo* etc. Joannes cap. 1. de Deo inquit, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; quae verba de gratia intelliguntur a compluribus. II. Ex PP. Augustinus in psal. LXII. ad illa Apostoli verba supra laudata alludens: *Surge etc.* inquit: *Apostolus ... excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur a Christo. Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux tua, quae te de te somno excitaret. Illuminat enim animas Christus, et facit eas vigilare*. Ab aliorum PP. recitandis testimoniis abstineo, quoniam omnes passim gratiam appellant

lucem. III. Ex ratione. Nequit homo operari bonum, nisi intellectus illud cognoscat; voluntas enim non fertur in incognitum. Ast intellectus rationem boni in objecto non cognoscit nisi per gratiam; quum supernaturale bonum lateat intellectum, et quia alterius est ordinis, et quia post originale peccatum ob ignorantiam est obtenebratus.

Prob. alt. prop. pars I. Scripturis, in quibus gratia quam saepissime dicitur *caritas*, *suavitas*, *benedictio dulcedinis*, *cordis inclinatio*, *cor novum*, *inspiratio*, ut ex textibus infra recitandis apparebit. Quae phrases satis superque significant, gratiam in inflammatione consistere voluntatis. II. Ex S. P. Augustino, cujus unicum sufficiat recitare testimonium ex lib. de grat. Christi cap. 6. depromptum, ubi haec adversus Pelagium scribit: *Quia si sic vult homo, tamen Deus voluntati ejus ardorem dilectionis inspirat*. III. Ex ratione. Voluntas quippe ab originali sauciata peccato, concupiscentiam, quae ex peccato estet ad peccatum inclinat, contraxit: unde si bonum agit per gratiam, ita ab ea debet inflammari, ut in objecto majorem boni quam mali inveniat rationem.

Prob. modo thesis quoad utramque partem simul. S. P. Augustinus lib. II. de peccat. mer. cap. 17. scribit: *Ut innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates*. Et cap. 19. gratiam appellat *lucem, qua illuminentur tenebrae, et suavitatem, qua det fructum suum terra nostra*. Et in lib. de gr. Christi cap. 35. vocat gratiam *inspirationem flagrantissimae et luminosissimae caritatis*. Ac demum in lib. IV. ad Bonif. cap. 5. definit gratiam hoc modo: *Gratia est inspiratio sanctae dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*. Caelestinus R. P. in ep. ad Episc. Gall. cap. 8. *Praeparatur*, inquit, *voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium*. Concilium Milevitanum can. 4. ait: *Utrumque Dei donum est, scire quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus. Nam sicut de Deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam; ita etiam scriptum est: Caritas ex Deo est*. Etiam Tridentina synodus sess. VI. docet, gratiam in nobis operari, tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem. Ex quibus omnibus liquet, gratiam revera consistere in illuminatione intellectus et voluntatis inflammatione. Qui duo tamen intellectus ac voluntatis actus dicuntur indeliberati, quoniam in illis recipiendis nullam hominis animus habet partem, quum dare gratiam a Dei nutu dependeat. Tunc autem homo, accepta gratia, deliberate agere incipit, quando intellectus illuminatus et inflammata voluntas actu operantur.

CONCLUSIO III.

Quamvis gratia sit illustratio intellectus, et voluntatis delectatio, magis tamen in delectatione quam in illustratione illius natura consistit.

Prob. ex inconcussis S. P. Augustini principiis. I. Illius naturae gra-

tia ad bonum agendum admittenda est, quam aperte negabat Pelagius. Hic porro quamvis gratiam admitteret consistentem in mentis illustratione, negabat tamen illam, quae in sancta delectatione consistit. Nam S. P. Augustinus in lib. de gr. Chr. cap. 6. Pelagii doctrinam circa gratiae naturam expendens, haec refert haeretici verba: *Ergo in voluntate et opere bono laus hominis est ... imo et hominis et Dei*; aitque, his non obstantibus, Pelagium haereticum esse; quoniam dicens, meritum hominis esse ex Deo, intelligit Deum adjuvantem possibilitatem per legem atque doctrinam, non per inspirationem dilectionis: *Ait ipsam possibilitatem ... ut scilicet in voluntate et actione non ideo laus sit et Dei et hominis, quia sic vult homo, ut tamen Deus voluntati ejus ardorem dilectionis inspiret, et sic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur ... sed ideo ad hanc laudem adjunxit et Deum, quia nisi natura esset, in qua nos condidit, qua velle et agere possemus, nec vellemus, nec ageremus*. II. Ut bonum fiat opus, scire non sufficit, ut quid agendum sit sciamus, sed necesse est praeterea, ut voluntas revera operetur. Per Augustinum autem, ut voluntas revera operetur, necesse est, ut Spiritus Sanctus suam subministret caritatem. Ejusdem namque libri cap. 9. Pelagii systema refellens scribit: *Quid est, quod iste legem atque doctrinam deputat gratiam, qua juvamur ad operandam justitiam, quae ut multum adjuvet, ad hoc adjuvat, ut gratia requiratur? Nemo enim potest legem implere per legem. Plenitudo enim legis caritas. Caritas autem Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum S. qui datus est nobis. Proinde per legem gratia demonstratur, ut lex per gratiam compleatur.* III. Quamvis homo magnitudinem habeat revelationum sublimitatemque scientiae, si tamen caritate careat, opus bonum nunquam perficiet. *Quid autem dicam*, scribit citato libro cap. 11. Augustinus, *de revelatione sapientiae? Neque enim facile quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum apostoli Pauli ... Et tamen dicit: In magnitudine revelationum mearum ne extollar* etc. *Proculdubio si jam summa, et cui nihil esset addendum, caritas in Apostolo tunc fuisset, quae omnino non posset inflari, numquid necessarius esset angelus satanae, quo colaphizante reprimeretur elatio, quae in magnitudine revelationum posset existere? ... Et utique de caritate verissime dictum est: Caritas non aemulatur, non inflatur. Haec itaque caritas adhuc etiam in tanto Apostolo de die in diem profecto augebatur ... Tunc autem mens ejus adhuc erat ubi inflaretur magnitudine revelationis, donec impleretur solido aedificio caritatis*. IV. Idem S. doctor laudato saepe de grat. Chr. lib. cap. 26. disertissime tradit, scientiam et caritatem esse discernendas, caritatisque donum esse proprie dictam gratiam, sine qua nihil fieri possit boni. Atque haec disputat adversus Pelagium contendentem, consistere gratiam in mentis illuminatione. Caritas ergo seu dilectio gratiae constituit naturam. Sic autem inquit: *Cognitionem et dilectionem, sicut sunt discernenda*, (Pelagius) *discernat*; *quia scientia inflat, caritas aedificat. Et tunc scientia non inflat, quando caritas aedificat. Et cum*

sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus etc. Et infra: *Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum opus bonum imputatur, nec recte bonum opus vocatur; quia omne, quod non est ex fide, peccatum est, et fides per dilectionem operatur. Ac per hoc gratiam Dei, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* V. Idem Augustinus ibid. cap. 35. eo tantum nomine Pelagium haeresis accusat, quod gratiam in lege atque doctrina constituens, non *credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturae atque doctrinae per inspirationem flagrantissimae et luminosissimae caritatis*. Dubitari ergo non potest, quin juxta Augustini principia essentia gratiae in delectatione magis et caritate, quam in mentis illustratione consistat.

SCHOLION.

Ne theologi a nostra sententia alieni similitudines verborum contra nos adhibeant, animadverto, quod nomine caritatis, dilectionis, et delectationis, prout exprimit gratiae naturam, non intelligunt Augustini discipuli tertiam theologicam virtutem, sed *boni cupiditatem*. Idque affirmant magno Augustino duce, qui in Psal. LXVII. fidei initium adscribit gratiae, ac fide priorem docet esse dilectionem inquiens: *Ea sola bona opera dicenda sunt, quae fiunt per dilectionem Dei. Haec autem necesse est antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa; quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi prius credat in Deum.* Ex quibus apparet, caritatis ac dilectionis nomine, quo actualem significat gratiam, non intelligere tertiam theologicam virtutem; alioquin posset quis hanc habere virtutem ante fidem. Intelligit ergo S. doctor dilectionis caritatisque nomine in locis a nobis laudatis *boni cupiditatem*. Unde in lib. II. ad Bonif. cap. 8. de gratia loquens praeveniente scribit: *Loquimur enim de boni cupiditate, quam si volunt a nobis incipere, a Domino perfici, videant, quid respondeant dicenti Apostolo: Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis etc.* Et cap. 9. subdit: *Et quid hic aptius intelligitur* (explicat illa verba psalmistae: Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis) *quam ipsa, de qua loquimur, cupiditas boni?*

CONCLUSIO IV.

Gratia habet gradus suos et potest esse major vel minor.

Thesis haec est contra Thomistas affirmantes, gratiam sufficientem specie differre a gratia efficaci. Prob. autem 1. M. Augustini auctoritate. I. Gratia haberet gradus suos, ac modo minor esset, modo major, si homo per

eamdem gratiam non solum ex malo fieret bonus, sed fieret deinde magis bonus, et rursus perfecte bonus evaderet. Rem autem ita se habere, docet Augustinus, qui in lib. de gr. et lib. arb. cap. 15. tradit, quod *in nobis voluntas libera non semper est bona.... Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit, ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuerat voluntatis malae. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quae jam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quae voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* II. Si gratia sufficiens specie ab efficaci differret, dicendum foret, diversam gratiam recipere a Deo illum, qui potest operari, ac illum, qui actu operatur. Docet autem Augustinus, per unam eamdemque gratiam recipere hominem potentiam agendi et actionem. Inquit enim citato libro cap. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, et non potest* (potentia proxima), *jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit et robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est, magna caritate fecerunt: de qua caritate ipse Dominus ait: Majorem hac caritate nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.* III. Eodem modo se habet caritas et gratia, quo se habet bonum opus, quod per gratiam fieri debet. Porro bonum opus suos utique habet gradus, dicente Augustino serm. CLIX. de verb. Ap. *Amanda est justitia; et in justitia amanda gradus sunt proficientium. Prius est, ut amori justitiae non praeponantur omnia, quae delectant. Ipse est primus gradus. Quid est, quod dixi? Ut inter omnia, quae delectant, plus te delectet ipsa justitia; non ut alia non delectent, sed plus ipsa delectet.*

Prob. 2. exemplo conversionis ejusdem S. P. Augustini, prout ab ipso describitur. 1. Narrat in lib. conf. VI. cap. 6. Deum inspirasse ei gratiam, per quam minus jucundas terrenas experiebatur delectationes. *Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu.* 2. Crevit paullo amplius in eo caritatis delectatio, atque conscientiae stimulis coepit agitari. Unde lib. VII. cap. 8. inquit: *Placuit in conspectu tuo reformare deformia mea; et stimulis internis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorem aspectum certus esses.* 3. Ardenter supernaturalia bona desiderare coepit, a quibus tamen per terrenam cupiditatem adhuc in eo robustam retrahebatur. Subdit enim cap. ejusd. lib. 17. *Et non instabam frui Deo meo, sed rapiebar a te decore tuo; moxque deripiebar abs te pondere meo, et ruebam in ista cum gemitu: et pondus hoc consuetudo carnalis.* 4. Voluntas bona a gratia recepta robustior evasit, et acriter cum voluntate terrena pugnare coepit; unde colluctatio quaedam in anima ejus accidit, ut ipse narrat in lib. VIII. cap. 5. his verbis: *Duae voluntates meae, una vetus, alia nova, illa carnalis, ista spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.* 5. Adeo robustior deinceps per uberiorem gratiam spiritualis ejus voluntas evasit, ut contrariam vinceret voluntatem carnalia concupiscentem. Hinc ab antiquis sce-

leribus abstinebat. Testatur hoc ipse cap. ejusd. libri 11. *Instabas tu in occultis meis, Domine, severa misericordia, flagella ingeminans timoris et pudoris, ne rursus cessarem, et non abrumperetur id ipsum exiguum et tenue, quod remanserat, et revalesceret iterum, et me robustius alligaret*. 6. Denique caritatis flammae adeo in ejus corde creverunt, ut abhorreret deinceps ab omnibus pravis terrenisque cupiditatibus, totusque Deo serviret, ut refert lib. VIII. cap. 12. *Convertisti enim me ad te, ut nec uxorem quaererem, nec aliquam spem saeculi hujus, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei* (nempe Monicae) *revelaveras*. Gratia Dei hac in corde Augustini operata est oeconomia; ex qua apparet, eamdem gratiam suos habere gradus, et modo minorem esse, modo majorem. Numquid non fit in aliis, quod factum est in Augustino?

Prob. 3. theol. ratione. Gratiae natura consistit in mentis illustratione et in inflammatione voluntatis; et magis in hac quam in illa est gratiae natura reponenda, ut ex superius demonstratis apparet. Ast vero caecitas mentis et voluntatis concupiscentia suos habent gradus, ac modo majores sunt, modo minores. Quare gratia, quae gradus illos vincere debet, et ipsa per gradus debet in homine operari. Deinde gratia salvatoris medicina est, quae datur ad animae sanandam infirmitatem. Quum autem infirmitas animae suos habeat gradus, majorem videlicet vel minorem cupiditatem, etiam medicinalis gratia suos habere debet gradus. Demum quis negaverit uberiorem dari martyri quam homini, qui a levi percellitur tentatione, divinam gratiam? Negari ergo gradualitas gratiae non potest.

CONCLUSIO V.

Physica efficacis gratiae natura consistit in victrice delectatione, quae contrariam superet cupiditatem.

Prob. 1. ex sacris Litteris. I. Psal. LXXXIV. legitur: *Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum*. Psalmistam loqui hoc in loco de gratia efficaci patet ex quo dicat: *Terra dabit fructum suum*. Terra vero tunc dat fructum suum, hoc est, homo tunc bonum actu operatur, quando dat Dominus benignitatem, cordis scilicet suavitatem ac delectationem, ut docet Augustinus lib. II. de peccat. mer. cap. 17. explicans allata verba: *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ... ut sciat, quam vere non de terra ista, sed spiritaliter dictum sit: Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus, summum atque incommutabile bonum ... Ut autem diligatur Deus, caritas ejus diffusa est in cordibus nostris etc.* II. Psal. CXVIII. habetur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Ezechiel. cap. 36. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis*

cor carneum ... et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. Loqui hic Scripturam de gratia efficaci, verba ipsa satis declarant. Quid est autem dilatare cor ad currendam viam, nisi delectationem inspirare, quae contrariam vincat cupiditatem? Auferre autem cor lapideum et cor novum dare, nil aliud plane est, quam inspirare caritatem, quae concupiscentiam superando cordis etiam duritiam frangat et superet. Unde ait Augustinus lib. de gr. et lib. arb. cap. 14. *Nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre, non diceret per prophetam: Auferam ab eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum.* Et rursus. *Sed quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari?* Ac denique: *Cor lapideum non significat, nisi durissimam voluntatem, et adversus Deum omnino inflexibilem. Ubi enim praecedit bona voluntas, jam non est utique cor lapideum.* III. Christus Joan. cap. 6. inquit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quae sic explicantur ab Augustino tract. XXVI. in Joan. *Nolite cogitare invitum trahi: trahitur animus et amore ... Ego dico, parum est voluntate, etiam voluptate traheris ... Porro si poetae dicere licuit: Trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est?... Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam. Nuces puero demonstrantur, et trahitur: et quo currit trahitur, amando trahitur, sine laesione trahitur corporis, cordis vinculo trahitur ... Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo.*

Prob. 2. luculentissimis aliis Augustini testimoniis. In lib. II. ad Bonif. cap. 9. ait: *Tunc bonum concupisci incipit, quando dulcescere coeperit .. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei .. in qua, si nos non praeveniat Deus, non solum non perficitur* bonum, *sed nec inchoatur ex nobis.* In lib. de corr. et gr. cap. 11. de gratiae loquens efficacia in hoc infirmitatis statu necessaria inquit: *Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntas spiritus vincat.* In lib. de spir. et litt. cap. 29. scribit: *Inspirata gratiae suavitate per Spiritum S. facit* (Deus) *plus delectare quod praecipit, quam delectet, quod impedit.* Et cap. 35. subdit: *Fieret, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantae rei. Esset autem tanta, si et nihil eorum, quae pertinent ad justitiam, nos lateret, et ea sic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis dolorisve impedit, delectatio illa superaret.* Et cap. 3. ejusd. lib. jam scripserat: *Dicimus humanam voluntatem sic adjuvari, ut accipiat Spiritum S., quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni.*

Prob. 3. ratione. Naturalis motus, quo humana voluntas operatur, nihil aliud est, quam ut in ea feratur, quae ipsam magis delectant. Nam delectatio, ut in superioribus animadvertimus, est pondus animae, quo voluntas fertur quocumque fertur. Dum ergo anima per efficacem gratiam

malum vincendo bonum operatur, in bonum ipsum fertur amando. Hinc Augustinus in ep. ad Gal. inquit: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. Praeterea ratio, cur homo prolabitur in peccata, est, quia mala cupiditas seu prava delectatio ad malum illum allicit. *Nam quidquid est peccatorum*, inquit S. P. serm. CLV. de verb. Ap. cap. 1., *in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur, nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur, nisi ex illicita delectatione*. E contra itaque quidquid boni est ad aeternam vitam conducens, non exoritur nisi ex bona et licita delectatione, quae contrariam vincat cupiditatem.

COROLLARIUM.

Ex hactenus disputatis sequitur I. eamdem gratiam posse in uno esse efficacem, in altero inefficacem. Sint enim duo, quorum unus ex premente concupiscentia pravisque acquisitis habitibus inclinationem habeat ad malum ut quatuor; alter vero, qui ex majore concupiscentiae vi atque ex turpioribus habitibus ad malum inclinet ut sex. Si Deus inspiret utrique delectationem ad bonum ut quinque, delectatio haec in primo contrariam superabit cupiditatem, eritque gratia efficax; in altero pravam cupiditatem non superabit, et gratia erit inefficax. Immo fieri quandoque potest, ut major gratia inefficax sit in uno, et minor gratia in altero sit efficax. Delectatio enim v. g. ut quinque efficax erit respectu hominis ad malum inclinati ut quatuor; et delectatio ut sex inefficax erit homini ad malum inclinato ut septem. II. Consequitur etiam, gratiam hujus status aliquem semper producere effectum. Quum enim per gratiam Deus illuminet intellectum, menti imprimitur idea boni, bonumque necessario ab intellectu cognoscitur. Similiter, quum per gratiam ac sanctam delectationem voluntas inflammetur, recipit motum ad bonum, illudque necessario amat. Quoniam vero duo hi intellectus ac voluntatis actus indeliberati sunt et necessarii, in illis eliciendis nullum sibi comparat homo meritum. Interim tamen respectu illorum actuum gratia revera efficax est, sicque gratia aliquem semper producit effectum. Si vero voluntas deliberate amplectitur malum, ad quod inclinat, vincitur tunc gratia a prava cupiditate, et respectu operis, ad quod datur, delectatio illa est inefficax. Quod si homo a delectatione inspiratus bonum incipiat, sed victus a cupiditate illud non perficiat, gratia efficax erit comparate ad initium operis, inefficax autem relate ad perfectionem.

CAPUT V.

Ab Adversariorum objectamentis vindicat traditam superiore capite doctrinam.

Obj. 1. cont. 2. prop. In eo gratiae natura reponi debet, quod fit in nobis sine nobis, scribente M. Augustino in lib. de gr. et lib. arb. cap. 17. *Ut velimus, Deus sine nobis operatur*. Ast mentis illuminatio et in-

flammatio voluntatis fieri nequeunt in nobis sine nobis. Quare constituere non possunt naturam gratiae. II. Neque reponere juvat, diversimode loquendum esse de gratia spectata ex parte Dei, et de eadem gratia ex parte nostri considerata. Nam etiam ex parte nostra spectata esse debet aliquid illustrationem mentis et voluntatis praecedens inflammationem. Nam actus illi indeliberati intellectus et voluntatis sunt vel naturales vel supernaturales. Si primum, nequeunt gratiae naturam constituere, quum gratia donum sit supernaturale. Si alterum, debent a gratia praecedi, quia sine gratia nullus datur supernaturalis actus. III. Accedit his, quod duo illi memorati actus duae sunt vitales animae actiones. Ast vitales illae actiones nonne praecedi debent a gratia? Proculdubio; quoniam in sacris litteris gratia appellatur *vocatio*, *inspiratio*, *illuminatio*, quae voces vim significant illuminandi et accendendi.

Resp. ad 1. Alia est gratia creata, quae se tenet ex parte nostra; alia increata, quae se tenet ex parte Dei. Haec sane utique datur sine nobis, quoniam gratiae caussa efficiens, ut demonstravimus, est Deus. Eadem vero gratia considerata ex parte nostra fit profecto in nobis nobiscum. Unde post allata in argumento verba subdit Augustinus: *Cum autem volumus et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur*. Praeterea quando dicitur cum Augustino, gratiam esse id quod fit in nobis sine nobis, non sic intelligi debet, quasi nullam in ea partem habeamus, sed quod fiat in nobis absque praecedentibus meritis nostris, contra quam Pelagiani sentirent. Hinc paullo ante dixerat: *Et quis istam, etsi parvam, dare coeperat caritatem, nisi ille, qui praeparat voluntatem?*

Ad 2. Actus illi intellectus et voluntatis non naturales sunt, sed supernaturales, ac proinde praeveniri debent a gratia; sed a gratia increata, hoc est, ab ipso Deo tanquam a caussa illorum actuum efficiente, non a gratia creata, quae inspecta ex parte nostra est principium cujusque boni supernaturalis, statim ac voluntas agere incipit per illam deliberate.

Ad 3. Illuminatio et inflammatio, si ex parte nostra considerentur, sunt utique duae vitales actiones, quoniam sunt homini intrinsecae. Ast iidem duo actus indeliberati, si spectentur ex parte Dei, non sunt actiones vitales, sed sunt veritas et caritas; quae duo tanquam specialissima dona intellectui hominis communicantur et voluntati.

Obj. 2. adv. 3. thes. I. Gratiae naturam reponere in delectatione magis quam in illustratione, est illam constituere in caritate. Ast nequit gratiae natura in caritate reponi, quum ad caritatem habendam requiratur gratia; est quippe caritas opus bonum ac tertia theologica virtus. II. Et sane, quovis modo spectetur caritas, semper praeveniri debet a gratia; quoniam quovis modo spectetur, est semper bona voluntas, quae gratiam supponit. III. Praeterea praecipuum argumentum ad suadendum, gratiae naturam consistere in delectatione, desumptum est ex S. Augustini auctoritate. Ast Augustinus in singulis a nobis superius allatis locis non de actuali, sed de habituali loquitur gratia, cujus naturam in caritate et delectatione consistere

docet. IV. Aut ad summum loquitur Augustinus de gratiae actualis effectibus, quorum praecipuus est proculdubio caritas.

Resp. ad 1. In scholio 3. propositionis argumentum hoc jam praeoccupavimus. Unde relege, quae ibi observavimus.

Ad 2. Caritas est bona voluntas; sed aliquando deliberata, aliquando vero indeliberata, non semper deliberata. Si sit deliberata, praeveniri proculdubio debet a gratia, et quidem creata, in sensu superius exposito. Ast si sit indeliberata, satis est ut a gratia praeveniatur increata. Atque hoc sensu optime inquit Estius 2. p. dist. 26. §. 5. *Caritas, qua Deus diligit nos, praevenit caritatem, qua nos eum vicissim diligimus*.

Ad 3. Loquitur S. P. Augustinus in locis a nobis laudatis et alibi passim non de habituali, sed de actuali gratia, quoniam de natura gratiae disputat adversus Pelagianos. Hi autem non habitualem, sed actualem gratiam negabant necessariam esse ad bene operandum: adeoque constituens illius naturam in caritate et sancta delectatione, in hac reponit naturam gratiae actualis. Ad trutinam revoca Augustini testimonia.

Ad 4. S. Pater de ea loquitur caritate et delectatione, quae facit ut bonum velimus ac bonum operemur. Ast vero talis caritas et delectatio non est gratiae effectus, sed gratia ipsa, ut per se patet.

Obj. 4. cont. 4. prop. Gratia olim collata Magdalenae in civitate peccatrici, Matthaeo ad telonium sedenti, Paulo persequenti christianos, operata certe non est per gradus. Falsum est ergo, gratiam habere gradus suos.

Resp. Falsum est, gratiam Magdalenae, Matthaeo, Paulo collatam, absolute operatam non fuisse per gradus, quamvis fateamur, operatam non fuisse per gradus, ut in Augustino factum est, et communiter accidere solet. Aliquando enim Deo, ad ostendendam beneplaciti sui potestatem, gradationis seriem omittere placet, et hominem ex magno peccatore magnum statim facere sanctum, ut factum est cum Magdalena, Matthaeo, Paulo, nonnullisque aliis. Sed de lege ordinaria eam Deus servare solet oeconomiam, quam in Augustini tenuit conversione. Ceterum, etiam in Magdalena, Matthaeo, ac Paulo gratia per gradus operata est. Nam gratia illis a Deo collata tot caritatis sanctaeque delectationis habebat gradus, quot necessarii erant ad superandam in illis contrariam cupiditatem. Quo sensu ait Augustinus, *Deum movere illum tantum, illum non tantum, secundum secretae aequitatis rationem et excellentiam suae potestatis*.

Obj. 5. cont. 5. thes. I. Gratiae naturam locare in sancta delectatione habente gradus suos, quae si contrariam vincat cupiditatem, sit efficax, inefficax vero, si vincatur, dogma est nuper invectum a Jansenio; atque idcirco vel hoc solo nomine a sana theologia est illa sententia explodenda. II. Praesertim quum viri doctissimi animadverterint, victricem delectationem relativam scaturiginem esse quinque propositionum, quas in Jansenio Ecclesia damnavit. III. Sin minus, ex hac nostra doctrina consequitur, non dari in statu naturae lapsae gratiam sufficientem ab efficaci distinctam, quod in secunda Jansenii propositione damnatum est. Nam si gratiae natura in sancta delectatione relativa constituatur, ubi sancta delectatio est, ibi erit

et gratia. Quumque sancta delectatio semper effectum suum producat, omnis gratia efficax erit.

Resp. ad 1. et 2. Si allatum argumentum valeret, consequens fieret, admittendam non esse Trinitatem personarum, non Incarnationem, non originale peccatum, quoniam admittuntur haec a Jansenio, et, quod pejus est, a Luthero atque Calvino. Deinde testimonia bene multa, quae capite superiore recitavimus, satis ostendunt, nos doctrinam hanc ex sacris scripturis ab Augustino explicatis, non a Jansenio mutuo accepisse. Si victrix delectatio fons est et origo quinque Jansenii propositionum, quid est, quod Ecclesia quinque illas propositiones proscribens, intactam reliquit victricem delectationem? Fons ergo illarum propositionum est delectatio non victrix, sed necessitans. Posita enim delectatione terrestri, quae necessario trahat voluntatem ad malum agendum, sequitur, divina mandata esse nonnullis impossibilia. Et admissa delectatione caelesti, quae voluntatem ad bonum necessitet, sequitur, interiori gratiae non posse resisti etc.

Ad 3. Non sequitur ex nostra sententia, non dari gratiam sufficientem ab efficaci contradistinctam. Nam sancta illa delectatio, quum saepissime majores inveniat in anima cupiditatis gradus, quibus vincitur et obruitur, suum non producit effectum, ad quem data est: et haec est gratia inefficax sive sufficiens. Nec officit, quod aliquem semper producat effectum. Nam comparate ad effectum illum, quem reapse producit, est utique efficax; sed in se absolute, et relate ad effectum, ad quem ordinatur, in sua remanet sufficientia, et merito inefficax a nobis appellatur. Non incidit ergo nostra sententia in damnatos errores. Hoc modo etiam doctissimi inter Thomistas gratiae sufficientis vim exponunt; nec proinde cum damnatis ab Ecclesia propositionibus conveniunt. Ita enim scribit Alvarez lib. VIII. de auxiliis disput. 8. num. 2. *Omne auxilium sufficiens comparatione unius actus, semper est efficax respectu alterius, ad quem efficiendum decreto absoluto divinae voluntatis destinatur: v. g. auxilium sufficiens ad actum fidei efficaciter producit in homine pias cogitationes et notitias credendorum, vel pia desideria habendi fidem, et alios hujusmodi actus imperfectos, qui regulariter loquendo antecedunt assensum fidei.* Et num. 5. sequente subdit: *Auxilium actuale dicitur efficax comparatione effectus, sive actus imperfecti, quem producit; et sufficiens comparatione actus perfecti, quem potest producere, et ad quem ultimate ordinatur.* Hoc idem et nos de sancta affirmamus delectatione. Et ne quis suspicetur, sanctam delectationem inefficacem in nostra sententia frustraneam esse, tres illi nos tribuimus proprietates. 1. Etsi completum atque perfectum actum non producat, ad illum tamen natura sua ordinatur, ad illum excitat, et, nisi contraria cupiditas obsisteret, illum perficeret. Est namque mentis illustratio, ut in objecto boni cognoscat rationem, estque voluntatis inflammatio, ut in eodem objecto delectetur. 2. Ob eamdem caussam veram tribuit homini potestatem ad illud agendum bonum, propter quod a Deo datur; non quidem proximam ac expeditam, sed remotam, quum contraria concupiscentia impediat effectum. Atque hoc sensu appellant eam Thomistae gratiam

sufficientem, quoniam in genere potentiae sufficit. 3. Si parva illa delectatio nil aliud in anima producat nisi indeliberatos actus, sola lubentia voluntatem ab bonum trahentes, homo, qui ab ea dominatur delectatione, nullum sibi comparat meritum, ad quod deliberata voluntas et libertas requiritur indifferentiae. Haec est nostra de inefficaci et sufficiente gratia sententia. Num haec eadem docuerit Jansenius, nostra non refert, quum propositum nostrum non sit, mentem rimari privati theologi, qualis erat Jansenius. Hoc unum scimus, quod si haec Yprensis episcopi doctrina fuisset, secunda illius propositio non fuisset ab Ecclesia proscripta.

Obj. 6. adv. eamd. 5. prop. I. Ratio, cur gratiae efficacis natura in sancta constituitur victrice delectatione relativa, est, quia sancta delectatio principium est bonorum operum. Verum falsum hoc penitus est, aut saltem non sola caelestis delectatio, sed etiam timor est principium bonorum operum. Ait quippe Scriptura: *Initium sapientiae timor Domini*. Quod idem tradit quoque Tridentinum concilium sess. VI., et docet Augustinus innumeris in locis. Non videtur ergo gratiae natura statuenda in caelesti delectatione. II. Datur aliquando in homine caelestis delectatio superior, quae suum non producit effectum. Ajebat enim S. Pater in lib. VIII. conf. cap. 8. *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat*. Est itaque falsa Augustinensium doctrina gratiae statuens efficaciam in superiore sancta delectatione. III. Et revera, gratia quaevis sive magna sive parva quamlibet vincere potest concupiscentiam, dicente S. Thoma 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, et mereri vitam aeternam*. Ut igitur gratia sit efficax, opus non est ut gradus vincat et superet contrariae cupiditatis.

Resp. ad 1. Et amor et timor principium sunt bonorum operum: sed cum hoc discrimine, quod amor nullum aliud praeter Deum agnoscat principium; timor autem aliud principium agnoscat, a quo proficiscitur, videlicet gratiam. Et en quomodo se res habet. Deus caussa rerum omnium efficiens inspirat homini gratiam ut timeat divinam justitiam nos punientem gehenna. Homo accepto per gratiam timore incipit bene operari, abstinere a peccato, ac Deum amore deliberato super omnia diligere: quae caritas erga Deum adeo augetur et crescit, ut tandem caritas foras expellat timorem, sicque ad justificationem perveniatur. Hunc esse modum, quo homo ad Deum convertitur, docet etiam Tridentinum concilium. Interim habemus hic 1. caussam ac principium timoris esse gratiam, adeoque sanctam delectationem; neque enim timor Domini sine aliqua caritate excitatur, scribente Augustino Q. XXXVI. inter 83. *Minuendae cupiditatis initium est, Deum timere; qui solus timeri sine amore non potest*. Et jure quidem. Nam quando Deus amorem erga aeterna bona nobis inspirat, non possumus aeterna mala non timere. Si amorem inspirat erga justitiam, statim timemus peccatum: atque ita gratia seu caritas est caussa timoris. 2. Timor bona generat opera, immo et ipsam caritatem. Timor videlicet, quem comitatur gratia, caritatem producit deliberatam erga Deum: hoc enim est inter caritatem caussam timoris, et caritatem timoris effectum discrimen; quod illa indeli-

berata, haec autem sit deliberata. Quo sensu ait S. P. Augustinus in psal. CXXVII. *Incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus*. 3. Demum caritas illa erga Deum deliberata, si augeatur, foras pellit timorem, juxta illud Augustini tract. IX. in ep. Joann. *Timor quasi locum praeparat caritati. Cum autem coeperit habitare, pellitur timor, qui ei praeparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit*. Itaque caritas indeliberata producit timorem; timor caritatem deliberatam et perfectam; hoc pacto, etiam si timor principium sit bonorum operum, immo et ipsius caritatis, ipse tamen a caritate seu caelesti delectatione descendit; adeoque gratiae natura reponi in eo non potest.

Ad 2. Ut mentem intelligamus Augustini in allato in argumento testimonio, observandum est, eo in capite S. doctorem comparationem instituere inter animum imperantem corporis membris, eumdemque animum imperantem sibi. Quid est, ait, quod si animns leviter evellere velit capillum, percutere frontem, consertis digitis genua amplexari, corpus statim obtemperat? (Hoc enim expertus ipse fuerat ante conversionem, plures faciens ex narratis actibus.) Et deinde si animus imperet sibi ipsi ut bonum diligat, quod certe majore appetit voluntate, quam capillos vellere aliaque hujus generis facere, ipse sibi non obtemperat? *Unde hoc monstrum?* inquit cap. 9. *Imperat animus, ut velit, qui non imperaret, nisi vellet, et non fit quod imperat*. Quare per illa Augustini verba: *Amplius mihi placebat*, non intelligitur, magis ei placuisse agere bonum quam malum. Minime. Sed intelligitur, magis illi placuisse bonum, quam evellere capillos, percutere frontem, aliaque facere similia. Unde verborum sensus est: Incomparabili affectu amplius mihi placebat agere bonum, et Deum veram pulchritudinem amare, quam percutere pectus, capillos evellere etc.; et nihilominus facile haec a me facta sunt, non illa quidem. Ceterum cap. sequente rationem afferens, cur corpus in enarratis actibus animo facile obtemperaret, et animus sibi ipsi jubenti non item, sententiam nostram confirmat scribens, id evenisse ex quo delectatio non esset superior et victrix. Postquam enim dixerat: *Unde hoc monstrum? Imperat animus, ut velit, qui non imperaret, nisi vellet, et non fit, quod imperat*, subdit: *Sed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat... Non igitur monstrum partim velle, partim nolle; sed aegritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine praegravatus. Et ideo duae sunt voluntates, quia una earum tota non est, et hoc adest alteri, quod deest alteri*. Quare adversarii huic uni testimonio non possunt inniti, quasi sententiae nostrae adversetur Augustinus, cujus innumera nobis faventia excerpta in superioribus dedimus.

Ad 3. Minima gratia habitualis et sanctificans resistere plane potest cuilibet concupiscentiae; sed non gratia actualis, de qua loquimur, nisi potentia remota. Et S. Thomas, cujus est dictum illud, de gratia reapse loquitur habituali; tum quia disputat de gratia conferri solita a veteribus Sacramentis; tum quia de gratia loquitur, per quam vitam aeternam promeremur, quae habitualis profecto est. Gratia vero habitualis potis utique est

cuilibet resistere concupiscentiae, dummodo comitem habeat actualem; quippe quod homo ea gratia exornatus justus est, amicus Dei, atque jus habet ad haereditatem. Quod si quis contendere pugnaciter vellet, B. Thomam indefinite loqui, proindeque loqui de gratia etiam actuali, respondendum erit, potentiae nomine Angelicum doctorem intelligere potentiam remotam, non proximam et expeditam; quod verissimum est. Nam homo minima actuali gratia munitus potest quamlibet vincere cupiditatem. Sed huic nequaquam resistet, nisi gratia illos acquirat gradus, per quos concupiscentia superatur.

SCHOLION I.

Ut clarius gratiae naturam exponamus, inquirendum modo est, an gratia bonum causset opus physice, vel tantum moraliter. Non desunt theologi, qui, admissa etiam gratiae natura in superiore delectatione, volunt, eamdem gratiam in opus bonum influere dumtaxat moraliter, non physice. Sed ut verum fatear, quid per hoc sibi velint, ego plane non intelligo. Qua de re dicendum est, gratiam bonum caussare opus non moraliter, sed physice. Nam cognitio per gratiam illustrata in actus influit voluntatis vere et physice; et delectatio ab eadem gratia inspirata in eadem voluntate physice producit deliberatum erga bonum opus amorem. Neque vero dici posset, gratiam vires ad agendum nobis subministrare, nisi ad salutares actus physice nobiscum concurreret.

SCHOLION II.

Quaeri solet in scholis, an gratia det actum primum, vel secundum. Zumel tom. III. ad 1. 2. disp. 4. sect. 1. multique a Ledesma citati de aux. q. unica, art. 3. tenent, gratiam dari ad actum primum. Nec mirum: reponunt enim ipsi gratiae naturam in qualitate quadam seu forma inhaerente, ab ipso voluntatis motu, quem producit, distincta. Thomas autem Braduardinus, Estius, Typhanius, et alii, quum gratiae naturam in sola Dei constituant misericordia, seu *voluntate Dei semper invicta*, per consequens ajunt, dari gratiam ad actum secundum. Facile autem discrepantes inter se sententiae conciliantur, si recte explicetur, quid actus primi ac secundi nomine intelligatur. Nomine actus primi intelligunt plerique *potentiam*; et actus secundi nomine actum ipsum, seu operationem. Alii autem actum primum appellant quidquid actionem praecedit et in illam influit; et per actum secundum ipsam designant operationem. Si ergo per actum primum pura intelligatur bene agendi potentia, gratia certe non datur a Deo ad actum primum, sed ad actum secundum, nempe ad ipsam boni operis positionem perficiendam. Puram quippe bene agendi potentiam habet homo in libero arbitrio. Posita nimirum rei cognitione in intellectu, bonique ac mali notitia, statim habetur potentia agendi bonum aeque et malum. Datur itaque ad actum secundum, ad hoc scilicet, ut bonum opus ponatur, licet quandoque ex obice, qui in voluntate reperitur, opus non

sequatur. Hinc S. P. Augustinus in lib. de praed. SS. cap. 5. scribit: *Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturae est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiae est fidelium.* Quod si nomine actus primi intelligatur quidquid praecedit actionem et influit in illam, tunc gratia datur ad actum primum. Quum enim actio esse debeat supernaturalis, quidquid in actionem influit proculdubio supernaturale erit, adeoque gratia. Animadverto tamen, gratiam non constituere actum primum remotum, puramque potentiam; sed actum primum proximum, et potentiam validam ac expeditam; quoniam actus primus remotus est in ipsa libertate.

CAPUT VI.

De gratia rationali creaturae necessaria in statu naturae innocentis.

Creaturae innocentis nomine intelligimus Angelos primumque hominem antequam peccarent. Ubi de Angelis ac de primo homine disseruimus, quantum satis probavimus, initio habuisse illos a Deo tum habitualem, tum actualem gratiam. Quare modo non inquirimus, an gratia ad bonum agendum indiguerit; sed cujus generis gratia fuerit illi necessaria ad perseverandum in accepta justitia. Qua quidem in re non conveniunt inter se theologi. Non pauci inter Thomistas putantes, supremum Dei in creaturas suas dominium, aut creaturae subordinationem ad Deum absque praedeterminante auxilio non salvari, affirmant, Angelos ac primum hominem ad perseverandum gratia indiguisse ex intrinsecis suis efficaci: ita ut Angeli mali et Adam in accepta justitia non perseveraverint, quoniam efficax ac praedeterminans illis defuit adjutorium; e contra vero Angeli sancti perseveraverint, quoniam Deo donorum suorum domino efficacem gratiam illis elargiri placuit. Ita plerique discipuli S. Thomae. At Augustinianae scholae sectatores, quum gratiae ab intrinseco efficacis necessitatem non ex supremo Dei in creaturas suas dominio, sed ex ipsarum creaturarum infirmitate repetant, admittunt quidem victricis gratiae necessitatem in statu naturae lapsae; sed in statu naturae innocentis, ubi, quum nec concupiscentia nec ignorantia vigeret, nulla erat infirmitas, non aliam ad perseverandum agnoscunt necessariam gratiam, nisi parvam atque a creata voluntate versatilem. Ludovici Molinae discipuli pro statu naturae innocentis nobiscum fere conveniunt. Dico, fere, quoniam longe a nobis recedunt in aliis. Nos enim pro certo tenemus, gratiam status naturae innocentis non ad intellectum modo, sed et ad voluntatem pertinuisse; hoc est, non solum illuminasse intellectum ad supernaturale bonum agnoscendum, sed movisse etiam ac inclinasse voluntatem ad idem bonum operandum; quum e contra plerique Molinistarum, ut videre est apud Decamps et Tournelyum, arbitrentur, gratiam in statu naturae innocentis illuminasse dumtaxat intellectum, voluntatem non movisse.

Multi nostrae scholae theologi inquirentes, in quo status naturae innocentis gratiae essentia posita esset, reponunt illam in actibus intellectus ac voluntatis indeliberatis, non secus ac gratiam status naturae per peccatum corruptae, quamvis efficacem hanc, illam inefficacem dicant. Hanc non probamus nos sententiam, quoniam ea admissa salvari non videtur discrimen utriusque status: unde illius gratiae naturam reponimus in supernaturali quodam Dei concursu, ad instar concursus simultanei. His breviter adnotatis, sit

CONCLUSIO I.

In statu naturae innocentis necessaria non fuit gratia ab intrinseco efficax.

Prob. 1. ex S. P. Augustini principiis. I. Monachi Adrumetini, quae Augustinus adversus Pelagianos in epistola ad Sixtum scripserat, non intelligentes, ajebant, ex Augustini systhemate interitum sequi libertatis. Quod S. doctor agnoscens, librum ad eos dedit de gratia et libero arbitrio, in quo gratiam Dei simul et liberum arbitrium confitendum esse demonstrat; quippe quod nos libere volumus, libereque operamur, sed Deus operatur in nobis velle et perficere, praebendo vires efficacissimas voluntati. Nonnulli ex libri hujus lectione ad frugem revocati sunt meliorem, sed aliqui scandalum passi dicere coeperunt, superfluas esse correptiones, si Deus facit, ut faciamus illius praecepta. Quare S. Pater alium ad eos scripsit librum de correptione et gratia, quo suadendum assumit, inutiles non esse correptiones, quoniam quibus gratia confertur, misericorditer confertur; quibus autem denegatur, juste denegatur in poenam peccati saltem originalis. Hinc justam esse concludit correptionem eorum, qui peccant, quia si gratiam non accipiunt, jam poena peccati est. Haec fuse explicat S. Pater a cap. 3. libri de corr. et grat. usque ad cap. 9. Capite vero 10. solvendam proponit non contemnendam quaestionem, ut ab ipso appellatur: *Quaeritur*, inquit, *a nobis*, *quantum attinet ad hoc donum Dei*, *quod est in bono perseverare usque in finem*, *quid de ipso primo homine sentiamus*, *qui certe sine ullo vitio factus est rectus*. Propositam vero quaestionem ita solvit: *Huic interrogationi facile respondetur*, *eum perseverantiam non habuisse*, *quia in eo bono*, *quo sine vitio fuit*, *non perseveravit*. Aliam subinde difficiliorem proponit quaestionem his verbis: *Sed illud magis quaerendum*, *operosiusque tractandum est*, *quomodo respondeamus eis*, *qui dicunt*: *Si in illa rectitudine*, *in qua sine vitio factus est*, *habuit perseverantiam*, *proculdubio perseveravit in ea*: *et si perseveravit*, *utique non peccavit*, *nec illam suam rectitudinem*, *Deumque deseruit*. *Eum autem peccasse*, *et desertorem boni fuisse*, *veritas clamat*. *Non ergo habuit in illo bono perseverantiam*: *et si non habuit*, *non utique accepit*. *Quomodo enim accepisset et perseverantiam*, *et non perseverasset*? *Porro*, *si propterea non habuit*, *quia non accepit*, *quid ipse non perseverando peccavit*? *Neque enim dici potest*, *ideo non*

accepisse, *quia non est discretus a massa perditionis gratiae largitate*. *Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa antequam peccasset*, *ex qua tracta est origo vitiata*. Haec est quaestio, quam sibi Augustinus proponit, quaeque objectio videtur adversus ea, quae paullo ante tradiderat. Videamus nunc quomodo S. doctor difficultatem solvat. Prosequitur dicens: *Quapropter saluberrime confitemur*, *quod rectissime credimus*, *Deum Dominumque rerum omnium* ... *sic ordinasse Angelorum et hominum vitam*, *ut in ea prius ostenderet*, *quid posset eorum liberum arbitrium*, *deinde quid posset suae gratiae beneficium justitiaeque judicium*. His ad plenam controversiae intelligentiam fuse narratis, jam mecum recollige, lector, argumenta. 1. S. P. Augustinus diverso plane modo de naturae lapsae, ac de naturae innocentis statu sentiendum esse docet; alioquin quaestio ab eo proposita locum non habuisset. Ast vero in statu naturae lapsae necessaria est gratia ab intrinseco efficax. Nam qui non perseverant, ut allatis in verbis ait S. Pater, perseverantiam non acceperunt. Unde in statu naturae innocentis necessaria non erat ad perseverandum gratia ab intrinseco efficax. 2. Si Augustinus necessitatem gratiae efficacis in statu naturae innocentis admisisset, propositam ab se quaestionem solvisset, respondendo, Adamum non perseverasse, quia perseverantiam non accepit; non accepisse autem, quoniam Deus, qui est donorum suorum dominus, noluit illi elargiri. Quid namque facilius, magisque obvium? Numquid Augustinum latebat, Deum esse dominum donorum suorum? Et tamen ea responsione non utitur. Quare non existimavit necessariam Adamo innocenti ad perseverandum gratiam per se efficacem. 3. Rationem assignans, cur Adam et Angeli, etiam si gratiam ad perseverandum acceperint, ceciderint, ait, Deum sic illorum ordinasse vitam, ut prius ostenderet, quid illorum posset arbitrium, deinde quid gratiae suae beneficium justitiaeque judicium. Verum perseverare, vel non perseverare per liberum arbitrium, idem est ac gratia versatili adjuvari; tum quia in ea responsione supponit jam Augustinus, Angelos primumque hominem actualem recepisse, gratiam alioquin non sua culpa cecidissent, ut ipse ait ibidem; cum etiam quia gratia in hoc statu necessaria, cui liberum opponit arbitrium status naturae innocentis, est auxilium ab intrinseco efficax, Thomistis ipsis fatentibus; tum denique quoniam paullo infra scribit: *Nec ipsum* (Adamum) *ergo Deus esse voluit sine sua gratia*, *quam reliquit in ejus libero arbitrio*; *quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit*, *ad bonum autem parum est*, *nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*. *Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium*, *semper esset bonus*: *sed deseruit*, *et desertus est*. Quare in statu naturae innocentis per Augustinum satis erat ad perseverandum gratia versatilis.

Respondent tamen Thomistae, quod ex quo dicat Augustinus, Angelos et Adamum per liberum cecidisse arbitrium, non sequitur, necessariam eis non fuisse gratiam ab intrinseco efficacem. Nam etiam in hoc statu, in quo talis est necessaria gratia, qui cadit, suo libero arbitrio cadit.

Sed responsio haec argumenti vim non elidit. Quamvis enim in utro-

que statu peccet homo, quia vult, propriaque abutitur libertate, nihilominus antithesis ab Augustino instituta satis demonstrat, gratiam hujus status adjuvantem arbitrium a gratia status naturae innocentis aperte differre. In statu quippe innocentiae experiri voluit Deus, per Augustinum, quid vires valerent liberi arbitrii, quum in hoc statu experiatur, quid valeat gratiae suae beneficium. Ast si in eo statu gratia fuisset efficax ab intrinseco, non expertus fuisset Deus quid liberum valeret arbitrium; sed potius quid valeret gratiae suae beneficium, quemadmodum in statu naturae corruptae. Qua de re, ut stet utriusque status discrimen quoad supernaturale adjutorium, Adamo collata fuit gratia versatilis, nobis autem gratia victrix ac praedeterminans. Ut autem quod Augustinus inquit de gratia in statu naturae innocentis ad perseverandum necessaria probe intelligatur, animadvertendum est, quod quando duae caussae ad unum concurrunt effectum, effectus idem illi caussae praecipue tribuitur, quae in eo producendo primas habet partes; sive clarius, bonum opus semper caussae determinanti tanquam auctori suo adscribitur. Hinc quoniam in statu naturae per peccatum corruptae homo ad bonum agendum determinatur a gratia victrice, quae primas in bono opere partes habet, opera, quae a nobis fiunt, gratiae potius dicuntur, quam liberi arbitrii, licet liberum arbitrium bonum una cum gratia operetur. Verum opera status naturae innocentis tribuuntur ab Augustino libero arbitrio, ut ex recitatis testimoniis apparet. In bonis itaque operibus status naturae innocentis primas habebat partes liberum arbitrium. Porro liberum arbitrium solum non erat, sed divino adjutorio suffultum; atque idcirco illud secundas habebat in bono opere partes, et a libero arbitrio flectebatur atque determinabatur. Quid est autem ejusmodi gratia, nisi adjutorium versatile?

II. In laudato libro de corr. et gr. cap. 12. ita S. P. Augustinus scribit: *Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium et quo fit est, et sine quo non fit: quia et si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus; et si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta vero non consequenter faciunt, ut homo vivat; sed tamen sine illis non potest vivere...* His verbis lucidissime exponit S. Pater quid sit adjutorium *sine quo*, quid vero adjutorium *quo*; unumque ab alio quam longissime ab invicem differre docet. Non minore perspicuitate docet, adjutorium *sine quo* gratiam esse versatilem, adjutorium autem *quo* esse gratiam efficacem. Nam comparat illud alimentis, quibus uti, vel non uti pro lubitu possumus; istud vero beatitudini, quae si datur, fit ut homo sit continuo beatus. Jam vero Augustinus non aliud in statu naturae innocentis admittit adjutorium, nisi illud ab eo appellatum *si-*

ne quo, quemadmodum in statu naturae lapsae necessarium agnoscit adjutorium *quo*. Sic enim loco mox laudato prosequitur: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis non tale adjutorium perseverantiae datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint*. Et cap. 11. praecedente jam scripserat: *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret, si vellet; non quo fieret ut vellet. Haec est prima gratia, quae data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*. Vides discrimen semper assertum inter adjutorium in statu naturae innocentis necessarium, et illud status naturae corruptae. Prosequitur vero et ait: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum*. Haec est gratia sanctificans primo homini collata. Videamus quid dicat de gratia actuali: *Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet; ut autem vellet, in ejus reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet; quia non deerat adjutorium, per quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset*. Sed integer liber de corr. et grat. foret exscribendus. Interim ex his paucis apparet, Augustinum non aliud in statu naturae innocentis agnovisse adjutorium, nisi illud ab eo nuncupatum *sine quo*, ac proinde versatile.

Regerunt autem Thomistae. Adamo collata proculdubio fuit gratia versatilis, neque in hoc controversiae cardo consistit. Sed inquiritur modo, an, ut in rectitudine perseveraret, gratia ipse indiguerit efficaci, cujus defectu ceciderit. Verum hac exceptione propriae caussae demonstrant infirmitatem. Nam 1. Antithesis ab Augustino inter hominem innocentem atque sanctos hujus status instituta in eo consistit, quod primo homini ad perseverandum necessaria fuerit gratia, *sine qua non posset permanere si vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio;* in hoc autem statu potentior sit gratia, qua etiam fit, ut homo velit, et tantum velit, ut contrariam vincat voluntatem. 2. Adam per Augustinum non alia ad perseverandum indiguit gratia, nisi ea, quam revera a Deo habuit. Non habuit autem, concedentibus adversariis, nisi gratiam versatilem. Hinc S. doctor in eod. cap. 11. scribit: *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*. 3. Ea gratia per S. Augustinum necessaria fuit Adam, ut perseveraret, quam habuerunt Angeli sancti, quaque ipsi revera

perseverarunt. Porro Angeli sancti per Augustinum cum sola versatili gratia perseverarunt; ait enim cap. 11. saepe citato: *Sed quia* (Adam) *noluit permanere , profecto ejus culpa est , cujus meritum fuisset , si permanere voluisset : sicut fecerunt Angeli sancti , qui , cadentibus aliis per liberum arbitrium , per idem liberum arbitrium steterunt ipsi , et hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt* . Quid est autem perseverare per liberum arbitrium , nisi perseverare cum gratia versatili ? Nam S. doctor loquitur de libero arbitrio sanctorum Angelorum eodem modo , ac de libero arbitrio Angelorum malorum , quod gratia versatili proculdubio suffultum erat .

III. Homines status naturae corruptae ad perseverandum in bono gratia indigent efficaci ac praedeterminante , etiam juxta Thomistas . Verum S. P. Augustinus affirmat , Adam ante peccatum non indiguisse ad perseverandum ea gratia , quae necessaria est hominibus status naturae lapsae . Nam in lib. laudato cap. 11. ita loquitur : *Quid ergo ? Adam non habuit Dei gratiam ? Imo vero habuit magnam , sed disparem . Ille in bonis erat , quae de bonitate sui conditoris acceperat ... Sancti vero in hac vita , ad quos pertinet liberationis haec gratia , in malis sunt , ex quibus clamant ad Deum : Libera nos a malo . Ille in illis bonis Christi morte non eguit : istos a reatu et haereditario et proprio illius Agni sanguis absolvit . Ille non opus habebat eo adjutorio , quod implorant isti cum dicunt : Video aliam legem etc... Atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt . Ille vero nulla tali rixa de se ipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus , in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur . Proinde etsi non interim laetiore nunc , veruntamen potentiore gratia indigent isti* . Liquet ex recitatis , Adamum nec habuisse , nec vero indiguisse illo ad perseverandum adjutorio , quod necessarium est hominibus naturae lapsae . Et hujus rei quidem manifestissimam affert rationem . Quum enim fecerit Deus hominem rectum , *nulla rixa de se ipso adversus se ipsum tentatus , sua secum pace fruebatur* ; arbitrio nempe pollebat sano , ac aequa lance disposito , ut neutrius partis inclinatione subactus , aeque facile et expedite ita liber erat , ut bene velle posset et male . Non ergo gratia indigebat medicinali, qui infirmus non erat ; neque gratia victrice , qui sustinere gloriosa non debebat certamina adversus carnalem concupiscentiam . E contra post primi parentis grande peccatum voluntas sauciata atque infirmata adversus legem membrorum strenue debet pugnare . Hinc *subventum est infirmitati voluntatis humanae , ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur* , ut ipse ait in eod. lib. cap. 12., quod omnino legendum , quoniam in eo totum hoc argumentum adhuc luculentius exponit . Quid amplius , quaeso , desiderari pro nostra sententia potest ?

Non acquiescunt tamen Thomistae , et ajunt , Augustinum laudatis in locis gratiam hujus status appellare potentiorem atque validiorem , quoniam homines nunc gratia indigent efficaci duplici titulo , dependentiae scilicet et infirmitatis ; quum innocens homo indigeret gratia unico tantum titulo , nempe dependentiae . In utroque tamen statu gratia efficax est agnoscenda .

Verum ad libitum responsio haec videtur excogitata. Nam 1. Si S. Pater existimasset, gratiam efficacem necessariam fuisse Adamo aliquo titulo ad perseverandum, numquid tam aperte tamque absolute negasset, eum tali indiguisse gratia? 2. Ratio, quam S. doctor affert, cur modo, non tunc, necessarium sit efficax adjutorium, ab humanae naturae repetitur infirmitate, quae nulla erat in statu naturae innocentis; adeoque nullo titulo necessaria fuit Adamo innocenti efficax gratia. 3. Nunquam Augustinus in operibus suis de gratia ejusdem gratiae admisit necessitatem titulo dependentiae. 4. Gratia status hujus apertissimis verbis ab Augustino appellatur potentior atque validior; quod improprie admodum fecisset, si eadem in utroque statu necessaria ab ipso existimata fuisset gratia. Numquid baptismus potentior est in adulto quam in parvulo? Et nihilominus in parvulo remittit peccatum dumtaxat originale, in adulto vero etiam actualia. Potentior itaque et validior hujus status vocatur gratia, quoniam ad bonum indeclinabiliter determinat; quum in statu naturae innocentis gratia a libero flecteretur arbitrio, ac determinaretur ad opus.

IV. Sed evanescit omnino Thomistarum exceptio proxime allata, si quae Augustinus in lib. de dono pers. cap. 7. scribit, attente legantur; ubi postquam demonstravit, gratiam a Deo gratis nobis dari, e vestigio subdit: *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet. Quae tamen libertas voluntatis in illius primae conditionis praestantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui, diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt ... Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo*. Ex quibus multiplex expromitur pro nostra sententia ratiocinatio. 1. Perseverantia hominis innocentis in potestate erat liberi arbitrii; non est tamen in potestate liberi arbitrii perseverantia hominis lapsi. Quumque homo lapsus ad perseverandum gratia indigeat efficaci, consequitur, homini innocenti satis fuisse gratiam versatilem. 2. Quum in Angelis sanctis demonstratum sit, non quid gratia, sed quid potuerit libertas arbitrii, perseverarunt profecto absque gratia efficaci. 3. Angeli, qui perseverarunt, in justitia steterunt non per eam gratiam, qua in justitia persistunt homines lapsi. Hi perseverant adjuti gratia efficaci; illi ergo steterunt adjuti sola gratia versatili. 4. Post casum Adami voluit Deus, ut perseverantia pertineret ad gratiam, quod noluit ante hominis lapsum. In hoc autem statu perseverantia pertinet ad gratiam ab intrinseco efficacem; unde ad hanc gratiam non spectabat perseverantia status naturae innocentis.

Thomistae post cl. Estium in I. d. 4. §. 14. respondent, Augustinum de hoc argumento veluti incidenter et obscure disputasse; adeoque ex dictis non satis erui ejus sententiam.

Augustini sententia obscura est iis, qui veritatem inquirere non satagunt. Nam S. doctorem non incidenter nec obscure de hac re disputasse, ex recitatis testimoniis satis superque patet; et etiam ex eo, quod ad eam solvendam quaestionem tria insumpserit capita, nempe X. XI. et XII. libri de

corr. et grat. Patet quoque ex eo, quod eam tradat sententiam, ut ad meliorem revocet frugem Adrumetinos monachos, atque eo in opusculo, quod a doctissimis viris aurea clavis nuncupatur ad ea aperienda, quae obscura videri possunt in rebus de praedestinatione, gratia, et libero arbitrio. Hinc Congregationis S. Mauri eruditissimi monachi in S. Aug. vita lib. VIII. cap. 6. n. 6. scribunt: *Hic quidem liber parvus mole est, sed doctrina maximus; totus mysteriis refertus, universam divinae gratiae oeconomiam oculis subjicit, ut jure merito aureus a doctissimis nuncupetur. Ego quidem, eminentissimi viri verba sunt, hunc librum soleo appellare clavem, qua ad universam Augustini de divina gratia et libero arbitrio doctrinam aditus aperitur. Quem sane librum S. Prosper merito plenum divinae auctoritatis in epistola ad Augustinum nuncupavit.*

Prob. 2. aliorum PP. auctoritate. S. Prosper adversus collat. cap. 9. *Rectum*, inquit, *atque omni vitio carentem creatum esse primum hominem ... dubitare fas non est; eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Deum non desereret, posset in bonis, quae naturaliter acceperat, perseverare quia vellet, et merito voluntariae perseverantiae in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset. Sed ipso libero arbitrio, quo quamdiu voluit bonus mansit, a proposita sibi lege discessit.* S. Fulgentius in lib. de Trinit. cap. 9. scribit: *Factus itaque homo rectus, et ad imaginem Dei sui secundum rationem et intellectum fictus atque formatus, legem accepit, quam non transgrediendo, beatus esset, quoniam habebat liberum arbitrium, ut posset bonus esse, si vellet: non quidem sine gratia Dei, qua ipsa regebatur voluntas ut vellet. Et tamen in potestate ejus erat, ipsam gratiam deserere cum voluisset.* Patres Africani in Sardiniam relegati in lib. de incarn. et grat. cap. 12. ita loquuntur: *Creatus ergo primus homo de terra terrenus accepit quidem gratiam, qua non posset peccare, si vellet. Nondum tamen acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset, ut scilicet a bono justoque Domino post esset illud manere largiendum, si voluntarie fuisset hoc a servo prius in opere custoditum.* S. Gregorius M. lib. V. mor. cap. 27. ait: *Mire autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut et qui permanere nollent, ruerent, et qui vellent, in conditione persisterent, tanto in ea dignius, quanto ex arbitrio starent. Et eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suae votum voluntatis statione fixissent.* Gemina his habet in lib. quoque XXV. mor. cap. 5.

Prob. 3. ex praeclarissimis scholasticae theologiae luminibus. S. Thomas innumeris in locis, et praesertim 1. 2. q. 109. art. 9. in corp. q. 3. de malo art. 1. ad 9. et alibi, disertissime tradit cum Augustino magistro suo status naturae innocentis atque corruptae discrimen; illudque non aliunde repetit, quam ex eo, quod in priore statu satis ad perseverandum esset gratia versatilis, in secundo vero necessaria sit gratia ab intrinseco efficax. Nam 1. 2. q. 109. art. 10. objectionem sibi propositam solvens ex ep. ad Rom. cap. 5. ubi dicitur, plus restitutum esse homini per donum Christi,

quam per Adae peccatum amiserit, adeoque sufficere homini posse perseverare, ut satis erat Adamo, non ipsi necessariam esse gratiam ad perseverandum, ita respondet: *Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de corr. et gr. homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit ut perseveraret. Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt et donum gratiae, quo perseverare possunt, et ulterius eis datur, quod perseverent. Et sic donum Christi est majus. Et tamen facilius homo per gratiae donum perseverare poterat in statu innocentiae, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possimus, quando reparatio gratiae Christi, etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen est consummata quantum ad carnem, quod erit in patria*. Legito quae habet 2. 2. q. 137. art. 4. et vide nostrum Fulgentium Bellelli lib. II. cap. 18. Aegidius noster Romanus in 2. sent. dist. 4. art. 4. inquit: *Adhaerere Deo amore casto in statu naturae corruptae non potest esse sine gratia; sed in statu naturae institutae potuit hoc esse per puritatem et innocentiam*. Nomine autem puritatis et innocentiae gratiam intelligit versatilem; ait enim ibid. *Ipse amor naturalis, prout erat innocens et purus, quo omnes Angeli in instanti creationis Deum dilexerunt, quaedam gratia dici potest*. Vide Joannem Laur. Berti, qui Aegidii mentem diligenter interpretatur. Gregorius Ariminensis in Augustini lectione versatissimus in 2. sent. dist. 29. q. 1. art. 1. ex Augustini libro de corr. et gr. docet, Adamum innocentem per solas naturae vires non potuisse agere bonum, sed Dei indiguisse adjutorio, *sine quo perseverare non poterat, non quo fieret, ut perseveraret*.

CONCLUSIO II.

Gratia status naturae innocentis ad intellectum pertinebat et voluntatem.

Prob. 1. Augustini nostri auctoritate, qui lib. XIV. de civ. Dei cap. 13. inquit: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, et accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc tenebresceret, et frigesceret*. Habuit ergo Adam gratiam, quae mentem ejus illustrabat, accendebatque voluntatem.

Prob. 2. In statu naturae innocentis non intellectus modo, sed et voluntas elevari ad supernaturaliter operandum debebat. Unde si ea de caussa gratia primo homini collata illustrare debuit mentem, eadem de caussa et voluntatem debuit accendere. Deinde ratio, cur Molinistae contrariam sequantur sententiam, est, ut discrimen inveniant inter gratiam conditoris et reparatoris. Ast discrimen illud aliunde repetendum esse, postea demonstrabimus. Quare nihil est cur affirmemus, gratiam status naturae innocentis ad solum pertinuisse intellectum.

CONCLUSIO III.

Gratia status naturae innocentis posita minime erat in actibus intellectus et voluntatis indeliberatis; sed in quodam potius supernaturali Dei concursu ad instar concursus simultanei.

Prob. prior thes. pars. I. Angelorum hominisque natura in prima eorum conditione, in genere creaturae, perfectissima erat. Ast vero indeliberatio intellectus et voluntatis magnam dicit imperfectionem: illa nempe ignorantiam, haec dicit suspensionem. Unde incongruum est, gratiam status naturae innocentis in actibus constituere indeliberatis intellectus et voluntatis. II. In statu naturae innocentis locum non habuisse gratiam efficacem, paullo ante demonstratum est. Gratia autem in actibus consistens indeliberatis est efficax saltem ad eosdem actus indeliberatos, ut supra probavimus. III. Gratia consistens in actibus indeliberatis, quum delectationem inspiret, natura sua efficax est; et inefficax dumtaxat redditur a contraria delectatione mali: quae mali delectatio in statu naturae innocentis, ubi concupiscentia non erat, non agnoscebatur. IV. Si gratia naturae innocentis in actibus posita fuisset indeliberatis, nullum inter eam gratiam et gratiam sufficientem seu inefficacem status naturae lapsae esset discrimen. Est autem magnum. Nam haec natura sua est efficax, et evadit inefficax, quando a contraria vincitur cupiditate, quae in illo statu quum non esset, reddere nequibat gratiam inefficacem. V. Demum, si gratia illius status reposita fuisset in actibus indeliberatis, sanctam semper inspirasset delectationem, quae obicem in voluntate, quae tunc inclinationem non habebat ad malum, non invenisset; atque ita fuisset ex intrinsecis suis efficax, quod est contra nostram sententiam.

Prob. altera pars. prop. Admisso semel in creatura innocente concursu ordinis supernaturalis simultaneo, statis sufficienter explicatur natura gratiae status naturae innocentis. Et I. S. P. Augustinus in lib. de corr. et gr. cap. 11. naturam exponens gratiae Adamo ante peccatum collatae: *Tale*, inquit, *erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet*. Ast ejusmodi est etiam concursus simultaneus. Per illum quippe creatura adjuta agit, si velit, non agit, si nolit, non tamen eo fit ut operetur. II. Per concursum ordinis supernaturalis simultaneum salvatur optime dependentia creaturae a Creatore in iis, quae ordinis sunt supernaturalis; quemadmodum per simultaneum concursum ordinis naturalis salvatur dependentia creaturae a Creatore in iis, quae ad ordinem spectant naturalem. III. Gratia innocenti Adamo collata reddere illum debebat proxime potentem ad bonum operandum. Porro per simultaneum supernaturalis ordinis concursum poterat utique Adam reddi proxime potens ad bonum agendum, quoniam elevabat illum ad statum supernaturalem. Hinc S. P. Augustinus in tribus illis de corr. et gr. capitibus, ubi de natura gratiae Adamo innocenti collatae loquitur, effectum et opus semper libero adscribit arbitrio; quod non tam facile in-

telligi potest, nisi illius gratiae natura in concursu quodam constituatur supernaturali ad instar concursus simultanei.

SCHOLION.

Si quis autem quaerat, quaenam praecise sit gratiae status naturae innocentis physica natura, respondendum est, non posse tam facile explicari. Ut aliquid autem dicamus, explicari poterit quomodo explicatur, proportione servata, concursus Dei simultaneus. Hic ergo, juxta complures theologos, nil aliud est, quam Deus ipse creaturis suis intime praesens, illasque ut agere valeant adjuvans. Ita gratia status naturae innocentis est Deus ipse creaturae intime assistens, ut supernaturaliter agere possit. Sed alii clarius concursum explicant simultaneum dicentes, Deum simul cum rationali concurrere creatura ad naturaliter operandum, illius intellectui ideas imprimendo, quas non habet, et inspirando voluntati amorem ad bonum universale seu in communi. Atque haec videtur S. Thomae sententia, qui 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. inquit: *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum.* Juxta hos ergo theologos, concursus Dei simultaneus, quantum ad intellectum, est Deus rerum ideas imprimens menti; quantum vero spectat ad voluntatem, est idem Deus illam ad bonum praemovens universale. Hoc idem de status innocentis naturae gratia dici potest: videlicet, prout illa respicit intellectum, est Deus imprimens illi supernaturalium ideas bonorum; quantum vero ad voluntatem, est idem Deus ad supernaturale bonum illam praemovens, sed in universum, non autem ad hoc vel illud bonum in particulari, ad quod in statu naturae innocentis voluntas sese determinabat, sicuti in statu naturae corruptae praestat id gratia Salvatoris.

CAPUT VII.

Diluuntur adversariorum argumenta.

Obj. 1. adv. 1. thes. I. Celebris apostolica sententia, quae habetur in I. ad Cor. cap. 4. *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? etc.* demonstrat proculdubio necessitatem efficacis gratiae, ut patet ex Augustino sententiam illam intorquente adversus Pelagianos. Verum idem Augustinus affirmat, Apostoli testimonium locum habuisse quoque in statu naturae innocentis. Nam in lib. de praed. SS. cap. 5. scribit: *In hac Apostoli evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatae naturae qualescumque reliquias, ni-*

mis, *quantum existimo*, *absurdum est*. In statu itaque etiam naturae innocentis locum habuit gratia efficax. II. Et Augustinus quidem eodem sensu apostolicum textum statui naturae innocentis ac naturae lapsae applicat. Etenim si Angeli sancti in justitia stetissent sine adjutorio *quo*, ab Angelis malis per liberi vires arbitrii se ipsos discrevissent. Adjutorium quippe illud, quod dicitur *sine quo*, versatile est ac liberi arbitrii pedissequum. Absurdum est autem, per Augustinum, Angelos bonos a malis fuisse discretos per liberum voluntatis arbitrium. III. Immo S. Pater absque ulla ambiguitate verborum affirmat, Angelos sanctos perseverasse, quoniam habuerunt a Deo auxilium *quo*. In lib. siquidem XII. de C. D. cap. 9. ita scribit: *Si autem boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate*, *eamque in se ipsi*, *Deo non operante*, *fecerunt*, *ergo meliores a se ipsis*, *quam ab illo facti sunt*. *Absit*. Ne itaque Angeli sancti, per Augustinum, in se ipsis gloriarentur, boni ac meliores facti sunt, Deo operante. Quid pro gratia efficaci luculentius?

Resp. ad 1. Celebre Apostoli testimonium demonstrat non efficaciam modo, sed et necessitatem gratiae. Nihil enim homo sive in statu naturae innocentis sive in statu naturae lapsae facere potest eorum, quae ordinis sunt supernaturalis, absque Dei adjutorio; adeoque illi, qui sine Dei auxilio aliquid fecisse praesumeret, objici apostolica sententia posset: *Quid autem habes*, *quod non accepisti*? Augustinus ergo ut Semipelagianos ad initium fidei, et Pelagianos ad singulos actus gratiae necessitatem negantes refutaret, optime laudatum urget Apostoli testimonium. Et quoniam in statu etiam naturae innocentis gratia necessaria erat, eodem utitur testimonio pro illo quoque statu. Nam et Angelis et Adamo superbientibus dicere quis potuisset: *Quis te discernit?* Deinde ex allato Apostoli textu efficacia gratiae probatur ex quadam proportione. Sicuti enim homo in statu naturae innocentis, si absque ulla prorsus gratia perseverasset, potuisset de se suisque viribus gloriari, ita homo in statu naturae lapsae, si sola gratia, quam habuit Adam, adjutus, bonum perficeret, posset et ipse de propriis gloriari viribus: faceret quippe in statu infirmitatis, quod homo in statu faciebat sanitatis cum eodem adjutorio. Quare, ut *qui gloriatur*, *in Domino glorietur*, dicendum est, creaturam innocentem perseverare absque gratia non potuisse, et hominem lapsum nullum agere bonum sine gratia efficaci. Quod si homo innocens solis naturae viribus agere bonum praesumpsisset, et homo lapsus id ipsum cum sola gratia praesumeret versatili, utrique apostolica sententia objici posset: *Quis te discernit? Quid autem habes*, *quod non accepisti?*

Ad 2. Angeli sancti discreverunt se utique ab Angelis desertoribus, quoniam illi non isti in accepta justitia perseverarunt. Et quidem discreverunt se per liberum arbitrium; non nudum tamen, sed supernaturali suffultum adjutorio, pro illo beatitudinis statu sufficiente, nempe versatili. Et superbe plane gloriati fuissent Angeli sancti, si propriam perseverantiam nudis arbitrii viribus adscribere praesumpsissent, quomodo fecerunt Angeli mali, qui proprio libero arbitrio confisi turpissime ceciderunt.

Ad 3. Ut omnis verborum ambiguitas vitetur, dico, S. Patrem allatis in argumento verbis loqui de gratia non actuali, sed sanctificante. Nam primo ait, Angelos accepisse a Deo bonam voluntatem, hoc est, gratiam habitualem, in prima eorum conditione. Subdit deinde, quod si non accepissent, illam a se ipsis acquirere non potuissent, Deo non operante. Hinc ait ibidem: *Neque enim Angeli seipsos meliores fecerunt, quam a Deo facti sunt; sed in eadem bona voluntate permanserunt, in qua primum conditi sunt*. Quid est autem bona voluntas, quam non a se ipsis habuerunt, sed in qua primum Angeli conditi fuerunt, nisi gratia sanctificans?

Obj. 2. cont. eamd. 1. prop. I. S. P. Augustinus in lib. XII. de C. D. cap. 9. ita scribit: *Aut Angeli mali minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt*. Quod si Angeli sancti fuerunt prae malis Angelis amplius adjuti, nonne Angeli sancti, ut perseverarent, gratiam habuerunt efficacem? II. Neque vero solvitur argumentum respondendo, to *amplius adjuti* denotare adjutorium patriae. Nam si res ita se haberet, sensus esset, Angelos bonos per adjutorium patriae pervenisse ad patriam; quae locutio inepta prorsus esset.

Resp. ad 1. Angeli sancti dicuntur ab Augustino amplius adjuti prae Angelis malis; sed adjutorium illud non erat gratia efficax, quae datur *in via*, sed major abundantia caritatis accepta post perseverantiam, quae adjutorium dicitur *patriae*, ut a beatitudine supernaturali quidem, sed imperfecta et inchoata, ad supernaturalem pervenirent beatitudinem completam et perfectissimam. Quod ut probe intelligatur, animadvertendum est, S. P. Augustinum docere, Angelos omnes initio conditos fuisse a Deo beatos, beatitudine quidem supernaturali, sed inchoata dumtaxat et imperfecta; completam vero ac perfectissimam non nisi Angelos, qui perseverarunt, recepisse. Explicans autem discrimen, quod inter utramque beatitudinem intercedit, inquit, quod completa ac perfectissima beatitudo non solum sanctitatem per gratiam exigit, et praesentis boni delectationem absque ulla molestia, sed importat praeterea scientiam certissimam, qua notum sit beato, se non amplius ex illo felicitatis statu esse casurum: quae certitudo non erat in beatitudine inchoata et imperfecta. Affirmat id S. doctor in lib. de corr. et gr. cap. 10. ubi haec habet: *Diabolus vero et Angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent ... erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summae beatitudinis plenitudinem. Tanquam praemium ipsius permansionis acciperent; id est, ut magna per Spiritum S. data abundantia caritatis, cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se certissime nossent*. Quare cum Augustinus laudato in argumento loco inquit, Angelos sanctos amplius adjutos pervenisse ad beatitudinem, innuere vult, accepta illos in praemium perseverantiae uberiore Spiritus S. caritate, certos factos fuisse de aeterna eorum felicitate, atque a beatitudine inchoata et imper-

fecta, quae ipsis cum malis Angelis antequam peccarent communis erat, ad beatitudinem transisse completam ac perfectissimam. Rem ita se habere magis manifestum fit ex quo non in laudato libro solum, sed et in libro XI. de gen. ad litt. cap. 17. consimilem instituat quaestionem, an videlicet omnes Angeli creati sint recti et beati. Qua in quaestione diu anceps extitit, non intelligens, quomodo fieri potuerit, ut omnes Angeli facti fuerint beati, quum nullus dici queat beatus, qui aeternae suae felicitatis certitudine careat; quam certitudinem non habuisse Angelos malos, de fide est. Quod si Angeli sancti recti fuerunt et beati, non item Angeli mali, numquid isti mali, illi boni natura sua, ut Manichaei dogmatizabant? An pares in bonitate vel dispares? Et unde talis diversitas? Ita inquirendo discurrit S. doctor a citati libri cap. 17. usque ad 25. Capite autem 26. quatuor proponit implicatae quaestionis solutiones, quarum nullam uti indubitatam admittit, duasque priores rejicit apertissime. In lib. XI. de C. D. cap. 13. eamdem rursus versat difficultatem, quam denique his verbis resolvit: *Restat, ut aut impares fuerint, aut si pares fuerunt, post istorum ruinam illis certa scientia suae sempiternae felicitatis accesserit*. Praeterea eamdem quaestionem sibi solvendam proponit in lib. XII. de C. D. cap. 9. unde excerpta sunt verba in argumento citata: *Aut minorem* Angeli mali *etc.* Quod in S. P. Augustini mente eadem omnino sit quaestionis solutio, hoc in lib. XII. tradita, cum illa, quam ipse tradiderat libro antecedente, non solum patet ex similitudine verborum, sed etiam ex quo post allatam solutionem statim e vestigio subnectat: *Sicut jam etiam in libro, quem sequitur iste, tractavimus*. Qua de re si quid obscuri posterior haec responsio contineret, nonne explicari per antecedentem ab eo traditam deberet responsionem? Proculdubio. Videamus itaque, an solutio ab eo in lib. superiore XI. tradita aliquid contra nostram sententiam contineat. Ibi inquit, Angelis sanctis sempiternae suae felicitatis scientiam accessisse *post ruinam malorum Angelorum*: atque adeo *amplius adjuti fuerunt* post malorum Angelorum peccatum. Verum post peccatum atque ruinam Angelorum malorum Angeli perseverantes consecuti sunt gloriam: unde illud *amplius adjuti* est adjutorium *patriae*, quo opitulante, certi facti sunt, se non esse amplius casuros. Ita sibi cohaerent, quae in libro XI. et XII. occurrunt. Ac denique sanctus doctor senior doctiorque factus omne deposuit dubium, ac pro re certissima statuit, Angelos omnes pares in gratia et beatitudine inchoata fuisse creatos, ac quaestionem saepe ab eo versatam definite resolvit in lib. de corr. et grat. cap. 10. verbis illis, quae supra recitavimus, quaeque incipiunt: *Diabolus vero, et Angeli ejus etc.* Ex quibus sic explicatis luculenter apparet, in nullo prorsus, per Augustinum, Angelos sanctos a malis Angelis ante illorum perseverantiam horumque peccatum discrepasse, totumque inter eos discrimen coepisse post horum ruinam illorumque perseverantiam; proindeque majus illud adjutorium, in mente Augustini, fuisse adjutorium *patriae*, non *viae*.

Ad 2. Adversariorum illatio falsa penitus est. Neque enim ait S. Pater, Angelos bonos fuisse *amplius adjutos*, ut pervenirent ad patriam;

sed inquit, *amplius adjutos* pervenisse ad beatitudinis plenitudinem. Quod idem sonat ac si dixisset: Una ex beatificae visionis proprietatibus est certitudo felicitatis non amplius amittendae; de hac nempe certitudine ibi quaestio instituitur, ut paullo ante monuimus. Sive clarius: Angeli postquam perseverarunt, et ad patriam pervenerunt, tanta caritatis repleti sunt abundantia, ut certi essent, se non amplius ab illo felicitatis statu fore casuros. Nullam hic invenio ineptam locutionem.

Nolo hic innominatas aliorum praetermittere responsiones ad allatum argumentum, quod ideo difficilis solutionis existimarunt, quia Augustini principia non satis perpendere: ad quae si et clarissimi Thomistae attendissent, non adeo sibi in hoc argumento plauderent. Nonnulli ergo allatum solvunt argumentum affirmando, S. Patrem sub vitae finem illam retractasse sententiam, in libro scilicet de corrept. et grat. Ita Franciscus Henno. Ajunt alii, Angelos sanctos in mente Augustini fuisse amplius adjutos adjutorio viae, quod tamen esset versatile, plures admittendo in gratia versatili gradus. Ita Franciscus Macedo. Alii censent, eo sensu ab Augustino Angelos bonos dici amplius adjutos, quod versatili gratia bene fuerint usi, qua abusi sunt Angeli mali. Ast quam a vero hae responsiones similesque recedant, ex allata a nobis solutione satis abunde patet.

Obj. 3. cont. eamd. thes. alias S. P. Augustini sententias. I. In lib. XIII. conf. cap. 3. affirmat, Angelos Deo debere, quod vivant, et quod beate vivant. Non itaque a libero arbitrio versatili gratia suffulto, sed ab efficaci gratia salutem repetit Angelorum. II. In lib. de corr. et grat. cap. 11. de primo homine loquens dicit, Deum dedisse illi *bonam voluntatem*. III. Et in lib. de novo cantico cap. 8. scribit: *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adamo monstratum est*. Quae omnia non obscure significant, in statu naturae innocentis fuisse ad perseverandum necessariam gratiam efficacem.

Resp. ad 1. Merito S. Pater affirmat, Angelos Deo debere, quod vivant, et quod beate vivant. Nam Angeli non sibi dederunt esse, sed acceperunt a Deo, adeoque ipsi debent, quod vivant. Rursus supernaturalia gratiae ac integritatis dona, quibus inchoata fruebantur beatitudine, de qua ibi S. doctor loquitur, nonne acceperunt a Deo? Deo ergo debent, quod beate vivant.

Ad 2. Deus dedit homini bonam voluntatem, gratiam nimirum sanctificantem, cum qua conditus fuit: de hac quippe loquitur S. doctor, ut ex iis, quae e vestigio sequuntur, patet: *In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum: dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet etc.*

Ad 3. Falso Augustino adscribitur liber de cantico novo, ut Critici omnes affirmant. Sed et si Augustini esset, nihil inde contra nostram sententiam erui posset: ibi enim sensus est, in Adamo monstratum esse, quid liberum valeret arbitrium Dei gratiam contemnens. Consimilia leguntur in serm. XXVI. de verb. Apost. *Regebat enim eum ipse, qui fecerat; voluit deserere, a quo factus erat; permisit Deus, tanquam dicens, Deserat me, et*

inveniet se , et miseria sua probet , quia nihil potest sine me . En quomodo in Adamo monstratum est , quid valeat liberum arbitrium non adjutum .

Obj. 4. adv. eamd. prop. I. S. Fulgentius lib. II. ad Trasamundum regem cap. 2. docet , *cunctos Angelos uniformi ruinae consortio opprimi potuisse , nisi quos vellet a casu pravitatis virtus divina defenderet* . Et cap. 3. *Non alia virtus stantem Angelum a ruina potuit custodire , nisi illa , quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare . Una in utroque gratia operata , in hoc ut surgeret , in illo ne caderet : in illo , ne vulneraretur , in isto , ut sanaretur . Ab hoc infirmitatem repulit , illum infirmari non sivit* . Docet per haec Fulgentius , ab eadem gratia hominis tum innocentis cum lapsi perseverantiam pendere . Hominis lapsi perseverantia a gratia pendet efficaci . Igitur et perseverantia hominis innocentis . II. S. Gelasius in libello adv. Pelag. qui extat tom. IV. concil. Labbei , ita scribit : *Illa prima conditionis integritas , dum ita se fidit , tanquam ipso , qui condiderat , non egeret , nec de perceptis agit gratias , quod nusquam fecisse memoratur , nec pro conservandis, quae sumpserat, poscit auxilium , nec ad eum , etiam pulsata tentatoris accessu , devota concurrit et consulit , suaeque se credit inter prospera voluntati , facile sine praesidio creatoris patuit insidiis deceptoris, et in praevaricationem tracta consequenter illiciti , conditionem praefixae mortis invenit* . Vult ergo Gelasius , debuisse Adamum Deum orare , ut in accepta justitia perseveraret. Non satis itaque erat illi ad perseverandum versatilis gratia , quam ab initio acceperat . III. Gregorius M. lib. XV. mor. cap. 24. ad occulta Dei judicia refert , *quod Angelorum alios in aeterna luce sine lapsu permanere constituit , alios sponte lapsos damnavit* . In Augustiniana autem sententia non ab inscrutabili Dei judicio , sed a libero arbitrio repetenda est innocentis creaturae perseverantia . IV. S. Bernardus in lib. de gr. et lib. arb. inquit : *Angelis bonis a Deo datum fuisse , ut sine peccato perdurarent , quod primo homini datum non fuit* . Serm. XXII. in cant. addit : *Qui erexit hominem lapsum , dedit stanti Angelo , ne caderet , sic illum de captivitate eruens , sicut hunc a captivitate defendens* .

Resp. ad 1. S. Fulgentius unam eamdemque in Angelis ac lapsis hominibus admisit gratiam increatam ; hoc est , voluit , unum et idem esse principium gratiae Angelorum et hominum . Quod ut manifestum fiat , sciendum est , Trasamundum regem , ariana haeresi laborantem , diu multumque objectionibus ac interrogationibus suis circumvenisse Ruspensem Episcopum , donec , licet saepe victus , caussae non cedens , novas procudit interrogationes , et semel tantum Fulgentio legi praecepit , ut respondere detrectaret . Sanctus tamen Praesul tres illico libros concinnavit , in quorum altero *de immensa Filii divinitate* disserit ; quam ut demonstret , affirmat , Filium Dei non solum factum esse hominum reparatorem , sed , ut virtus est et sapientia Patris , fuisse etiam servatorem Angelorum , quatenus dedit illis ab initio gratiam ad non peccandum necessariam . Quumque ille , qui gratiam largitur ad non peccandum et ad resurgendum , non sit homo , non Angelus , non creatura , sed Deus , concludit inde , illum , qui

Filius Dei dicitur, vere ac proprie Deum esse Patri consubstantialem. Quid vero haec pro efficaci gratia in statu naturae innocentis?

Ad 2. Existimant aliqui, S. Gelasium in hac caussa in diversam abiisse ab Augustiniana sententiam. Nec magni, inquiunt, facienda est hoc in casu Gelasii auctoritas, quum obiter tantum de hoc disseruerit argumento. Verum qui ita respondent, non recte Gelasii mentem sunt assecuti. Creatura ergo innocens juxta Gelasium debebat gratiam ad perseverandum a Domino postulare, oratione laudis, non oratione gemitus. Oratio autem laudis illa est, qua pro acceptis donis gratias agimus; sicut oratio gemitus est illa, qua adjutorium, quo caremus, enixe imploramus. Creaturam autem innocentem debuisse Deum orare oratione laudis, hoc est, gratias de acceptis beneficiis agere, per se manifestum est. Nec aliud sibi vult Gelasius. Ait quippe 1. innocentem creaturam cecidisse, *dum ita de se fidit, tanquam ipso, qui condiderat, non egeret*: inquit 2. non egisse pro collatis muneribus gratias: *Nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur:* 3. denique affirmat, quod quum a tentatione urgeretur, ad Dominum, qui collatum ei poterat subtrahere adjutorium, non confugerit: *Nec ad eum, pulsata tentatoris accessu, devota concurrit;* et ideo peccaverit, quoniam in vacuum gratiam Dei recepit, *Nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent, suppliciter implorando*. In his ne minimum quidem gratiae efficacis invenitur vestigium; praesertim quum S. Pontifex illud adversus Pelagianos demonstrare intendat, quod si divino indigebat auxilio creatura ante peccatum, multo magis eo indigeat, ratione infirmitatis post peccatum.

Ad 3. Gregorius M. non caussam quaerit, cur Angelorum nonnulli steterint, nonnulli perierint. Caussam hanc affert, dum inquit: *Alios sponte lapsos damnavit*. Sed inquirit dumtaxat, cur Angelis peccantibus Deus non pepercerit, et perseverantes Angelos in gratia statim confirmaverit, quum Deus utique potuerit, si voluisset, et peccantibus Angelis parcere, et perseverantes relinquere adhuc in via; aitque, hujus rei se caussam nescire, sed ad divina inscrutabilia judicia esse recurrendum. Quod idem affirmaverat jam Augustinus in lib. XI. de gen. ad litt. cap. 10.

Ad 4. Bernardi verborum sensus hic est, quod Deus Angelis bonis post perseverantiam dedit, ut sine peccato, eos in gratia confirmans, perdurarent, quod certe datum non fuit primo homini. Loquitur enim ibi mellifluus doctor de libertate Angelorum, quae secum fert, ut iidem Angeli peccare non possint, ad differentiam Adami, qui talem non accepit libertatem, quum datum ei fuerit, ut *posset non peccare, posset non miserum esse*, ut ipse ait ibidem. Ejusdem doctoris verba secundo loco relata eo modo accipienda sunt, quo verba Fulgentii; quum ibi sermonem instituat de increata Dei beneficentia. Ceterum in lib. de gr. et lib. arb. ita Augustini insistit vestigiis, ut exscripsisse videatur librum de corr. et gr. ut legenti manifestum est.

Obj. 5. cont. eamd. thes. ratione. I. Quum homo subditus esset supremo Dei dominio in statu naturae innocentis, non minus ac modo sit in

statu naturae lapsae, si in hoc statu indiget ad bonum agendum gratia ab intrinseco efficaci, cur eadem non indiguit gratia in statu naturae innocentis? II. Praedestinatio gratuita necessitatem supponit gratiae efficacis. Porro etiam praedestinatio Angelorum fuit gratuita. Nam S. P. Augustinus de praed. SS. cap. 15. scribit: *Est etiam praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse salvator, ipse mediator Dei et hominum* etc.

Resp. ad 1. Homo in statu naturae corruptae gratia profecto indiget efficaci, sed ratione infirmitatis per peccatum contractae, non ratione supremi dominii. In quovis certe statu creatura a Creatore dependet, ejusque subditur dominio; est quippe prima caussa et motor universalis, ut optime a S. Thoma appellatur. Ast ad salvandam creaturarum cujusvis status dependentiam a Deo, sufficit ejusdem Dei concursus simultaneus, ut harum instit. tom. II., ubi egimus de divina voluntate, fuse demonstravimus. Ratio autem, cur in statu naturae lapsae indiget homo gratia efficaci, est ejusdem hominis infirmitas per peccatum in intellectu ac voluntate contracta; quae infirmitas quum in statu naturae innocentis non esset, non erat ibi gratia efficax necessaria.

Ad 2. Praedestinatio Angelorum non gratuita fuit, ut hominis lapsi, sed ex praevisis meritis, quorum merces esse debebat gloria etiam in ordine intentionis. Unde Augustinus in lib. de corr. et grat. cap. 11. inquit: *Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum gratiae, quae merces meriti futura erat*. Et in enchir. cap. 106. scribit. *Hanc* (gloriam) *est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum*. Eadem habet lib. XIV. de C. D. cap. 28. Christus autem dicitur exemplar praedestinationis illorum, quorum ipse salvator est et mediator. Salvator autem est ac mediator hominum dumtaxat lapsorum, non Angelorum. Hujus generis alia bene multa objiciunt Thomistae, quae partim soluta sunt, ubi eorumdem Thomistarum sententiam de physica praemotione ad actus ordinis naturalis, et ad materiale peccati refutavimus, et partim in aliis opusculis nostris.

Obj. 6. adv. 2. prop. Voluntas naturaliter fertur ad objectum amandum sibi ope intellectus cognitum. Quare posita cognitione intellectus, superflua est gratia, quae moveat voluntatem: atque idcirco in statu naturae innocentis gratia ad solum pertinebat intellectum.

Resp. In primis argumentum hoc nimis probat. Si namque ex quo voluntas necessario fertur ad amandum objectum ab intellectu cognitum, sufficit intellectus illuminatio, neque in hoc infirmitatis statu necessaria erit gratia ex parte voluntatis, sed satis erit ex parte dumtaxat intellectus: atque ita vera erit Pelagianorum sententia, gratiam statuentium in sola lege atque doctrina. Itaque licet voluntas naturaliter feratur in objectum cognitum ab intellectu, natura sua nihilominus exigit, ut a Deo per simultaneum concursum regatur, ut ferri in objectum suum possit. Quod si objectum, in quod fertur, ordinis sit naturalis, naturalis quoque erit concursus simultaneus; si bonum vero ordinis sit supernaturalis, etiam concursus supernaturalis erit, adeoque gratia.

Obj. 7. cont. 3. thes. I. Gratia status naturae innocentis per actus quosdam, qui indeliberati dicuntur, a Deo inspiratos, illuminabat creaturae intellectum, illiusque inflammabat voluntatem. Nam S. P. Augustinus in lib. XIV. de C. D. cap. 13. inquit: *Si voluntas* (Adami) *in amore superioris boni, a quo illustrabatur, ut videret, et accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret* etc. Et cap. ejusd. lib. XXVII. de Angelo scribit, quod *meritum bonum* haberet *in adjuta divinitus voluntate recta*. Quid est autem intellectum illustrari, ac voluntatem accendi erga superius bonum, nisi intellectui aeque et voluntati actus inspirari quosdam supernaturales? II. Idem S. doctor eamdem esse dicit in statu naturae innocentis, ac in statu infirmitatis gratiae naturam, nullumque aliud inter utramque gratiam discrimen agnoscit, nisi quod illa minor esset, ista major. Ait quippe in lib. de corr. et gr. cap. 11. *Haec est prima gratia, quae data est primo Adam; sed hac potentior est in secundo Adam*. Et paullo infra: *Nunc autem, quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est*. Atque gemina his passim tradit Augustinus.

Resp. ad 1. S. P. Augustinus de hoc disputans argumento ita status naturae innocentis physicam describit naturam, ut reponi haud possit in actibus indeliberatis. Ait nempe in lib. de corr. et gr. cap. 11. *Tale erat adjutorium, quod desereret* homo *cum vellet, et in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet*. Si vero illius status gratia in sancta delectatione voluntati inspirata consisteret, locum ea Augustini descriptio non haberet. Quaeri namque semper posset, an in homine innocente major esset boni, quam mali delectatio; an minor, vel aequalis. Si utraque delectatio, obedientiae v. g. et comestionis vetiti fructus, fuisset aequalis, nunquam ad alterutram se determinasset partem. Si delectatio comedendi fructum fuisset major, quam delectatio obedientiae, homo infallibiliter illum comedisset, et gratiae Dei tanquam inefficaci restitisset. Si denique delectatio obedientiae fuisset contraria major, divinum praeceptum infallibiliter ac indeclinabiliter observasset, quoniam *quod magis delectat, secundum id operemur necesse est*, ait Augustinus in exp. epist. ad Gal. cap. 5.; proindeque fuisset in statu naturae innocentis gratia efficax, quomodo in statu naturae corruptae. Praeterea, si ad Augustini nostri principia sedulo attendamus, ideo gratia hujus status sanctam inspirat voluntati delectationem, ut suave fiat quod non delectabat. Ideo autem bonum in hoc statu non delectat, quoniam a concupiscentia ad amorem trahimur mali. Ast creatura innocens quum nullam haberet concupiscentiam nullamque pugnam, malo non delectabatur; ac proinde sancta non indigebat delectatione, per quam cupiditatem superaret. Illa itaque testimonia non aliud probant, quam gratiam status naturae innocentis ad intellectum spectasse ac voluntatem; quod nos non inficiamur. Nam posita illius gratiae natura in concursu Dei supernaturali, gratia profecto intellectum illuminabat, ut videre posset, et accendebat voluntatem erga bonum in communi, ut posset illud diligere. Ut autem actu bonum amaret in particulari, ad liberum spectabat voluntatis arbitrium. Quod si gratiae illius natura in actibus consiste-

ret indeliberatis intellectus et voluntatis, gratia non modo dedisset homini, ut bonum in particulari posset eligere, sed ei dedisset etiam ipsum velle ipsumque eligere.

Ad 2. S. Pater allatis in argumento textibus, et alibi saepe, comparationem instituit non inter utriusque status gratiae physicam naturam, sed inter utriusque gratiae effectus. Ait videlicet, gratiam in statu naturae innocentis dedisse *posse*, in statu autem naturae lapsae dare etiam *velle*. Dicens vero: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium*, *jam poena peccati est*, idem valet, ac si dicat: Nunc autem quibus deest tale adjutorium, quod dat posse bonum agere, jam poena peccati est. Non facit ergo Augustinus contra nostram sententiam.

Obj. postremo cont. eamd. 3. thes. I. Concursus concomitans non caussam afficit, sed dumtaxat effectum. E contra adjutorium Adamo collatum afficiebat caussam, quoniam addebat ipsi vires. II. Concursus simultaneus non minus ad standum, quam ad cadendum requiritur. Gratia vero Adamo collata data fuit dumtaxat ad standum. III. Concursus concomitans in poenam peccati non tollitur. Ast gratia Adamo concessa sublata fuit in poenam peccati. IV. Demum, concursus concomitans est potius adjutorium *quo*, et gratia, quam a Deo habuit Adam, adjutorium erat *sine quo*, juxta Augustinum. Hisce de caussis non videtur physica illius gratiae natura constituenda in concursu quodam supernaturali, ad instar concursus concomitantis.

Resp. ad 1. Concursus simultaneus non minus effectum, quam caussam afficit, eique vires ad operandum praebet; sine illo quippe concursu caussa non est proxime potens ad agendum. Hinc absque concursu ordinis naturalis creatura non est proxime potens ad naturaliter operandum. Et ita Adam in statu naturae innocentis nisi concursum habuisset supernaturalem, sufficientes vires non habuisset ad agendum supernaturaliter.

Ad 2. et 3. In ordine naturali ad cadendum requiritur plane concursus multaneus, non autem requiritur in ordine supernaturali, quoniam ad peccandum liberum arbitrium valet. Atque ita Adam, ut staret, concursu Dei indigebat supernaturali, ut vero caderet, satis ei erat concursus concomitans tantum ordinis naturalis.

Ad 4. Concursus simultaneus non facit, ut creatura reapse agat, quod praestare solet auxilium *quo*; sed facit tantum, ut creatura agere possit, si velit, quod munus est auxilii *sine quo*. Si creatura operari velit, utique operatur, et habetur effectus; non ideo tamen quia Deus concurrit, sed quia creatura, agere volens, utitur Dei concursu. Verbo dicam. Vel concursus concomitans consideratur ut creaturae paratus, et est ad instar gratiae versatilis, quae semper parata erat homini innocenti; vel consideratur ut actu cum creatura cooperans, et rursus est ad instar gratiae versatilis, cui creatura assentitur, quaque utitur ad bene operandum. Et ita opus libero semper adscribitur arbitrio, quod concursum simultaneum seu versatilem gratiam determinat. Atque haec de gratia status naturae innocentis sufficiant.

CAPUT VIII.

An in hoc infirmitatis statu detur gratia ab intrinseco efficax.

Nomine gratiae ex intrinsecis suis efficacis divinam illam intelligimus motionem, quae ab absolutissima Dei voluntate procedens, hominem ad supernaturaliter operandum determinat. Nec ipsa cooperatur, quia volumus; sed volumus, quia ipsa physice et efficaciter operatur. Sed gratiae ab intrinsecis efficacis notio ex iis, quae in superioribus diximus, omnibus manifestissima est. Augustinianae ac Thomisticae scholae sectatores unanimi consensione affirmant, in hoc infirmitatis statu necessariam esse gratiam ab intrinseco et per se efficacem. Moliniani e contra, Congruistae, quique ex his scholis proficiscuntur, id pugnaciter negant. Contra quos sit

CONCLUSIO

Datur in hoc infirmitatis statu gratia ab intrinseco efficax.

MOMENTUM I.

Ex V. ac N. Testamenti Scripturis.

I. Ezech. cap. 36. et seq. legitur: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.* Quo testimonio praedicens Deus per os Ezechielis futura N. T. tempora, ait, tunc se daturum hominibus cor et spiritum novum; ablaturum ab illis cor lapideum, ut cor carneum recipiant; atque facturum, ut bonum velint et operentur. Ast si haec efficax per se gratia non est, quaenam, quaeso, erit? 1. Talis gratia agendi vim non accipit ab aliqua extrinseca conditione, puta, ab humanae consensu voluntatis, sed immediate ab ipso Deo voluntatem humanam determinante: quo sensu S. P. Augustinus in lib. de gr. et lib. arb. cap. 16. inquit: *Certum est, nos facere cum facimus: sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis.* 2. Deus allato in testimonio absolute promittit, se facturum, ut homines faciant, non praedicit, quid homines facturi sint. Ast quae Deus promittit, non ab humanae consensu voluntatis, sed a suo efficaci et absoluto decreto pendent. Unde Augustinus in lib. de spir. et litt. cap. 24. *Hoc enim*, inquit, *Deus promittit, quod ipse facit: non enim ipse promittit, et alius facit, quod jam non est promittere, sed praedicere.* Et in lib. de praed. SS. cap. 10. subdit: Deus *non de nostrae voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod*

homines. Quia etsi faciunt homines bona, quae pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quae praecepit; non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promisit: alioquin, ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.

Respondent adversarii, nihil ex laudato prophetae testimonio erui pro nostra sententia posse; quum Ezechiel ibi discrimen assignet inter vetus ac novum Testamentum, illudque in eo reponat, quod plures in nova, quam in veteri lege ambulent in viis Domini.

Ast qui ita respondent decipiuntur. Legenti siquidem sacrum textum apparet, N. T. laudem in eo esse repositam, quod Deus per sanctae delectationis inspirationem expressam illis verbis: *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo cor carneum*, facit, ut faciamus, et in praeceptis ejus ambulemus, ad veteris legis differentiam, quae justitiam non elargiebatur facientibus eam. Interpretatio itaque illa, tanquam nova et Augustini menti contraria, est rejicienda.

II. Apostolus ad Rom. cap. 8. scribit: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. Per Apostolum ut quis sit filius Dei, debet a Dei Spiritu agi. Porro a Spiritu Dei agi idem plane est, ac efficaciter moveri ac determinari ad bonum opus. Hinc M. Augustinus in lib. de corr. et grat. cap. 2. ait: *Intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant ... Aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant*.

Sed Molinistae respondent, apostolicum textum demonstrare necessitatem gratiae, sine qua nihil facere possumus, non qua efficaciter velimus et operemur.

Non diu in hac solvenda objectiuncula morabor. Animadvertisse sufficiat, quod qui per versatilem gratiam operatur, non determinatur ad opus a gratia; sed ipse pedissequam gratiam determinat et inflectit ad opus. Apostolus autem contrarium in allato testimonio tradit, ut legenti constat. Deinde qui gratiam habent versatilem, a Deo non aguntur, sed potius reguntur; est quippe talis gratia adjutorium *sine quo*, non adjutorium *quo*. Verum Apostolus inquit, bene operantes a Spiritu Dei agi, non regi. Optime Augustinus de gestis Pelag. cap. 3. *Proculdubio plus est agi, quam regi: qui enim regitur, aliquid agit, et a Deo regitur, ut recte agat; qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur: et tamen tantum praestat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet, qui male agere non potest; et hoc cum fecerit, ab illo se ut faceret adjutam esse non dubitet, cui dicitur in psalmo: Deus meus, misericordia ejus praeveniet me.*

III. Joan. cap. 6. ait Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Paulus ad Philipp. cap. 2. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*. Quod si gratia, qua imus ad

Christum et nostram operamur salutem, non esset ab intrinseco efficax, nec traheremur a Patre, nec necessarius nobis esset timor ac tremor, nec operaretur in nobis velle Deus simul et perficere; gratiae enim effectus ac bonum opus a nostro penderent arbitrio.

Respondent adversae sententiae patroni, haec quoque testimonia probare dumtaxat versatilis gratiae necessitatem.

Sed vanam esse hanc exceptionem, patet ex illorum textuum Augustini interpretatione, qui in lib. de gr. Chr. cap. 14. sic allata verba Joannis exponit: *Non est autem consequens, ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis, qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, et actionis effectus est.* In lib. autem de dono pers. cap. 13. ita interpretatur Apostoli verba ad Philipp. *Deus est enim, qui operatur in nobis et velle, et operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus; sed Deus operatur in nobis et velle: nos ergo operamur; sed Deus in nobis operatur et operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit et credere et dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis et submissa confessio, et detur totum Deo.* Multa alia Scripturae testimonia dabimus in subsequentibus.

MOMENTUM II.

Ex orationibus Ecclesiae.

Si Ecclesia orationibus suis gratiam a Deo petat ab intrinsecis suis efficacem, quis talem gratiam in hoc infirmitatis statu requiri, audebit inficiari? Nam S. P. Augustinus in ep. ad Vital. cap. 27. *Nemo*, inquit, *est tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat, Deum facere, quod rogari se praecipit, ut faciat.* Et passim contra Pelagianos eorumque reliquias scribens ait, orationem esse certissimam gratiae testificationem, et irrisoriam esse orationem, qua petimus, quod in nostra est potestate. Unde Caelestinus R. P. in epist. ad Ep. Gall. ait: *Legem credendi statuit lex supplicandi:* et merito, quoniam orationes Ecclesiae sunt verae traditionis argumentum. Ast Ecclesia in orationibus suis revera postulat a Deo gratiam ab intrinseco efficacem. Dom. 4. post Pent. in secr. orat. ita Deum rogat: *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. Fer. IV. post Dom. 2. Quadr. *Dirige ad te tuorum corda servorum, ut, Spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces*. Dom. V. post Pascha: *Largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspirante, quae recta sunt, et te gubernante, eadem faciamus*. In vigil. Pent. *Concede nobis, et nostrae voluntatis pravitatem frangere, et tuorum praeceptorum rectitudinem in omnibus adimplere*. In die Pentec. *Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium*. Et ne longus fiam, singulas Ecclesiae orationes recensendo, hae sunt formulae, quibus illa semper utitur: *Concede, ut exsequamur: Tribue, ut*

faciamus : *Da operatione complere* : *Praesta* , *ut agamus* . Quibus addi potest oratio a Benedicto VII. R. P. edita , qua in sacris congregationibus utuntur summi Pontifices : *Veni ad nos* , *et dignare illabi cordibus nostris* . *Doce nos quid agamus* , *quo gradiamur ostende* , *quid efficiamus operare* . *Esto solus et suggestor et effector judiciorum nostrorum* . *Non nos patiaris perturbatores esse justitiae* , *qui summae veritatis diligis aequitatem* , *ut in sinistrum nos non ignorantia trahat* , *non favor inflectat, non acceptio muneris vel personae corrumpat* : *sed junge nos tibi efficaciter solo tuae gratiae dono* , *ut simus in te unum* , *et in nullo deviemus a vero* . Haec satis ostendunt, Ecclesiam in suis orationibus a Deo poscere gratiam , quae non solum dat posse , sed etiam velle . Gratia porro , quae dat nedum posse , sed etiam velle bene agere , gratia est ab intrinseco efficax . Hoc argumentum tanti ponderis est , ut S. P. Augustinus in lib. de dono persev. cap. 7. non dubitaverit scribere : *Prorsus in hac re non operosas disputationes exspectet Ecclesia* , *sed attendat quotidianas orationes suas* . *Orat* , *ut increduli credant* : *Deus ergo convertit eos ad fidem* . *Orat* , *ut credentes perseverent* : *Deus ergo donat perseverantiam usque in finem* . Quod Augustinus de fide et perseverantia docet , de reliquis intelligi debet pietatis operibus . Illa quippe duo tantum commemorat S. Pater , quoniam Semipelagiani , quos eo in libro refellit , ad illa duo dumtaxat negabant Dei gratiam requiri ex intrinsecis suis efficacem ; in reliquis autem cum Augustino conveniebant , ut videre est in epistolis Prosperi et Hilarii .

Eludere putant adversarii hoc argumentum regerendo , ex orationibus Ecclesiae probari solummodo , admittendam esse gratiam efficacem , non vero hanc efficacem esse ab intrinseco ; alioquin si locutiones illae stricto sensu accipiantur , sequitur , bona opera a nobis sine libertate fieri , quod absurdissimum est .

Sed ridicula est ejusmodi animadversio . Nam quando Ecclesia inquit : *Concede* , *ut exsequamur* : *Tribue* , *ut faciamus* etc. jam intelligitur , orare Deum , ut per gratiam et caritatem voluntas nostra velit et faciat , juxta illud Augustini : *Certum est* , *nos mandata servare* , *si volumus* : *sed quia praeparatur voluntas a Domino ... certum est nos velle* , *cum volumus* ; *sed ille facit* , *ut velimus bonum* .

MOMENTUM III.

Ex strenuissimo gratiae vindice Augustino .

I. Gratia , quae necessaria est in hoc infirmitatis statu , ita ab Augustino innumeris in locis describitur ac definitur , ut satis superque manifestum sit , admissam ab eo fuisse gratiam ab intrinseco efficacem . Quod demonstratur , in medium afferendo varias gratiae hujus status definitiones a sancto doctore traditas . In lib. de gr. Chr. cap. 5. ita scribit : *Ut scirent* , *quia non tantum in eo* , *quod operari possint ... sed etiam in eo* , *quod*

operantur, divinitus adjuvantur, non ait, Deus est enim, qui operatur in vobis posse, tanquam ipsi jam et velle et operari per se ipsos habeant ... sed ait, Deus enim est, qui operatur in vobis et velle et perficere. Cap. ejusdem libri 6. *Sic vult homo*, inquit, *ut tamen Deus voluntati ejus ardorem dilectionis inspiret*. Cap. autem 10. ait: *Nos eam gratiam volumus iste* (Pelagius) *aliquando fateatur, qua futurae gloriae magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur et speratur; non solum revelatur sapientia, verum et amatur; nec solum suadetur omne quod bonum est, verum et persuadetur*. Cap. 13. *Haec gratia ... certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus; ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem*. Cap. 24. docet, gratiam hujus status eam esse, per quam Deus *interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate* operatur *in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates*. Cap. 25. *Non enim ait* (Apostolus), *Oramus, ut possitis nihil mali facere; sed, ne quid faciatis mali: nec ut possitis bonum facere; sed, bonum ut faciatis*. Cap. 33. *Nos autem illam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus: Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et caritatis, et continentiae*. Cap. 35. definit gratiam *adjutorium bene agendi, adjunctum naturae atque doctrinae per inspirationem flagrantissimae et luminosissimae caritatis*. In lib. IV. cont. Jul. cap. 8. gratiam appellat *Dei omnipotentissimam voluntatem*. In lib. I. cont. duas epist. Pelag. cap. 20. dicit illam *efficacissimam, occultissimam voluntatem, ac potestatem, quae convertit, et transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem*. Lib. autem II. cap. 9. definit gratiam caritatem *quae tota nobis ex Deo est*, et benedictionem *dulcedinis ... qua fit in nobis, ut nos delectet, et cupiamus, hoc est, amemus, quod praecipit nobis; in qua si nos non praevenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis*. In lib. de corr. et gr. cap. 14. ait, *gratiam esse inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem*. Quae abunde demonstrant, ab Augustino semper in singulis suis operibus pro hoc infirmitatis statu necessariam agnitam fuisse gratiam ex intrinsecis suis efficacem. Ast Augustini doctrinam circa gratiam doctrinam esse Ecclesiae, demonstratum a nobis est lib. XXVI. cap. ultimo.

Consuetam ad hoc argumentum repetunt adversarii cantilenam, allatas videlicet ab Augustino gratiae descriptiones demonstrare dumtaxat, gratiam ad bonum agendum profluere a Deo, ab ejus nempe virtute et voluntate; quod certe de gratia etiam, cujus effectus ab humana pendet voluntate, verificatur.

Inepta prorsus responsio. Nam non ideo S. doctor gratiam appellat divinae virtutis inspirationem efficacissimam, omnipotentissimam potestatem, et cetera, ut demonstret, gratiam ab omnipotente Deo procedere, sed quoniam consentientem facit hominem, etiam reluctantem et invitum; quoni-

am a nullo duro corde respuitur; quoniam assensum nobis inspirat voluntatis: quae certo non praestabat gratia in statu naturae innocentis, quamvis ipsa a divina virtute proflueret. Quod si non aliud ostendere voluisset S. Pater, quam supernaturalem gratiam a Dei potestate descendere, nonne operam lusisset contra Pelagianos? Hi namque gratiam legis ac doctrinae, quam solam agnoscebant, non diffitebantur a Dei virtute descendere.

II. Habet praeterea S. P. Augustinus praeclara quaedam testimonia, quae gratiae ab intrinseco efficacis necessitatem in hoc nostro statu mirifice astruunt. 1. Etenim in lib. de gr. Chr. cap. 14. ita loquitur: *De isto docendi modo etiam Dominus ait: Omnis, qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur, Audivit quidem, et didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult, quod didicit. Prorsus non recte dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut Veritas loquitur, omnis, qui didicit, venit, quisquis non venit, profecto nec didicit*. Jam vero gratia, quae absolute et infallibiliter effectum producit, est absque dubio gratia per se efficax, ad differentiam gratiae inefficacis, quae cum effectu conjuncta non est. Verum, juxta Augustinum, gratia infallibiliter producit effectum, et quidem independenter a consensu voluntatis. Nam *qui non venerit, non de illo recte dicitur, Audivit quidem et didicit, sibi esse veniendum, sed facere non vult, quod didicit*. Et rursus: *Omnis, qui didicit, venit, quisquis non venit, profecto nec didicit*. 2. In lib. de gr. et lib. arb. cap. 16. ita de Paulo scribit: *Ut autem de caelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola*. Haec sententia peremptoria est. 3. In eodem etiam libro et capite: *Certum est*, inquit, *nos mandata servare, si volumus: sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle cum volumus: sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paullo ante posui, Praeparatur voluntas a Domino ... Certum est, nos facere cum facimus: sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis*. 4. In lib. de corr. et gr. cap. 12. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur; et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur*. Simillima sunt, quae habet in lib. de praed. SS. cap. 8. *Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Infinitus fierem si omnia illustria Augustini loca vellem afferre. Satis sint pauca haec ad suadendum, S. Patris mentem fuisse, gratiam in hoc infirmitatis statu necessariam esse ab intrinsecis suis efficacem.

III. Principia deinde S. doctoris adversus Pelagianos disputantis illius generis sunt, quae non necessitatem modo, sed et efficacitatem gratiae ex suis intrinsecis demonstrent. Et 1. gratia, quae non pedissequa, sed prae-

via est humanae voluntati, est profecto ab intrinseco efficax; non enim ideo effectum producit, quia homo vult, sed e contra homo vult, quia gratia facit ut velit. Ast unum ex Augustini principiis adversus Pelagianos est, divinam gratiam praeviam, non pedissequam esse humanae voluntatis. In epist. siquidem ad Vital. *Quaestio*, inquit, *quae inter nos agitur, est, utrum haec gratia praecedat, an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut plenius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam etiam Deus efficiat, ut velimus*. Tenebat autem ipse, gratiam efficere ut velimus, ut ex superius dictis, et ex lib. I. de div. QQ. ad Simplic. apparet, ubi gratia dicitur *vocatio ita effectrix bonae voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur*. 2. Quando totum opus Deo tribuitur, tunc gratia est ab intrinseco efficax, non quod liberum arbitrium passive se habeat, sed quod a Deo agatur ut agat. Sanctus Pater tanquam certum principium statuit, in confitenda gratia totum opus tribuendum esse Deo. In lib. namque de dono pers. cap. 6. scribit: *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, et nobis ex parte committimus: quod vidit iste venerabilis martyr* (Cyprianus). *Nam ... ait: Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe arroganterque aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat ... ut dum praecedit humilis et submissa confessio, et datur totum Deo ... ipsius pietate praestetur*. 3. Gratia ab intrinseco efficax est, cujus effectus non ab hominis consensu, sed a Dei potentia ac dominio in nostras voluntates oritur. Hoc est tertium ab Augustino assumptum principium contra Pelagianos ac Semipelagianos. Nam in lib. de corr. et gr. cap. 14. *Numquid*, inquit, *iste posset adversari voluntati Dei, et non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum suum ... ut hoc vellet, diceret, et faceret?* Et iterum: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in caelo, et in terra quaecumque voluit fecit, et qui etiam illa, quae futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit*.

IV. Characteres praeterea, qui gratiae ab intrinseco efficaci conveniunt, conveniunt etiam gratiae ab Augustino contra Pelagianos commendatae. Et 1. unus ex Augustinianae gratiae characteribus est, quod gratia difficile admodum conciliatur cum libero arbitrio. Unde in lib. de gr. Chr. cap. 47. inquit: *Ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. Talis est gratia ab intrinseco efficax, ipsis fatentibus adversariis; in quorum systemate difficultas haec non invenitur. 2. Alter Augustinianae gratiae character est, quod in assignanda caussa, cur unus credat, non alter, recurrendum sit ad apostolicam exclamationem: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* Patet id ex

Augustino in lib. de dono pers. cap. 9. ubi inquit: *Ex duobus aetate jam grandibus impiis , cur iste vocetur , ut vocantem sequatur , ille autem aut non vocetur , aut non ita vocetur ... inscrutabilia sunt judicia Dei*. Lege etiam quae habet in lib. de spir. et litt. cap. 34. et in lib. II. de pecc. mer. cap. 5. atque in aliis bene multis locis. Verum recensitus mox character convenit quidem gratiae ab intrinseco efficaci , non vero gratiae versatili , quippe quod , hac supposita , cur unus bonum agat , non alter , ratio est , quia unus vult , alter non vult . 3. Adversus gratiam ab Augustino statutam locum habebant hae objectiones: quod, illa admissa , destrueretur libertas ; quod homines inducerentur in desperationem ; quod fierent correptiones inutiles : ut videre est in singulis Augustini operibus contra Pelagianos eorumque reliquias, ita ut ex hoc charactere Augustini sententia discerneretur. Porro gratia ab intrinseco efficax , qualis a nobis admittitur , nonne easdem patitur apparentes difficultates ?

V. Ex divisione adjutorii in adjutorium *sine quo* atque adjutorium *quo* aliud petitur invictissimum pro nostra sententia argumentum. Itaque S. Pater in lib. de corr. et gr. duplex distinguit adjutorium , *sine quo* , videlicet , et *quo*. Illud comparat alimentis , sine quibus non possumus vivere ; istud vero beatitudini , qua homo , cum data fuerit , fit continuo beatus. Verba duplex hoc adjutorium exprimentia prostant in citato libro cap. 12. et recitata a nobis sunt cap. libri hujus 6. Ait denique S. doctor , Adamo ante peccatum collatum solummodo fuisse adjutorium *sine quo* , in hoc autem corruptae naturae statu dari a Deo hominibus ad bonum agendum non solum adjutorium *sine quo* , sed etiam adjutorium *quo*. *Nunc vero* , inquit , *sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis non tale adjutorium perseverantiae datur* (quale datum fuit Adamo innocenti) , *sed tale , ut eis perseverantia ipsa donetur ; non solum , ut sine isto dono perseverantes esse non possint , verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint*. Caussa autem , quae Augustinum ad illa duo distinguenda adjutoria movit , fuit discrimen , quod inter statum naturae innocentis ac statum naturae corruptae intercedit. In primo quippe statu , quum homo integer ac sanus esset viribusque valeret , auxilio dumtaxat indigebat , *sine quo* bonum agere non poterat ; nunc vero , quoniam homo per peccatum contraxit ignorantiam , concupiscentiam , proindeque maximam infirmitatem , auxilio indiget , *quo* velit et operetur bonum , quodque proinde sit validius illo , quod habuit Adam. Sed ne eadem repetamus , relege quae scripsimus cap. 6. et 7. hujus libri. Nunc ergo brevi utamur ratiocinatione. Juxta S. P. Augustinum homo in hoc infirmitatis statu ut bonum supernaturale operetur , indiget auxilio , *quo* fit ut operetur. Ejusmodi autem auxilium gratia est ab intrinseco efficax. Nam 1. differt auxilium hoc ab eo , quod collatum fuit Adamo innocenti , quodque erat versatile , ut cap. 6. probavimus. Quare auxilium hoc est ab intrinseco efficax. 2. Ratio per Augustinum, cur gratia hujus status validior est ac potentior gratia Adami innocentis , est hominis concupiscentia et aegritudo. Haec porro exigit gratiam ex intrinsecis suis efficacem. 3. Explicans S. Pater , quaenam sint ma-

jora illa dona, quibus juvanda remansit infirmitas, inquit: *Tantum quippe Spiritu S. accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitae hujus ... ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret*. Nonne haec luculentissima sunt? 4. Definiens Augustinus adjutorium *quo* in hoc infirmitatis statu necessarium, comparat, ut diximus, illud beatitudini, *qua homo, cum data fuerit, continuo fit beatus*. Ast vero beatitudo reddit hominem sua natura beatum, ad differentiam alimentorum, quibus idem S. Pater comparat adjutorium *sine quo*, quae quum adfuerint, non fit ut vivat, qui mori voluerit. Quapropter auxilium *quo* est gratia ab intrinseco efficax, sicuti auxilium *sine quo* gratia est versatilis.

Multa ad hoc argumentum respondent adversarii. I. Si per Augustinum gratia efficax comparanda est beatitudini, sequitur oppido, talem gratiam liberum adimere arbitrium, quomodo adimit illud beatitudo. II. Discrimen, quod Augustinus inter auxilium *sine quo* et auxilium *quo* statuit, in hoc consistit, quod illud mentem dumtaxat illuminabat, hoc autem et voluntatem accendit, modo tamen versatili. III. Duo illa adjutoria, de quibus Augustinus, utique ad invicem distinguuntur; sed ab extrinseco tantum, non ab intrinseco: adjutorium scilicet *quo* est gratia, cui voluntas assentitur, adjutorium autem *sine quo* est gratia, cui voluntas assensum non praebet. IV. Vel dici potest, adjutorium *sine quo* esse gratiam a Deo creaturae collatam in iis circumstantiis, in quibus Deus per scientiam mediam praevidit, non esse assensuram, auxilium autem *quo* gratiam in circumstantiis collatam, quibus Deus praevidit, creaturam fore consensuram.

Sed omnia haec frigida admodum sunt. Atque ad 1. Norunt omnes, comparationes non in omnibus ac singulis partibus respondere rebus, pro quibus instituuntur. In hoc instituta ab Augustino inter beatitudinem et adjutorium *quo* comparatio consistit, quod sicut beatitudo per se facit hominem continuo beatum, eum ad felicitatem determinando, ita auxilium *quo* efficax est per se, hominemque, cui datur, ad bonum determinat opus.

Ad 2. In primis falsum omnino est, auxilii *sine quo* munus fuisse mentem dumtaxat illuminare, ut cap. hujus libri 6. demonstravimus. Deinde quidquid sit de munere adjutorii *sine quo*, auxilium *quo* hujus status non solum intellectum illustrat, sed ita voluntatem inflammat, ut accipiat velle, tantumque velle, ut voluntas sibi ipsi non relinquatur, quum modo creaturae apto a Deo moveatur et agatur, ut indeclinabiliter et insuperabiliter operetur. Est ne hujusmodi auxilium versatile?

Ad 3. Allata in argumento expositio aliena prorsus est ab Augustini mente. Nam 1. comparat S. Pater auxilium *quo* beatitudini: haec autem

agit ex intrinsecis suis. 2. Auxilium *quo* potentius est atque validius auxilio *sine quo*, dicente S. doctore in lib. de corr. et gr. *Haec est*, *quae data est primo Adam : sed haec potentior est in secundo*. Quod plane non verificatur in contraria opinione. 3. Adversariorum admissa animadversione, homo per peccatum non contraxisset infirmitatem; eodem quippe auxilio adjutus ac innocens Adam bonum posset operari.

Ad 4. Non minus ac reliquae exceptiones frivola est haec posterior. 1. Quoniam gratia sanctis Angelis collata auxilium fuit *sine quo*, et quidem collatum iis in circumstantiis, in quibus Deus, juxta adversarios, per scientiam mediam praeviderat fore consensuros, quum revera perseveraverint. Falsum itaque est, adjutorium *sine quo* gratiam esse in iis circumstantiis collatam, in quibus praevidit Deus, non fore creaturam assensum suum praebituram. 2. Etiam Adam auxilium habuit non *quo*, sed *sine quo*. Et tamen antequam peccaret plures elicuit fidei spei et caritatis actus. 3. Demum ratio, cur per Augustinum datur homini nunc auxilium *quo*, est humanae naturae per peccatum infirmitas; unde appellat illud *auxilium medicinale*. Non id autem verificaretur, si efficax esset ab extrinseco: relinqueret enim hominem in sua infirmitate, quum gratiae hujus effectus a voluntatis infirmae dependeret assensu.

MOMENTUM IV.

Ex aliis Ecclesiae Patribus.

S. P. Augustinus in lib. de praed. SS. cap. 14. optime animadvertit, non *opus esse ut eorum scrutemur opuscula*, *qui priusquam ista haeresis* (pelagiana) *oriretur*, *non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari* : *quod proculdubio facerent*, *si respondere talibus cogerentur*. *Unde factum est*, *ut de gratia Dei quid sentirent*, *breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attingerent*; *immorarentur vero in eis*, *quae adversus inimicos Ecclesiae disputabant*, *et in exhortationibus ad quasque virtutes* etc. Sed hanc S. Patris regulam alibi illustravimus. Quae licet ita se habeant, non desunt tamen sapientissimi et ante et post Augustinum patres, ex quibus luculentissima pro nostra sententia depromi possunt testimonia. Horum agmen ducet Clemens Romanus, qui in sua ad Corinthios epistola numero 8. inquit: *Volens igitur omnipotenti sua voluntate stabilivit*. Ignatius martyr in ep. ad Smirn. *Dignus*, inquit, *factus sum secundum voluntatem Dei*, *non ex conscientia*, *sed ex gratia*, *quam oro perfectam mihi dari*. Irenaeus lib. IV. cap. 70. *Deus gratuito quidem donat in quos oportet*; *secundum autem meritum dignissime distribuit adversus ingratos justissimus retributor*. Tertullianus in lib. de anima cap. 21. ait: *Haec est vis divinae gratiae*, *potentior utique natura*, *habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem*. Cyprianus lib. III. ad Quirin. scribit: *In nullo gloriandum*, *quando nostrum nihil sit*. *Quid enim habes*, *quod non accepisti?* Gre-

gorius Nazianzenus orat. 32. explicans Apostoli verba: *Non volentis*, *neque currentis* etc. inquit: *Ita quoniam velle ipsum quoque a Deo est*, *optimo jure totum Deo assignavit*. Chrysostomus hom. IV. in gen. definit gratiam *donum supra naturam*, *naturam ipsam vincens*. Basilius lib. de Spir. S. cap. 8. appellat gratiam *auxilium*, *quod per imperium suae potentiae operatur in nobis*. Et serm. de lib. arb. dicit gratiam *insuperabilis potentiae*. Ambrosius in ep. ad Demetriad. ait: *Quis audet dicere*, *se a Christo non dividi*, *qui Christum in se diffitetur operari? An forte verendum est*, *ne liberum tolli videamur abitrium*, *cum omnia*, *per quae propitiatur Deus*, *ad ipsum dicimus esse referenda?* Post Augustinum fidissimus discipulus ejus Prosper non aliud docuit, quam hujus status gratiam esse ab intrinseco efficacem ob humanae naturae infirmitatem. Ita in ep. ad Ruf. affirmat, quod gratia Dei *ex invito volentem facit*, *et quibuslibet modis infidelitatem obsistentis inclinat*, *ut cor audientis*, *obediendi in se delectatione generata*, *ibi surgat*, *ubi premebatur*, *ibi discat*, *ubi ignorabat*, *ibi fidat*, *ubi diffidebat*, *inde velit*, *unde nolebat*. S. Fulgentius lib. I. de verit. praed. et grat. cap. 15. *Ista gratia*, inquit, *ut eligatur*, *ipsa prius eligit*, *neque suscitatur atque eligitur*, *nisi hoc ipsa in corde hominis operetur*. Aliorum sententias patrum non recenseo, ne in longum nimis abeat oratio. Ex his interim satis apparet, universam Ecclesiae traditionem credidisse semper, gratiam ad bonum agendum in hoc infirmitatis statu necessariam esse ab intrinseco efficacem.

MOMENTUM V.

Ex theologica ratione.

Admittenda in Deo est metaphysica necessitas, ut hominum voluntates quocumque voluerit possit inclinare, et ut quodcumque durissimum cor emollire valeat. Ait quippe Scriptura proverb. cap. 21. *Cor regis in manu Domini*: *quocumque voluerit*, *inclinabit illud*. Et Apostolus ad Rom. cap. 9. *Cujus vult miseretur*, *et quem vult indurat*. Addit Augustinus in lib. de corr. et gr. cap. 14. *Sine dubio habens* Deus *humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem* ... *Magis* enim *habet in potestate voluntates hominum*, *quam ipsi suas*. Et naturali quoque suadetur ratione. Nam Deus supremum habet in creaturas suas dominium; quod plane non verificaretur, nisi metaphysicam illam haberet necessitatem. Jam vero non esset in Deo metaphysica illa necessitas movendi et inclinandi pro lubitu corda et hominum voluntates, nisi gratia, quam voluntati tribuit ad bonum agendum, esset ab intrinseco efficax. Neque enim ea necessitas salvari in adversariorum systemate potest, ut suo loco dicemus.

Nimis, dicunt adversarii, allatum mox argumentum probat. Demonstrat videlicet, etiam in statu naturae innocentis necessariam fuisse gratiam ab intrinseco efficacem; quoniam tunc etiam erat in Deo metaphysica necessitas inclinandi atque flectendi hominum corda et voluntates.

Falsa autem est haec responsio. Nam in statu quoque naturae innocentis, si Deus innocenti creaturae gratiam inspirare voluisset per se efficacem, utique potuisset, quippe quod in sua potestate habet creatas voluntates. Ideo autem talem creaturae innocenti non contulit gratiam, quoniam infirma non erat. Quumque sana esset et integra, experiri voluit quid in ea voluntatis valeret arbitrium. Nunc vero, quoniam humana natura per peccatum sauciata est atque infirma, ratione suae infirmitatis gratiam exigit per se efficacem; et Deus, qui summam habet in hominum voluntates potestatem, eam homini lapso gratiam elargitur. Atque argumentis pro gratia ab intrinseco efficaci tuenda finem ponimus. Nunc adversantium proponenda sunt argumenta, ut veritas nostrae sententiae magis appareat.

CAPUT IX.

Contraria argumenta dissolvuntur.

Vetus est adversariorum nostrorum cantilena, gratiam scilicet ex intrinsecis suis efficacem arbitrii evertere libertatem. Ab Augustini temporibus coepit haec spargi in Ecclesia querimonia. Qui enim, ajebant, fieri potest ut sub gratia, quae voluntatem ad agendum praedeterminat, in eadem voluntate potentia remaneat ad non agendum? Quod si potentia isthaec tollatur, nonne libertas ad merendum vel demerendum adimitur? Placeret mihi quam maxime ab hoc argumento nostrae scholae tirones expedire respondendo cum M. Augustino, difficile admodum esse humanam libertatem cum gratia conciliare; modum operandi gratiae mysterium esse mentibus humanis impervium; et ubi apertissimam habemus januam Scripturarum ac luculentissimam traditionem, quaerendas non esse subtilissimas humanae ratiocinationis rimas. Quod si responsioni huic adversarii non acquiescerent, quomodo non acquieverunt olim Massilienses, mihi placeret addere et illud B. Thomae, quod prostat in lib. XXII. de verit., Deum nempe in voluntate ac libero arbitrio operari modo sibi conveniente et accommodato: *Dicendum, quod Deus operatur in voluntate et libero arbitrio secundum ejus exigentiam. Unde si voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc sua omnipotentia facit, ut illud, in quo mutatur, voluntarie, id est, libere velit*. Sed adversariis nostris quid humanum valeat ingenium experiri volentibus, responsiones hujusmodi non arrident, dicentes, recidi his, non solvi difficultatis nodum. Ut eis ergo morem, quantum volent, geramus, antequam eorum refellamus objectamenta, nonnulla de concordia divinae gratiae cum libero arbitrio dicenda sunt. Sed videndum prius, qua via incedant alii, ut argumentum illud dissolvant.

Discipuli S. Thomae recursum habent ad sensum compositum atque divisum, ajentes, humanam voluntatem resistere posse gratiae determinanti in sensu diviso, non autem in sensu composito. Voluntas enim quamdiu sub gratia consideratur, non potest non assentiri; ast potentiam retinet ad dissentiendum, quia potest a gratia dividi ac separari, adeoque dissentiri. Res-

ponsio haec sustineri aliquo sensu potest, et cum sententia nostra, de qua paullo post, conciliari, quemadmodum facit cl. noster Berti. Ea tamen non utemur, quoniam adversarii reponere possunt, salvandam in voluntate esse potentiam dissentiendi etiam quamdiu voluntas sub gratia consideratur; alioquin si voluntas sub gratia considerata potentia careret ad dissentiendum, voluntas sub gratia non esset libera. Nam etiam beati, inquiunt, in sensu diviso intuitivae visionis potentiam habent ad peccandum; nec proinde ea potentia facit, ut beati liberi sint ad peccandum.

Respondent alii, voluntatem humanam gratiam exigere ab intrinseco efficacem non ex naturali creaturae essentia, sed per accidens; ratione videlicet superinductae per peccatum infirmitatis. Quumque nullum accidens rei essentiam tollere queat, voluntas a gratia per se efficaci per accidens determinata, vertibilis semper remanet ad assensum vel dissensum. Verum neque solutio haec satis firma videtur. Etenim quamvis voluntas gratiam non natura sua, sed per accidens, ratione nempe infirmitatis, exigat, non video tamen, cur privari libertate non possit. Nam quod est accidentale rei essentiam certe mutare nequit; sed potest tamen naturam ipsam, ne effectum aliquem producat, impedire. Puta, visio beatifica, quum sit quid accidentale beatis, ab eorum voluntate arbitrii libertatem non tollit ad bonum et malum; et nihilominus ita illos ad bonum necessitat, ut amplius non habeant ad malum indifferentiam. Posset ergo idem praestare gratia ab intrinseco efficax.

Missis itaque aliorum solutionibus, nostram proponamus sententiam. Sed antequam illam tradamus, in memoriam sunt revocanda, quae prioribus hujus libri capitibus fuse explicavimus. 1. Voluntas semper agit ex ratione boni per intellectum cogniti et apprehensi; quum enim naturaliter bono delectetur, naturaliter quoque a bono movetur. 2. Si duo exhibeantur voluntati bona, ipsa ita sequitur bonum, quod majus apparet, ut licet possit bonum minus eligere, nunquam tamen eveniet, ut relicto majore minus sequatur. 3. Voluntas necessario sequitur bonum sibi ab intellectu sub omni ratione boni propositum. 4. Si vero voluntati exhibeatur ab intellectu bonum sub ratione boni malo admixti, judiciique remaneat in intellectu indifferentia, qua boni malique rationes in objecto apprehendat, eo in casu necessitari voluntas non potest ad objectum illud sequendum, sed libera ad illud amandum remanet vel odio habendum. 5. Deus per gratiam suam nil aliud denique praestat, quam intellectum illuminare, ut in objecto bonum illud agnoscat, quod prius latebat, et sanctam voluntati inspirare delectationem, ut suave illi reddatur, quod prius non delectabat. His probe assecutis, omnis ex humana libertate adversus gratiam ab intrinseco efficacem difficultas evanescit. Gratia namque efficax, quantumvis magna sit et victrix, numquid homini objectum sub omni ratione boni nullo admixti malo ostendit, ut facit in patria lumen gloriae beatis? Minime. Creatura enim sub efficaci posita gratia in objecto sibi sub ratione boni proposito multas cognoscit mali rationes: unde remanet ad bonum ac malum indifferens etiam in sensu composito. Quod si quis dicat, intel-

lectum sub efficaci gratia majores in objecto apprehendere boni quam mali rationes, majoremque voluntatem ab ea gratia inspiratam ad bonum experiri delectationem, quam a concupiscentia inclinetur ad malum, quid denique conficiet? Hominem scilicet sub efficaci gratia constitutum absolute, indeclinabiliter et insuperabiliter bonum operari; sed cum potentia ad illud non operandum. Nam voluntas sub efficaci gratia etsi bonum absolute operabitur, quoniam in sibi proposito objecto majores boni invenit quam mali rationes, adeoque magis bono delectatur, quum tamen in eodem objecto videat etiam rationes mali, quibus per concupiscentiam delectari posset, poterit profecto malum operari. Atque haec est ad merendum vel demerendum libertas indifferentiae. Nec est quod quis regerat, voluntatem sub majoribus gratiae quam concupiscentiae gradibus necessario debere gratiae, non concupiscentiae motibus obtemperare. Nam peto ab hisce ratiocinatoribus: gratia quamvis magna ac validissima aufert forsan ab homine concupiscentiam? Non certe; sed ea remanet usque ad agonem. Peto rursus: potis est ne homo concupiscentiae suae gradus augere usque in immensum? Potis est, quia nullum ad peccandum extrinsecum requiritur auxilium, ut probe observat Augustinus. Itaque homo sub gratia etiam magna ac validissima constitutus, propriae concupiscentiae gradus augere ita potest, ut numerum graduum superet sanctae delectationis a gratia inspiratae; proindeque poterit bonum sibi a gratia propositum non amplexari. Id certe nunquam eveniet, quoniam voluntati Dei nemo resistit; atque adeo homo non volet. Sed si vellet, utique posset. Idcirco quamvis magna sit sancta delectatio per gratiam inspirata comparate ad gradus cupiditatis, in homine remanet semper libertas indifferentiae ad assentiendum vel dissentiendum eidem gratiae. Pauca haec summatim adnotata ad singulas adversariorum cavillationes solvendas ac refutandas sufficerent. Verum quoniam difficilia haec videntur tironibus, hujus doctrinae capita singulis adversariorum objectionibus aptare curabimus. Proinde

Obj. 1. Gratia ab intrinseco efficax praedestinationem supponit antecedentem, aeternum scilicet Dei decretum. Ast ubi antecedens praesupponitur definitio, ita creata voluntas assentitur, ut proxime potens non sit ad dissentiendum neque in sensu composito neque in sensu diviso. Non in sensu composito, quoniam nequit praedefinitio cum actuali dissensu componi; non in sensu diviso, quippe quod nequit humana voluntas divinam vel impedire vel abjicere praefinitionem; alioquin plus humana quam divina voluntas posset. Voluntas ergo sub gratia efficaci potentiam non retinendo ad dissentiendum, libertatem amittit. II. Hinc homo sub tali gratia constitutus se habet ut homo compedibus aggravatus, qui potentiam ac libertatem non habet ad ambulandum. III. Et revera. Antecedens illud Dei decretum, quod ab efficaci gratia supponitur, incompossibile est cum dissensu, nec a voluntate impediri potest; immo illud impedit voluntatem, ne ponat dissensum. IV. Demum quum ex necessario non sequatur nisi necessarium, ex necessario mihi non sequitur nisi necessarium mihi. Praedefinitio autem consensus in eorum sententia, qui gratiam admittunt ab

intrinseco efficacem, est mihi necessaria, neque impediri potest a voluntate. Quapropter ex antecedente praedefinitione non sequitur nisi consensus mihi necessarius. Et en de medio sublata libertas.

Resp. ad 1. Creata voluntas ab antecedente praedefinitione de danda gratia efficaci praedeterminata non habet ad dissentiendum potentiam proximam et expeditam, sed habet potentiam remotam; quod satis superque sufficit ad salvandam libertatem. Si namque potentia proxima ad dissentiendum necessaria foret ad salvandam libertatem, haec plane destrueretur etiam sub gratia congrua Suaresianorum confitentium, sub ea gratia non haberi quidem in voluntate potentiam proximam, remanere tamen potentiam remotam. Et en quomodo in nostra sententia per solam potentiam remotam salvatur libertas. Quamvis intellectus sub gratia positus efficaci majores in proposito objecto boni quam mali rationes cognoscat, quum tamen mali rationes in illo utique agnoscat, remanet in eo indifferentia judicii. Posita in intellectu indifferentia judicii, voluntas profecto potentiam retinet ad objectum sibi ab intellectu propositum sequendum vel fugiendum. Nonne ergo retinet potentiam ad dissentiendum? Sed quoniam in proposito objecto majores potioresque sunt boni quam mali rationes, voluntas certo et infallibiliter objectum amplexabitur, sed potentiam ad illud fugiendum retinebit; quae potentia in scholis dicitur *possibilitatis*, non *futuritionis*. Quod autem adversarii ajunt de sensu composito atque diviso, sic intelligendum est, quod nequit voluntas simul praedefinitionem componere atque dissensum; alioquin assentiretur simul et non assentiretur. Potest tamen simul componere praedefinitionem et potentiam ad dissensum, quamvis potentia haec remota sit, non proxima, hoc est, *possibilitatis*, non *futuritionis*.

Ad 2. Inepta est ac insulsa compedum comparatio. Compedes quippe ita hominem cogunt ad non ambulandum, ut quamvis ambulare velit, non possit. Ast gratia ab intrinseco efficax voluntatem non cogit ad assentiendum, quum non invita aut reluctans objectum sibi a gratia propositum ad sequendum amplectatur. In hoc ergo efficax gratia compedibus assimilatur, quod sicuti compedes sunt ineluctabile homini impedimentum, ne illis aggravatus deambulet, ita gratia efficax est non superandum impedimentum, ne homo illa exornatus dissentiat. In hoc autem ab efficaci gratia compedes discrepant, quod hi licet ambulandi non tollant potestatem, cogunt tamen ad non ambulandum; efficax e contra gratia non solum potentiam non tollit ad dissentiendum, sed neque cogit ad assensum; quum voluntas sub gratia efficaci dissentiri possit si velit, ut paullo ante monuimus.

Ad 3. Praedefinitio consensum antecedens voluntatis est incompossibilis cum dissensu actuali, non vero cum potentia dissentiendi. Item nequit voluntas potentia proxima et expedita conjungenda cum actu impedire consensum; sed consensum impedire potest potentia remota cum actu conjungibili. Et similiter hoc sensu praedefinitio antecedens impedit voluntatem, ne ponat dissensum, quatenus nempe impedit, ne actu dissentiat, non vero ne possit dissentire potentia possibilitatis seu remota. Manifesta sunt haec ex dictis superius, et magis explicari possunt exemplo amoris, quo unus

quisque erga propriam fertur conservationem. Amor hic est omnino antecedens conservationem vitae, quum sit caussa cur vitam conservemus. Quis autem dicat, talem amorem liberum evertere arbitrium? Est quidem cum propria interemptione incompossibilis. Ast numquid incompossibilis est cum potentia sese interimendi? Minime; quoniam licet voluntas nunquam se interimere volet, posset tamen, si vellet. Reddit sane amor ille voluntatem ad se interficiendum impeditam, ast non impedit voluntatem, quin possit homo si velit sese interimere. Cujus rei ratio manifestissima est, quoniam amor propriae vitae non tollit ab homine indifferentiam judicii. Quamvis enim a suae conservationis amore praedominatus potiores boni quam mali in propria vita agnoscat rationes, quum possit nihilominus aliquam in eadem vita sua apprehendere rationem mali, ob quam propriam possit non amare sed odisse vitam, potentiam retinet ad se interficiendum. Eodem modo de gratia loquendum est efficaci. Praecedit ipsa humanam voluntatem, a qua exigit consensum, quum ei objectum proponat sequendum sub majore ratione boni; ast potest intellectus in eodem objecto aliquam apprehendere rationem mali. Et en indifferentia judicii, qua posita, remanet in voluntate potentia ad dissensum. Id certe nunquam eveniet; atque hoc sensu gratia ab intrinseco efficax infallibiliter suum producit effectum. Ast potest evenire; adeoque non adimitur voluntati libertas.

Ad 4. Multis responderi potest modis. Et 1. consensus non ex gratia efficaci ad unum determinata dumtaxat consequitur, sed etiam ex libera voluntate tanquam ex comprincipio. Quare si consensus dici debet necessarius, quoniam sequitur ex necessario, dici debet quoque liber, quoniam ex libero sequitur. Immo dici debet absolute liber, quum conclusio, ut Logici inquiunt, debiliorem sequatur partem. 2. Propositio haec: *Ex necessario non sequitur nisi necessarium*, simillima est propositioni illi: *Quod ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, illud inimpedibile est et necessarium*. Quare propositio damnata olim fuit a Sixto IV. in Petro de Rivo, et ab eodem Petro retractata. 3. Ex necessario mihi non sequitur nisi necessarium mihi. Verum potentia volitiva est mihi necessaria ad volendum; adeoque quaevis volitio mihi necessaria est, non libera: quod cogitare absurdissimum est. Itaque solvamus directe sophisticum argumentum. Ex necessario non sequitur nisi necessarium, inspecta natura principii necessarii, non natura inspecta alterius comprincipii, cui necessarium illud necessitatem non infert. Aliud quippe est, principium aliquod necessarium mihi esse ad operandum; et aliud, principium illud ad operandum me necessitare. Potentia v. g. volitiva est principium mihi necessarium ad volendum; sine hac enim potentia velle non possum. An proinde potentia volitiva necessitat me ad volendum? Si id consisteret, nulla esset libera volitio. Gratia igitur quum ex se determinata sit ad bonum, necessario producit opus bonum, et bonum opus necessario sequitur ex gratia. Numquid a gratia profluere potest opus malum? Hinc ex gratia, quae mihi datur, necessario sequitur non malum, sed bonum, sicuti ex posita cupiditate consequitur non bonum, sed malum. Et hoc sensu ex necessario

sequitur necessarium. Verum gratia, quae de natura sua habet, ut non malum, sed bonum opus producat, non me ad operandum bonum necessitat, quoniam ita mihi datur, ita in voluntate mea operatur, ut potentiam mihi relinquat ad bonum non amplectendum, quod mihi proponit, quoniam illud non sub omni, sed sub aliqua, licet majore, ratione boni mihi proponit. Rem explico exemplo paullo superius allato. Ex amore conservandae vitae necessario sequitur vitae conservatio, quia hoc amor ille de natura sua habet, ut vita servetur. Ast quando ego ab amore propriae vitae dominor, numquid necessitate feror in propriae vitae conservationem? Minime; sed liber sum ad propriam vitam non conservandam, quippe quod amor ille proponit mihi quidem vitam sub majore ratione boni, sed a vita ipsa rationem non tollit mali, quam in ea apprehendere posset intellectus ac voluntati exhibere. Ita se gerit in nobis gratia. Ipsa est utique necessaria, quod natura sua habeat bonum producere opus; non autem necessaria, quod voluntatem necessitet ad operandum, quia bonum non proponit sub omni ratione boni.

Obj. 2. I. Libertas indifferentiae est potestas agendi et non agendi, positis omnibus ad agendum requisitis. Verum voluntas posita sub gratia per se efficaci non retinet potentiam ad non agendum; quoniam gratia ab intrinseco efficax dat ipsum indeclinabiliter operari. II. Et voluntas quidem, ut sub tali gratia posset aliquo modo non agere, habere deberet in actus suos dominium. Non habet autem, tum quoniam est a gratia praedeterminata ad unum; tum etiam quia mutare aut frustrare nequit praedeterminans Dei decretum. III. Neque recurrere juvat ad sanctam delectationem, quae magis, non necessario delectat. Nam notissima est Augustini sententia: *Quod magis delectat, illud sequamur necesse est*. Unde si objectum ab efficaci gratia voluntati exhibitum magis delectat, jam necessario ad se trahit voluntatem. IV. Inquit praeterea Tridentinum concilium, *liberum arbitrium a Deo motum et excitatum posse dissentiri si velit*. In casu autem nostro dissentiri non posset, etiam si vellet. V. Ac denique, ex quo gratia ab intrinseco efficax infallibiliter suum producat effectum, assimilari omnino videtur fato gentilium, quod libertatem evertebat.

Resp. ad 1. Argumentum hoc praeoccupatum jam est in antecedentibus. Voluntas videlicet sub efficaci posita gratia non retinet ad agendum potentiam proximam et expeditam, seu *futuritionis*; retinet tamen potentiam remotam, seu *possibilitatis*. Ex quo autem eadem gratia det ipsum indeclinabiliter operari, sequitur, gratiam absolute et indeclinabiliter, non autem necessario in humana voluntate bonum producere opus, propterea quod non exhibet illi objectum sub omni ratione boni, ut saepe monuimus.

Ad 2. Voluntas humana nullum utique habet in praedeterminans Dei decretum dominium. Neque enim ab ea, ut ponatur vel non ponatur, pendet. Ast habet voluntas dominium in se ipsam, adeoque in actus suos; quod satis est ad libertatem. Nam actus a voluntate mota ab efficaci gratia elicitus duo habet principia; Dei nempe decretum praedeterminans, et ipsam humanam voluntatem. Quatenus actus pendet a Dei decreto tanquam

a principio, proculdubio necessarius est, nec voluntatis imperio subjacet; neque enim ad ipsam pertinet, ut ponatur vel non ponatur, vel propriam mutet naturam. Ast quatenus actus idem à voluntate tanquam ab altero suo principio pendet, in actum utique dominium habet; et dum illum ponit, ideo ponit, quia vult, ac libere illum ponere vult. Atque idcirco si in eo dominio libertatis natura consistit, quum voluntas ab efficaci gratia praedeterminata eo dominio non careat, neque carere dicenda est plena sua libertate.

Ad 3. Saepe a nobis superius traditum est, quo sensu S. P. Augustinus scripserit: *Quod magis delectat, illud sequamur necesse est*; sumit videlicet necessitatem lato quodam modo. Proinde hunc habent allata verba sensum: *Illud infallibiliter sequimur, quod magis delectat*, non *possibilitatis* excludendo potestatem ad illud non sequendum.

Ad 4. Etiam nos affirmamus, liberum arbitrium ab efficaci gratia motum et excitatum dissentiri posse, si velit. Quis hoc unquam negavit? Dicimus tamen, liberum arbitrium dissentiri non velle, etiam si possit.

Ad 5. Æquali confidentia a Massiliensibus eruditi exprobrant nobis adversarii fatum gentilium. Sed inaniter prorsus. Nam fatum gentilium et haereticorum est quaedam necessitas, ex naturalium caussarum serie orta, quae humanam voluntatem, invitam licet ac reluctantem, cogebat ad operandum. Numquid tale aliquid a nobis admittitur? Primus effectus, quem juxta nostram sententiam gratia producit, est, ut voluntas velit, praebendo illi vires efficacissimas.

Obj. postremo. I. Gratia per se efficaci semel admissa, inutiles plane sunt exhortationes, absurdae exprobrationes aeque ac correptiones. Is enim absurde monetur, ac injuste corripitur et exprobratur, cui omnia ad agendum necessaria non suppetunt. Ita accidit illi, cui efficax ab intrinseco gratia deest; neque enim tenetur eam Deus cuique tribuere juxta Augustini discipulos. II. Immo non omnibus gratiam ad bonum agendum, ut defensores gratiae ab intrinseco efficacis defendunt, a Deo dari, est sibi providentiae ordinem fingere, in quo durus Deus apparet.

Ad 1. resp. 1. Hujusmodi difficultates, uti et illae in superioribus relatae, contra sententiam nostram objectae, sunt illae eaedem, quas Massilienses adversus Augustinum objiciebant, ut ipse testatum reliquit in lib. de dono persev. cap. 15. *Sed ajunt, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiae, audientibus multis: Ita se habet praedestinationis definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel, accepta perseverantia, maneatis in fide; ceteri vero, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratiae miserantis erexit*. 2. Respondeo ejusdem S. Patris verbis in lib. de corr. et gr. cap. 6. *Nec attendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse caussam, cur objurgati ... sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanae creaturae, et non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur*,

ab homine est; quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. An vero ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria, qui corripitur, sed communis est omnibus? Imo vero corripiatur et in singulis, quod est omnium ... Si autem jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. Qui si correptione compunctus salubriter ingemit, et ad similia bona opera, vel etiam meliora revertitur, nempe hic apertissime utilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio sive ex caritate sit, sive non sit, tamen ut correpto prosit, non nisi per Deum fit. An adhuc et iste nolens corripi potest dicere, Quid ego feci, qui non accepi, quem constat accepisse, et sua culpa quod acceperat amisisse? Eadem tradit S. Pater in cap. 14. ejusdem lib., in epist. ad Sixtum, et alibi, et nos hujus furfuris argumenta solvimus agentes de praedestinatione. 3. Argumentum idem Massiliensium militat etiam adversus Congruistas. In horum quippe sententia cur uni non alteri gratia in iis circumstantiis ac congruitatibus conferatur, in quibus Deus per scientiam mediam praevidet, fore illum assensurum, ex mera Dei pendet benevolentia: quare superfluae illi, cui gratia congrua non datur, essent exhortationes atque correptiones.

Ad 2. Argumenti hujus vanitas facile demonstratur exemplo parvulorum, de quibus S. P. Augustinus in epist. ad Sixtum ita scribit: *Verum isti, qui personarum acceptorem fieri existimant Deum, si in una eademque caussa super alios veniat misericordia ejus, super alios vero maneat ira ejus, nempe totas vires argumentationis humanae perdunt in parvulis ... Quam quaeso allaturi sunt caussam, quod alius sic gubernatur, ut baptizatus hinc exeat; alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, exspirat?* Reliquas argutiunculas vide loco proxime citato, tomo nempe harum instit. II. ubi de pradeestinatione pertractavimus.

CAPUT X.

Examinantur sententiae eorum, qui gratiam admittunt efficacem esse ab extrinseco.

Primus, qui gratiae efficacis doctrinam impugnavit, fuit Ludovicus Molina. Illius systema ita se habet. 1. Nullam aliam in hoc infirmitatis statu admisit gratiam, nisi versatilem liberique arbitrii pedissequam, ejusdem fere naturae cum illa, quam admittimus nos in statu naturae innocentis. 2. Statuit, eam gratiam modo esse in homine efficacem, modo inefficacem, sed semper sufficientem; quoniam si homo per liberum voluntatis arbitrium gratiae illi assentitur, dicitur ea efficax, sin minus, inefficax est et in sua remanet sufficientia, quippe quod ex parte Dei sufficiat, nec aliud praeterea requiratur, ut bonum opus homo efficiat. 3. Contendit, Deum gratia sua

non agere in humana voluntate physice, putans, hunc operandi modum adimere libertatem, sed tantum moraliter, per modum videlicet suadentis et adhortantis; quamvis affirmet, gratiam influere physice in actum a voluntate elicitum, eo tamen sensu, quod operis substantia homini operanti debeat adscribi, modus autem seu *supernaturalitas* ejusdem operis adscribi debeat Deo per gratiam cooperanti. Unde consequitur, gratiae efficaciam per Molinam ejusque sectatores esse ab extrinseco.

Suaresius ad salvandum Dei in creaturas suas dominium existimavit, aliquam admittendam esse efficacem gratiam, cui humana voluntas certo consensura sit; alioquin dari posset creatura, quam nequiret Deus ad se convertere. Hinc arbitratus est, gratiam quidem ex intrinsecis suis esse indifferentem, evadere autem efficacem ex circumstantiis quibusdam extrinsecis; ita ut gratia alicui in hisce circumstantiis collata sit efficax, eadem tamen collata alteri in iisdem constituto circumstantiis sit inefficax, quia unus nempe assentitur, alter non assentitur. Addit praeterea, Deum ope scientiae mediae praevidere, gratiam suam in talibus circumstantiis collatam fore efficacem vel inefficacem sensu mox explicato; ac proinde in sua habere potestate, creaturam illam convertere vel non convertere. Impossibile quippe est, inquit, impossibilitate morali, ut creata voluntas divino auxilio dissentiat sub quibuslibet circumstantiis. Quare dum Deus creaturam aliquam convertere vult, ope scientiae mediae scrutatur primo in quibus circumstantiis sit illa consensura gratiae, dein eam elargitur gratiam, quae praevisa sit efficax. Ut descriptam mox oeconomiam gratiae explicent Congruistae, hac utuntur comparatione. Sicuti quum quis aliquid a rege obtinere desiderat, observat prius tempus ac circumstantias, in quibus praevidet futurum sibi regem benevolum, ita dum vult Deus creaturam ad se convertere, ope scientiae mediae scrutatur tempus et circumstantias, in quibus scit, fore illam gratiae assensuram: et tunc elargiendo gratiam creaturae obtinet conversionem. Parum certe Deo digna comparatio, quasi nostri indigus sit. Comparant quippe Deum homini subdito, hominem vero principi. Quoniam ergo gratiae efficacia vel inefficacia in horum theologorum sententia a circumstantiis seu congruentiis pendet, hinc gratia efficax *congrua* ab ipsis appellatur, inefficax vero dicitur *incongrua*.

Hoc modo Congruistae moralem admittunt necessitatem, ut Deus possit, si velit, quamlibet obstinatissimam convertere creaturam. Sed aliis ejusdem scholae theologis systema hoc minime placet. Unde aliud excogitavere dicentes, seriem divinorum auxiliorum esse utique infinitam, nullum autem ex his esse ab intrinseco efficax. Porro in infinita hac, inquiunt, inefficacium auxiliorum serie aliquod sane est auxilium, cui metaphysice certum est, voluntatem esse assensuram. Deus ergo ope scientiae mediae agnoscens, quodnam sit auxilium, cui voluntas consensum praebebit, illud seligit, creaturae confert, atque illam convertit. Etsi enim, addunt, possit creata voluntas cuilibet divino auxilio resistere, metaphysice tamen necessum est, ut aliquibus vage consentiat. Atque hoc modo exercet Deus supra creaturas suas perfectissimum dominium. His explicatis, sit

CONCLUSIO I.

In hoc infirmitatis statu gratia Dei non est efficax ab eventu in sensu Molinae.

Prob. 1. ex celeberrimo Pauli testimonio: *Quis te discernit?* In I. quippe epist. ad Cor. cap. 4. ita scribit: *Ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur ... Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Jam vero si gratia Dei efficax esset ex voluntatis consensu ad mentem Molinae, jam unus contra alterum inflari posset, adversus mentem Apostoli; quoniam unus se ab alio discerneret in rebus ad aeternam salutem spectantibus. Nam 1. discretio consentientis a non consentiente divinae gratiae repeti haudquaquam posset ab eadem gratia; quum ipsa juxta Molinam communis sit omnibus, adeoque consentienti ac non consentienti. Unde Augustinus in lib. de praed. SS. cap. 5. *Nihil autem*, inquit, *huic sensui tam contrarium est, quam de suis meritis sic quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei: sed gratia, quae bonos discernit a malis, non quae communis est et bonis et malis.* 2. Sumi nequit ea consentientis a non consentiente discretio ex gratia cooperante, quum haec juxta Molinam indifferens sit atque versatilis: unde qui assentiret affirmare posset, se a non consentiente per liberum arbitrium discrevisse. Hinc in Molinae sententia *posset dicere homo inflatus adversus alterum: Discernit me fides mea, justitia mea, vel si quid aliud*, ut probe observat laudato cap. 5. Augustinus. 3. Gratia illa versatilis in sensu Molinae non dat homini nisi posse agere, actio autem ab ipso descendit consensu; proindeque homo ab homine secerneretur per propriae voluntatis consensum. Hinc Augustinus ibidem: *Non autem ait Apostolus, Quid autem potes habere ... sed ait: Quid autem habes, quod non accepisti? ... Ac per hoc ubi dicitur: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? quisquis audet dicere: Habeo ex me ipso fidem, non ergo accepi, profecto contradicit huic apertissimae veritati.* 4. Etiam S. Augustinus cum adhuc presbyter esset, ea detinebatur opinione, dari aliquam gratiam omnibus communem, quae efficax ex voluntatis consensu evaderet. Sed factus Episcopus ab eo resipuit errore motus a laudatis Apostoli verbis: *Quis te discernit?* ut ipsemet in lib. de corr. et grat. cap. 3. fatetur, dicens: *Quo praesertim testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis.*

Prob. 2. ex alio Apostoli textu, qui legitur in ep. ad Rom. cap. 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Jam vero si gratiae per se indifferentis efficacia ab humanae penderet consensu voluntatis, non recte diceret Apostolus: *Non volentis, sed miserentis est Dei*, sed contrarium dicere debuisset; effectus enim potiore jure tribuitur caussae determinanti, quam caussae ab alio determinatae. Totum hoc argumentum

est S. P. Augustini, qui in Ench. cap. 32. ita ratiocinatur: *Quomodo ergo non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia et ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Domino praeparatur? Alioquin si propterea dictum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroque fit, id est, et voluntate hominis, et misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, tanquam diceretur: Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei, non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis: ac per hoc si recte dictum est, Non volentis hominis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non et e contrario recte dicitur, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus dicere christianus audebit, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat, ut propterea recte dictum intelligatur, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam.*

Prob. 3. ex absurdis, quae ex Molinae sententia sequuntur. 1. Si in hoc infirmitatis statu per versatilem ac indifferentem gratiam operaremur, opera bona, quae fiunt, dici deberent potius opera nostra quam Dei; quod patet ex Augustini argumento proxime recitato. Ast bona opera, quae ab hominibus in hoc infirmitatis statu fiunt, magis Dei sunt quam hominis, dicente Augustino lib. ult. de C. D. cap. item ult. *Ipsa bona opera nostra ipsius Dei potius intelliguntur esse, quam nostra.* Et Caelestinus R. P. in ep. ad episc. gall. cap. 12. ait: *Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae ipsius sunt dona.* 2. Absurdum est, ubi de gratiae agitur oeconomia, quod majus est tribuere homini, quod vero minus, Deo. Hoc autem facit in sua sententia Molina. Homini namque operum tribuit perfectionem, Deo autem dumtaxat possibilitatem. Majus quid plane est agere, quam posse agere. Ita S. Pater in lib. de gr. Ch. cap. 5. *Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino credit* (Pelagius) *adjuvari auxilio, sed solum possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo, tanquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura, cetera vero duo, quae nostra esse voluit, ita sint firma, et fortia, et sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; et ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus, sed tantummodo adjuvet, ut velle et agere valeamus.* 3. Si vera sit Molinae sententia, eadem gratia, quae necessaria fuit Adamo in statu naturae innocentis ad bonum agendum, necessaria erit quoque in hoc infirmitatis statu. Quod absurdissimum est, tum quia repugnat aperte Augustino, aliisque Patribus, tum etiam, quia sequeretur, easdem habere homines vires modo, quas Adam habebat ante peccatum. 4. Sequeretur postremo, ne absurda omnia commemorem, nihil homines habere, quod in orationibus suis a Deo pe-

tant, nilque de quo agant gratias. Nam quid efflagitabunt a Deo in orationibus? Non gratiam; quippe quod adest haec omnibus, bonis et malis, fidelibus atque infidelibus: non simultaneum supernaturalem concursum; quoties enim quis vult mandata servare vel superare tentationes, concursus ille praesto est: non denique propriae voluntatis consensum; quoniam quilibet homo, in Molinistarum sententia, illum habet in propria potestate. *Quid autem stultius, quam orare, ut facias, quod in potestate habeas?* scribit S. P. Augustinus de nat. et gr. cap. 18. Eadem de caussa postquam superaverit homo tentationes aut legem impleverit, non tenetur Deo agere gratias; neque propter acceptam gratiam, vel simultaneum supernaturalis ordinis concursum, quoniam non solum haec communia sunt omnibus, sed praeterea possibilitatem tantum, non bonam dederunt actionem; neque ob praestitum a se divinae gratiae consensum, quippe quod hic non Dei, sed totus hominis est. Bene ergo atque sapienter magnus Augustinus in epistola ad Vitalem inquit: *Inaniter etiam et perfunctorie potius, quam veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit ... Prorsus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.*

CONCLUSIO II.

Non est admittenda gratia congrua ad mentem Suaresii.

Prob. 1. Gratia congrua, quam adversarii admittunt, ea est, quae in his potius quam in illis a Deo datur circumstantiis; ita ut in ea largienda respiciat Deus ad genium, mores, affectus, naturalesque dispositiones illius, cui confertur, et gratia illa per se indifferens, evadat efficax, si circumstantiae bonae sint, sin minus, remaneat inefficax. Ast vero gratia hominibus collata quam saepissime efficax est, etiamsi circumstantiae, in quibus confertur, bonae non sint. Quod luculentissime patet 1. exemplo Apostoli Pauli, qui in iis circumstantiis conversus est ad Deum, in quibus a Deo maxime aversus erat. Unde S. P. Augustinus lib. de praed. SS. cap. 2. scribit: *Aversus quippe a fide, quam vastabat, eique vehementer adversus, repente est ad illam gratia potentiore conversus: convertente illo, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: Tu convertens vivificabis nos; ut non solum ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex persecutore, persecutionem in ejus fidei, quam persequebatur, defensione pateretur.* 2. Idem S. P. Augustinus (ne quis Pauli exemplum singulare esse dicat) serm. XCIX. de verb. Evang. universim ait: gratiam in hominibus operari etiam quando sunt in contrariis positi circumstantiis: *Adulter non fuisti in illa vita tua praeterita plena ignorantia nondum illuminatus, malumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci. Locus et tempus defuit; et ut haec deessent,*

ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes et quod non admisisti. 3. Eamdem doctrinam tradidit deinceps fidissimus Augustini discipulus S. Prosper in carm. de ingr. dicens:

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest, quae gesta velit, nec moribus illi
Fit mora, nec caussis suspenditur ullis.

4. Accedunt et concilii Arausicani II. definitiones. Can. IV. ita statuit: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendat, resistit ipsi Spiritui S.* Et can. VI. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti?* Quum ergo ex his omnibus aliisque pluribus, quae afferri possent, apertissime appareat, dari hominibus gratiam efficacem, etiam quando in contrariis prorsus constituti sunt circumstantiis, quis dixerit, ab extrinsecis circumstantiis suam repetere gratiam operandi virtutem?

Prob. 2. nonnulla enumerando absurda, quae ex Congruistarum sententia sequerentur. 1. Admissa semel gratia congrua, sequeretur, quod homo bene agens se ipsum a non agente discerneret contra Apostoli sententiam: *Quis te discernit?* Nam ideo gratia esset efficax, quoniam homo, cui datur, bene dispositus esset per bonam indolem, bonos mores etc. quae omnia naturalia sunt. Unde bene agens ei, qui male operatur, dicere posset, se assentitum fuisse gratiae, quia voluit; voluisse autem, quoniam bonae indolis est, bonae complexionis, bonorum morum etc. Facta enim gratiae congruae analysi, ultima ratio, cur illa prosit, in naturales refunditur dispositiones. 2. Ob eamdem rationem falsa esset ejusdem Pauli altera sententia: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Minimam enim partem in gratiae oeconomia haberet Deus. 3. Sequeretur, hominem in mortis articulo positum nullo prorsus modo teneri ad orationem. Quid namque petere a Deo deberet? Non certe gratiam; quae juxta Congruistas communis est omnibus, quoties tentatio urgeat, aut instet praeceptum: non congruitatem, quum illa, quam in eo casu habet, nisi suae naturali attemperata sit dispositioni, attemperari non possit: non denique circumstantias, est quippe in articulo mortis constitutus. Nihil ergo petere debet, quod est absurdissimum.

Prob. 3. argumentis omnibus cap. 8. productis ad demonstrandum, gratiam efficacem esse ex intrinsecis suis.

CONCLUSIO III.

Non datur metaphysica necessitas, quod creatura quaelibet consensura praevideatur alicui vage auxilio versatili.

Prob. Infinita illa divinorum series auxiliorum omnes continet modos,

quibus creatura vocari potest. Ast humana creatura omnibus resistere potest modis, quibus a Deo vocari potest. Nam S. P. Augustinus in lib. I. ad Simpl. Q. 2. scribit: *Tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat mentis aversio*. Quae ab Augustino dicta profecto sunt non de efficaci, sed de inefficaci ac versatili gratia. Verum, juxta adversarios, innumerabiles illi modi vocandi nil aliud sunt, quam auxiliorum versatilium series. Unde in illorum opinione nec metaphysica necessitas consentiendi uni vage auxilio, nec supremum Dei in creaturas suas dominium salvatur. Idcirco ut dominium illud salvum consistat, recurrendum est ad gratiam natura sua efficacem, cui certe humana voluntas non resistet. Hinc S. Pater ibidem subdit: *Quis dicat, modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse?* Quem modum explicans, ait esse gratiam, *quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, et a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Ita in lib. de praed. SS. cap. 8.

Contraria argumenta refelluntur.

Obj. 1. adv. pr. thes. I. Sacrae Scripturae crebro commemorant gratiam, cui humana voluntas resistit; unde gratia efficax est ab eventu. Nam Matth. cap. 20. legitur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Actor. cap. 7. *Vos semper Spiritui S. resistitis*. Et hujus generis sunt bene multa in vetere, et in novo Testamento. II. Eaedem sacrae litterae asserunt quoque, humanam voluntatem in sua habere potestate, ut cuilibet gratiae resistat. Puta, Ezechielis cap. 33. legitur: *Convertimini a viis vestris pessimis*. Zach. cap. 1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*. III. Atque hunc loquendi modum tenent sacrae Scripturae etiam ubi sermo fit de gratia majore, quam dare possit Deus hominibus. Nam Isaiae cap. 5. dicit Deus ad filios Israel: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?*

Resp. ad 1. Sacrae litterae commemorant quidem gratiam, cui voluntas resistit, quamque nos inefficacem appellamus; sed non excludunt gratiam, cui voluntas non resistit, quoniam ex intrinsecis suis est efficax. Sed de his multa diximus in superioribus.

Ad 2. Eamdem teneto solutionem. Humana nimirum voluntas habet in sua potestate, ut gratiae cuilibet inefficaci resistat; et resistere quoque potest gratiae per se efficaci, sed potentia remota, non potentia proxima et expedita, ut centies in superioribus diximus. Interim do verba concilii Tridentini allatos in argumento Scripturae textus explicantia: *In sacris litteris cum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus: Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, Dei nos gratia praeveniri admonemur.*

Ad 3. In cap. 5. Isaiae loquitur Deus de majore illa gratia, quam dispensare solet creaturis suis, sed in genere gratiarum externarum, non internarum. Sub metaphora nempe vineae Deus externa describit beneficia

collata Israelitis. Dicitur enim ibi plantata vinea *in cornu olei*, id est, in pinguissimis montibus Palaestinae: additur, Dominum *sepisse eam*, hoc est, Israelitarum ecclesiam a commercio segregasse Gentilium; *aedificasse turrim in medio ejus*, videlicet, civitatem Hierusalem construxisse munitissimam; *et constituisse in ea torcular*, templum nempe et altare, ubi victimae et holocausta offerebantur. Nonne omnia haec externa sunt beneficia? Ad rem ergo allatum Isaiae testimonium non facit.

Obj. 2. cont. eamd. prop. Matth. cap. 11. ita Christus redarguit Judaeos: *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent*. Hic sermo fit de gratia efficaci, ut illa verba innuunt: *Poenitentiam egissent*. Et nihilominus gratia, quae in Tyriis ac Sidoniis fuisset efficax, in Judaeis ob liberum eorum arbitrium fuit inefficax; unde a Christo reprehenduntur. Quare efficacia, vel inefficacia gratiae a libero pendet arbitrio.

Resp. Argumentum hoc fuit a nobis fuse solutum in opusculo, ubi egimus de scientia media. Nunc animadvertisse sufficiat, gratiam illam fuisse per se efficacem comparate ad Tyrios et Sidonios, quoniam hi minore pressi cupiditate, ab ea gratia adacti ad bonum agendum fuissent. Immo fuisset efficax respectu etiam Judaeorum, nisi majore concupiscentia jactati illius motibus restitissent. Habet enim gratia in se gradus suos. Hac de caussa digni reprehensione erant Judaei, quoniam propria voluntate adeo operibus malis auxerunt in se concupiscentiae gradus, ut reddiderint inefficacem gratiam, quae in se, atque in Tyriis simul et Sidoniis, minus concupiscentiae stimulis illectis, fuisset efficax. Ita Augustinus in libro de dono persev. cap. 14. *Non erat sic induratum cor Tyriorum et Sidoniorum, quoniam credidissent, si, qualia viderunt isti, signa vidissent*.

Obj. 3. cont. eamd. th. multa Augustini testimonia. I. In lib. XII. de C. D. cap. 6. inquit: *Si aliqui duo aequaliter affecti animo et corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa, unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse caussae, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?* Nempe, ut paullo inferius docet, quia unus vult, alter non vult: *Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?* Haec Augustini sententia supponit, gratiam reddi efficacem a consensu voluntatis. II. In lib. de spir. et litt. cap. 33. scribit: *Liberum arbitrium naturaliter attributum a creatore animae rationali, illa media vis est, quae vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideo nec istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit*. Per Augustinum tales sunt liberi arbitrii vires, ut quando Deus per internam gratiam vocat, ex ipso libero arbitrio surgat assensus et effectus; atque idcirco gratiae efficacia tota pendet a voluntatis consensu. III. Consimilia S. doctor habet ibidem cap. 34. dicens: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut*

credamus ... sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est ... Consentire vocationi Dei , vel ab ea dissentire , sicut dixi , propriae voluntatis est . Et in lib. de grat. et lib. arb. addit : *Velle et nolle propriae voluntatis est* .

Resp. ad 1. Quid denique ait S. P. Augustinus ? Assensum , inquit , vel dissensum provenire a voluntate . Et verum quidem inquit , quippe quod ideo homo consentit vel dissentit, quia vult. At quare vult, nisi quia gratia operatur in eo velle ? *Multi audiunt verbum veritatis* , scribit S. Pater in lib. de praed. SS. cap. 6., *sed alii credunt* , *alii contradicunt* . *Volunt ergo isti credere* , *nolunt autem illi* . *Quis hoc ignoret ? Quis hoc neget ? Sed cum aliis praeparetur* , *aliis non praeparetur voluntas a Domino* , *discernendum est utique* , *quid veniat de misericordia ejus* , *quid de judicio* . Si dicas, haec affirmare Augustinum in lib. de praed. SS. non in opere de C. D. in argumento allegato, facilis est responsio . Ideo quippe gratiae efficacitatis non meminit in laudato loco de C. D. quoniam ibi agit adversus Manichaeos, non contra Pelagianos aut eorum reliquias. Manichaei autem quum blasphemarent , malae voluntatis principium esse supremam quamdam substantiam , inferebant inde , dari Deum malorum omnium summum principium . Quos ut S. doctor refelleret , totus est ut demonstret , caussam mali ipsam esse humanam voluntatem a Deo O. M. cum libera volendi nolendique conditam facultate . Unde ait ibidem : *Ut sit aliquis inquirendi modus* , *caussam primam malae voluntatis inquiro* . Immo ex hoc illius scopo colligi potest, non loqui S. P. in allato exemplo de duobus hominibus in statu naturae corruptae , sed in statu potius naturae innocentis , quum de duobus loquatur, quibus pares sint vires paresque circumstantiae, et par etiam auxilium versatile; ait siquidem, primam se caussam inquirere malae voluntatis. Corruit ergo opposita difficultas.

Ad 2. Affirmat Augustinus, de libero promanare arbitrio consensum et effectum, non in adversariorum sensu, sed quatenus liberum arbitrium suas in bono opere habet partes. Nam S. Pater hanc eo loci sibi solvendam proponit quaestionem : *Utrum voluntas illa* , *qua credimus* , *etiam ipsa donum Dei sit* , *an ex illo naturaliter insito adhibeatur arbitrio* ? Proponit subinde dubitandi rationem, ac praeterea ita quaestionem solvere incipit : *Prius igitur illud dicamus* , *et videamus* , *utrum huic satisfaciat quaestioni* , *quod liberum arbitrium naturaliter attributum etc.* cum iis , quae allata sunt in argumento. Post quae addit : *Haec disputatio si quaestioni illi solvendae sufficit* , *sufficiat* . Hactenus S. doctor . Nil ergo aliud laudatis verbis vult innuere , quam se admittere liberum arbitrium , non mere passive , sed active se habens in operibus supernaturalibus . Verum non omnino allata ei solutio satisfacit; non quod falsa sit , sed quoniam non satis explicat , cujus generis gratia sit illa Dei vocatio , quam in responsione commemoravit . Quare capite sequente docet , praerequisitam Dei vocationem , ut credendi voluntas de libero arbitrio surgat , esse gratiam ex intrinsecis suis efficacem . Idcirco inquit , quod voluntas credendi non tantum surgit *ex libero arbitrio* , *quod naturaliter nobis concreatum est* , *verum*

etiam , quod suasionibus agit Deus , ut velimus et ut credamus , sive extrinsecus ... sive intrinsecus , ubi nemo habet in potestate , quid ei veniat in mentem . Nonne haec est gratia ab intrinseco efficax ? Clariora addit : *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet , cur illi ita suadeatur , ut persuadeatur , illi autem non ita , duo sola occurrunt interim , quae respondere mihi placeat : O altitudo divitiarum ! et , Numquid iniquitas est apud Deum ? Cui responsio ista displicet , quaerat doctiores , sed caveat ne inveniat praesumptores* . Ast illa duo plane non respondisset Augustinus , si fidem surgere existimasset de libero arbitrio in sensu Molinae . Lege etiam quae S. doctor habet cap. 35. Qua de re verba Augustini in argumento recitata aliqua tantum sunt propositae quaestionis solutio , sequentia vero in responsione mox allata veram atque accuratam continent quaestionis enodationem .

Ad 3. Phrasis haec : *Consentire , vel dissentire propriae voluntatis est* , vera semper est , sive gratia determinet voluntatem , sive voluntas determinet gratiam ad actum . Atque inde est , quod S. Pater sive de gratia loquatur status naturae innocentis , quae versatilis erat , sive de gratia in hoc statu necessaria , quae est per se efficax , saepe ea utitur locutione ; per quam nil aliud exprimere intendit , nisi quod liberum arbitrium nunquam tollatur per gratiam , et consensus vel dissensus voluntatis sit , active quidem , non passive se gerentis . Quae expositio locum praesertim habet in locis in argumento allatis , ubi Augustinus ex professo demonstrare sibi proposuit , suum de gratia systema libertatem non evertere arbitrii , ut Pelagiani ac Semipelagiani calumniabantur . Ceterum quando S. doctor affirmat , Dei consentire vocationi esse voluntatis , de voluntate loquitur a Deo per gratiam praedeterminantem praeparata . Unde in libro de gratia et lib. arb. cap. 16. inquit : *Certum est , nos velle , cum volumus ; sed ille facit , ut velimus bonum , de quo dictum est ... Praeparatur voluntas a Domino* . Atque rem totam clarius exponit in lib. I. retr. cap. 23. scribens : *Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis ; et utrumque tamen datum est per Spiritum fidei et caritatis* . Si alia sint , quae opponi possint , facilem ex dictis habent solutionem . Audiamus ergo Congruistas .

Obj. 4. cont. alt. thes. I. Apostolus ad Hebr. cap. 4. *Adeamus* , inquit , *cum fiducia ad thronum gratiae , ut misericordiam consequamur , et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* . Hic Apostolus de gratia loquens meminit congruitatis , quae ex extrinsecis circumstantiis efficaciam eidem gratiae tribuat ; unde gratia congrua fundamentum habet in Scripturis . II. Neque Augustinus profecto repugnat . Nam in lib. I. ad Simpl. quaest. 2. textum Pauli : *Non volentis , neque currentis* etc. ita explicat : *Igitur non volentis , neque currentis , sed miserentis est Dei , qui hoc modo vocavit , quomodo aptum erat eis , qui secuti sunt vocationem* . Et rursus : *Si vellet etiam ipsorum misereri , posset ita vocare , quomodo illis aptum esset , ut et moverentur , et intelligerent , et sequerentur : illi enim electi , qui congruenter vocati ; illi autem , qui non congruebant , neque contemperabantur vocationi , non electi , quia non secuti , quamvis vocati* . Ac de-

nique ita concludit: *Cum ergo alius sic, alius autem sic vocetur ad fidem, eademque res saepe alio modo dicta moveat, aliumque moveat, aliumque non moveat, quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?* Haec apertissime favent Congruistarum systemati.

Resp. ad 1. Apostolus de gratia loquens meminit congruitatis, quae proveniat aut sita sit in intrinseca auxilii divini natura, non quae efficaciam gratiae tribuat ex extrinsecis circumstantiis. Neque enim a gratiae congruae et opportunae nomine abhorremus, ut adversarii putant, sed sensum inficiamur, quo gratiam congruam Suaresius intelligit. Potest quippe duplici sensu gratia dici congrua; vel quatenus in se indifferens ac versatilis est, et effectum producit ob extrinsecam congruitatem, vel quatenus natura sua efficax plane est relate ad ingenitam concupiscentiam, quam in homine, cui Deus eam elargitur, reperit. Congrua autem vocatur, quoniam congruit cupiditati, quam superare debet, juxta ea quae diximus agentes de gratiae natura. Hoc secundo sensu a nobis etiam gratia congrua admittitur, atque hoc eodem sensu ait Apostolus: *Gratiam inveniamus in auxilio opportuno;* id est: Accedamus ad Deum, ut gratiam inveniamus adeo per se efficacem, ut ad nostram cordis frangendam duritiem sit opportuna. Unde paullo ante in eodem capite scripserat: *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae, ac spiritus, compagum quoque, et medullarum, ac discretor cogitationum, et intentionum cordis.* Quare optime novit, quodnam sit auxilium per se opportunum ad nostram vincendam cupiditatem.

Ad 2. Sensu mox explicato meminit S. Pater gratiae congruae. Nam post laudata in argumento verba e vestigio subdit: *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc, et praebetur gratia Dei non nutu nostro et industria, aut operum meritis comparatur; quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Ubi est ergo gratia congrua Suaresiana?

CAPUT XI.

Inquirit an ad veritates cognoscendas ordinis naturalis necessaria sit gratia Christi.

Animadvertendum est, veritates naturales alias esse speculativas, alias practicas; et rursus considerari posse vel divisim ac distributive, vel collective. Iterum veritates naturales practicae spectari queunt vel mere speculative, quatenus nec referuntur nec ordinantur ad movendum hic et nunc ad supernaturaliter agendum, vel quatenus ita practice cognoscuntur ab intellectu, ut voluntatem ad operandum supernaturaliter moveant. Communis theologorum sententia est, hominem in statu etiam naturae corruptae gratia Christi non indigere ad veritates ordinis naturalis sive speculativas

sive practicas assequendas; dummodo tamen distributive considerentur, nec voluntatem moveant ad supernaturaliter operandum. Quibus in casibus necessaria utique est Christi gratia. His delibatis, modo sit

CONCLUSIO

Homo sine gratiae salvatoris auxilio cognoscere potest veritates sive speculativas sive practicas ordinis naturalis, distributive tamen, non collective, et dummodo voluntatem non moveant ad supernaturaliter operandum.

Prob. prima pars prop. I. ex Script. Sap. cap. 13. legitur: *A magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Apostolus ad Rom. cap. 1. *Revelatur*, ait, *ira Dei de caelo super omnem impietatem ... eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Ibidem Gentes dicuntur inexcusabiles, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Veritas in ordine naturali sublimis et excellentissima proculdubio est Dei existentia. Haec autem cognosci potest sive speculative sive practice absque gratia salvatoris, ut ex recitatis et aliis, quae afferri possent, patet. II. Accedunt PP. Augustinus noster in lib. I. de Trinit. cap. 13. inquit: *Quidquid prudenter, fortiter, temperanter, et juste agimus, non ad sapientiam, sed ad eam scientiam pertinet sive disciplinam, qua in vitandis malis, bonisque appetendis actio nostra versatur; et quidquid propter exempla vel cavenda vel imitanda, et propter quarumcumque rerum, quae nostris accommodatae sunt usibus, necessaria documenta dignoscitur, historica cognitione colligimus*. S. Prosper in carm. de ingr. ita scribit:

Si quid enim de principiis felicibus illi
Et vita exilii superest prudenter agenda,
Hoc sanum, et quo nil fuerit sublimius in se
Credit, amatque suum sapientia sensum;
Innumeras sese claram mirata per artes
Quod conjecturis sublimibus abdita quaerit,
Quod meminit recte, sapit acriter, aestimat apte.

Hic deinceps eloquentiam, leges, prudentiam juris, astronomicas mathematicasque commemorat facultates, quas humano studio ac labore assequi possumus; ac tandem concludit:

Quae licet ex primo naturae habeantur honore,
Non tamen ad veram possunt perducere vitam.

Etiam ven. Beda in cap. 2. ep. ad Rom. *Anima rationalis*, inquit, *etiam cupiditate caecata, tamen cum cogitat et ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed lumini veritatis, a quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum ali-*

quod in ratiocinando sentiat. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit*: *Quod tibi non vis*, *alteri ne feceris*. III. Suffragatur et ratio theol. 1. Gratia Christi non datur, nisi in ordine ad aeternam salutem, dicente Augustino in ep. ad Sixtum: *Non istam gratiam commendat Apostolus*, *qua creati sumus*, *ut homines essemus*; *sed qua justificati sumus*, *ut homines justi essemus*. Quumque naturalium scientia rerum, quae in gentilibus erat, non conduceret eos ad salutem, fit consequens, non descendisse in illis a gratia salvatoris. 2. Angeli mali maxima pollent rerum naturalium scientia tum speculativa tum practica, ut nemo diffitetur. Et tamen nullam habent, nec habere possunt gratiam salvatoris. 3. Accedit his, quod ignorantia per originariam culpam contracta non tanta est, ut lumen extinxerit rationis, unde ad naturalia discenda necessaria sit gratia Christi.

Prob. altera prop. pars. I. Scriptura. Nam Eccl. cap. 8. legitur: *Et intellexi*, *quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum*, *quae fiunt sub sole*: *et quanto plus laboraverit ad quaerendum*, *tanto minus inveniat*: *etiamsi dixerit sapiens*, *se nosse*, *non poterit invenire*. Hinc Salomon, qui multa prae ceteris noverat, speciale a Deo obtinuit auxilium, ut in libris Regum legitur. II. Id ipsum docent PP. Olympiodorus in cat. Graec. PP. *Nullus itaque sapiens*, *sive saecularis*, *sive in vera sapientia versatus perfecte potest universi cognitionem assequi*. Et Augustinus in I. retr. cap. 9. *Ad miseriam*, inquit, *justae damnationis pertinet ignorantia et difficultas*, *quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suae*. III. Ex qua Augustini sententia validissima depromitur ratio. Nam si ignorantia veluti naturalis ob originale peccatum evasit, quis unquam poterit sine speciali Dei privilegio, quod omnem pellat ignorantiam, veritates omnes naturales collective consideratas adipisci?

Prob. 3. pars, quod nempe absque gratia salvatoris cognosci nequeant naturales illae veritates, quae voluntatem moveant ad supernaturaliter agendum. Sed pars haec demonstratione non indiget, quum in superiore libro adversus Pelagianos ac Semipelagianos demonstratum sit, neminem posse vel perficere vel incipere bonum opus absque Christi gratia. Hinc Apostolus in I. ad Cor. cap. 1. merito inquit: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei*, *quae data est vobis in Christo Jesu*; *quod in omnibus divites facti estis in illo*, *in omni verbo*, *et omni scientia*. Et in II. ad Cor. cap. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*. Merito etiam S. P. Aug. ait lib. VI. cont. Julian. cap. 16. *Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente*: *concupiscentia minuitur caritate magis magisque fervente*. *Nihil boni horum duorum est a nobis*. Merito, inquam, haec scripta sunt, quoniam motus etiam minimus, qui profluere videtur ex naturalium cognitione rerum, dum voluntatem ad supernaturale bonum excitat, a gratia Christi repetendus omnino est.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Paulus in II. ad Cor. cap. 3. inquit: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis*; *sed sufficientia nostra ex Deo est*. Et in I. ad eosdem Corinth. cap. 4. jam dixerat: *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Porro si absque gratiae salvatoris auxilio posset homo veritates naturales sive speculativas sive practicas etiam distributive cognoscere, sufficiens sibi esset cogitare aliquid ex se, et in se ipso posset non in Domino gloriari. II. Synodus Milevitana et Arausicana non absimili ratione loquuntur. Illa enim cap. 4. ait: *Utrumque Dei donum est*, *et scire quid agere debeamus*, *et diligere*, *ut faciamus*. Haec vero can. 9. *Divini muneris est*, inquit, *cum recta cogitamus*. Et merito quidem juxta Scripturarum ac veterum Patrum sententiam. III. S. P. Aug. salvatoris gratiam passim appellat *medicinalem*, quod ignorantiae vulnus sanet; et Gregorius hom. XI. in Evangelia affirmat, hominem per peccatum caecum evasisse. Christi proinde gratia quamlibet expellere debet ignorantiam, lumenque veritatis hominibus restituere, etiam ubi de rebus agitur naturalibus.

Resp. Haec aliaque, si quae sint, dicta esse fatemur de rebus supernaturalis ordinis, atque etiam de illa rerum naturalium cognitione, quae voluntatem movet ad supernaturaliter operandum. Et ad 1. reapse Apostolus in II. ad Corinth. de cogitatione loquitur, quae est dispositio ad justificationem, ut Aug. lib. de praed. SS. cap. 2. observat: *Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem*, *de qua loquebatur Apostolus*, *si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis*, *sed sufficientia nostra ex Deo est*, *profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis*, *quod sine cogitatione non possumus*, *sed sufficientia*, *qua credere incipiamus*, *ex Deo est*. Ita S. doctor. Et patet quoque ex eodem Pauli scopo, qui non ad philosophicas aut mathematicas scientias refertur, sed ad salutem ejusque consequenda media. Quia vero sine auxilio gratiae sufficit sibi homo ad veritates aliquas naturales dignoscendas, de hisce haudquaquam gloriari potest. Vel enim ex Christi gratia recte quis utitur scientiis naturali lumine comparatis, et jam non in se, sed in Domino gloriari debet; vel iis male utitur, et tunc tantum abest, ut gloriari, quin potius erubescere debeat. Ceterum Apostolus in epist. I. ad Cor. cap. 4. non de his loquitur dotibus, quae bonis simul ac malis communes sunt, sed quae bonos discernunt a malis. Apposite ad rem nostram S. P. Aug. in eodem lib. de praed. SS. cap. 5. *Nihil autem huic sensui* Pauli *tam contrarium est*, *quam de suis meritis sic quemquam gloriari*, *tanquam ipse sibi ea fecerit*, *non gratia Dei ... quae bonos discernit a malis*, *non quae communis est bonis et malis*. *Sit ergo gratia naturae attributa*, *qua sumus animantia rationalia*, *discernimurque a pecoribus*; *sit etiam gratia naturae attributa*, *qua in ipsis hominibus a deformibus pulchri*, *vel ingeniosi discernuntur a tardis*, *ac si quid*

ejusmodi est : sed non se ille, quem coercebat Apostolus, adversus pecus inflabat, nec adversus hominem alterum de aliquo naturali munere, quod inesse posset; sed aliquod bonum, quod pertineret ad vitam bonam, sibi, non Deo tribuens, inflabatur, quando audire meruit: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?

Ad 2. Eadem est Milevitanae synodi mens, quum agat contra Pelagianos dogmatizantes, scientiam quidem, sed non dilectionem ex Deo esse: unde statuit, utramque ab eo procedere. Et quoniam Semipelagiani docebant, initium fidei esse ex nobis, Arausicanum concilium can. 7. definivit, *quod si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet aeternae vitae, cogitare, ut expedit, confirmat ... haeretico fallitur spiritu*. Ita exponendi sunt alii Scripturarum ac SS. Patrum textus, qui ab adversariis afferri solent.

Ad 3. Gregorius et Augustinus appellant hominem lapsum caecum comparate ad veritates illas, quae ad agendum supernaturaliter voluntatem movent. Per peccatum siquidem homo fidem amisit atque scientiam, quas Adamo Deus infuderat innocenti. Idcirco cum caeco evangelico, cujus meminit Lucas cap. 18., caeleste invocare debet adjutorium, quod merito ab Augustino vocatur medicinale, quum medendae humanae infirmitatis per peccatum contractae caussa illud nobis tribuat Deus gratuita sua misericordia.

CAPUT XII.

De operibus infidelium.

Antequam perdifficilem de operibus infidelium aggrediamur controversiam, operae pretium duco nonnulla animadversione digna praemittere. Et 1. in quovis opere morali tria consideranda veniunt; substantia nempe operis, finis ejusdem operis, et finis operantis. Substantia operis est ejusdem operis veluti materies et officium. Finis operis, qui dicitur etiam proximus, est honestas, ad quam opus natura sua tendit. Finis operantis, qui solet et ultimus appellari, est Deus, ad quem tanquam ad ultimum finem tenetur homo opus referre. Rem exponamus exemplo. Eleemosyna, quatenus est pecuniae erogatio facta pauperi, est substantia operis. Si pecunia ad pauperis sublevandam miseriam erogatur, habetur finis operis, seu proximus; ad id quippe ex se eleemosyna tendit, ut proximi subveniatur inopiae. Quod si denique ea pecunia pauperi erogetur, ut satis divino fiat praecepto, habetur etiam finis operantis, quoniam refertur ad Deum ultimum finem. 2. Hinc tribus modis dici potest opus morale bonum, videlicet bonum secundum substantiam, seu ex officio; bonum secundum finem proximum, seu finem operis; et bonum secundum finem ultimum, seu operantis. Ita qui stipem pauperi erogat, abstrahendo a fine, quem sibi proponit, opus facit morale bonum ex officio; est quippe bona in eleemosyna pecuniae erogatio. Quod si illam largiatur ob finem honestum, puta, quia recta ratio dictat, sublevandam esse alienam miseriam, opus illud bo-

num erit ex fine proximo, vel honesto. Si demum id faciat, ut placeat Deo, tunc opus facit bonum ex ultimo fine; adeoque bonum undequaque et sicut oportet. 3. Ut opus morale sit vera ac proprie dicta virtus, non sufficit, ut bonum sit vel secundum substantiam, vel ex fine proximo; sed praeterea requiritur, ut bonum sit ex fine operantis. His brevissime praemissis, inquirendum est modo, quid de infidelium operibus sine gratia patratis sit sentiendum; et an, vel quomodo virtutes aut peccata possint ea appellari. Quaenam nostra sententia sit, ex sequentibus patebit propositionibus.

CONCLUSIO I.

Infideles absque Christi gratia nonnulla facere possunt, quae secundum substantiam spectata dici possunt virtutes.

Prob. 1. ex SS. PP. Basilius hom. I. in Prov. inquit: *Sunt et apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsa animae non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura inest.* Gregorius Nazianzenus orat. XXXI. scribit: *Alii naturae indole ad virtutem tendunt.* S. P. Augustinus in lib. de sp. et litt. cap. 27. ait. *Etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium quaedam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus: quanquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem defensionemve mereantur.* Et proximo cap. subdit: *Sine quibus* (bonis operibus) *difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur... quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere.* Haec adeo clara sunt, ut ad probandam thesim nostram nulla egeant explicatione.

Prob. 2. ratione theologica. Si qua esset caussa, cur non possent infideles absque gratia aliqua bona opera facere secundum substantiam, profecto esset, quia ob culpam originalem concupiscentia laborant et ignorantia, quibus in malum quodvis continuo abripiuntur. Nulla autem est ea ratio. Licet enim intellectus et voluntas duo illa contraxerint per peccatum vulnera, non adeo tamen profunda fuere, ut rationis penitus extinxerint lumen, atque arbitrii libertatem deleverint. Etenim, ut paullo supra diximus ab Augustino, non usque adeo terrenorum affectuum labe detrita est in anima humana imago Dei, ut nulla in ea remanserint veluti extrema lineamenta. Proinde non plane est obliteratus in nobis quilibet boni ac recti amor, illius nempe, quod cum natura ipsa proportionem et affinitatem habet. Et merito quidem. Nam etiam gentiles colebant parentes, filios educabant, ferebant opem pauperibus, nonnullaque hujus generis alia praestabant, quae, si eorum spectetur substantia, bona sunt, et virtutes dici possunt. Sed hac in caussa neminem nobis dissentientem invenimus.

SCHOLION.

Dixi, infideles sine Christi gratia nonnulla tantum facere posse secundum substantiam bona opera, non omnia. Nam homo Christi auxilio destitutus nequit omnia et singula Dei praecepta etiam secundum substantiam observare, ut paullo post ostendemus, sed aliqua tantum, eaque faciliora.

CONCLUSIO II.

Possunt infideles nonnulla bona secundum substantiam opera absque gratia referre ad finem honestum.

Prob. 1. exemplo petito ex cap. 1. Exodi. Ibi narratur, obstetrices Ægyptias, quae proculdubio infideles erant, miserentis animi motu incolumes servasse mares Hebraeorum contra Pharaonis edictum, eaque de caussa temporalem a Deo recepisse mercedem. *Bene fecit Deus obstetricibus. Et quia timuerunt Deum, aedificavit eis domos*, id est, earum familias liberorum ac divitiarum copia amplificavit. Porro nonne est agere ob honestum finem, infantulos misericordiae affectu haudquaquam in ipso ortu praefocare, habita prae oculis illius tenellae aetatis conditione? Nonne hujusmodi bonum opus ad finem honestum relatum fuisse putandum est absque Dei gratia, si illud naturae limites non est supergressum, dignum propterea, cui temporalis tantum merces rependeretur?

Prob. 2. auctoritate Patrum. Hieronymus in cap. 1. epist. ad Galatas inquit: *Natura omnibus inest Dei notitia, nec quisquam sine Christo nascitur, et non habet semina in se sapientiae et justitiae, reliquarumque virtutum: unde multi absque fide et evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant*. S. P. Augustinus de virtutibus loquens Romanorum in epist. CXXXVIII. ad Marcellinum cap. 3. haec scribit: *Rempublicam primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quae illos etiam in aeternam civitatem posset salubri religione perducere; custodientes tamen quamdam sui generis probitatem, quae posset terrenae civitati constituendae, augendae, conservandaeque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo et praeclaro imperio Romanorum, quantum valerent sine vera religione virtutes, ut intelligeretur, hac addita, fieri homines cives alterius civitatis, cujus rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus aeternitas*. Jam vero si per Hieronymum multi absque fide, parentibus obsequendo, inopi porrigendo manum, non opprimendo vicinos, non aliena diripiendo, vel sapienter id faciunt vel sancte; si per Augustinum veteres Romani quamdam sui generis probitatem custodierunt, immo civilibus virtutibus constituerunt auxeruntque Rempublicam, licet vera erga Deum carerent pietate; ergo nonnulla secundum substantiam bona opera solis naturae viribus, id est, absque gratia referri possunt ab

infidelibus ad finem honestum. Id ipsum docent alii Ecclesiae Patres. Prosper adversus collatorem inquit: *Quis ambigat, hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitae utilitatem ex naturae a Deo conditae superesse reliquiis?* Auctor libri, qui vulgo dicitur Hypognosticon, lib. III. scribit: *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum quae ad Deum pertinent sine Deo aut inchoare aut peragere, sed tantum in operibus vitae praesentis tam bonis quam etiam malis. Bonis dico, quae de bonis naturae oriuntur, id est, velle quidquid boni ad praesentem pertinet vitam.* S. Gregorius M. hom. 27. in Evang. *Sunt nonnulli*, ait, *qui diligunt proximos per affectum cognationis et carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra non contradicunt eloquia. Sed aliud est, quod sponte impenditur naturae, aliud, quod praeceptis dominicis ex charitate debetur obedientiae*. Denique S. Thomas 2. sec. q. 10. art. 4. in corp. inquit: *Manifestum est, quod infideles non possunt operari bona opera, quae sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quae sufficit bonum naturae, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod in omni opere peccent*. Peccarent autem, si eorum opera bona tantum essent ex officio, et non etiam ex fine proximo sive honesto.

Prob. 3. ratione theologica, quae ex allatis sententiis sua sponte fluit. Agere propter finem honestum est aliquid facere, quod rectae rationi sit consentaneum. At infideles absque gratia aliquid possunt operari, quod rectae rationi consentaneum est. Nam 1. quamvis intellectus hominis ob culpam originalem magnis obvolutus sit ignorantiae tenebris, et voluntas gravissima laboret infirmitate, nihilominus nec ille omni veri cognitione, nec ista omni boni moralis appetitu caret. 2. Facere aliquid, quod rectae sit rationi consentaneum, est intra limites ordinis naturalis. Possunt proinde id sine gratia Gentiles facere. 3. Plura sunt, in quibus relatio ad finem honestum facilis est. Puta, facile est eleemosynam pauperi erogare ad ejus miseriam sublevandam, parentibus indita quadam pietate debitum exhibere cultum, filios alere, diligere uxorem sincero benevolentiae affectu: sic enim recta ratio dictat. Quapropter possunt infideles solis naturae viribus nonnulla secundum substantiam bona opera ad honestum finem referre.

COROLLARIUM.

Ex duabus hisce hactenus positis thesibus apertissime sequitur, opera nonnulla ab infidelibus absque salvatoris gratia patrata non modo non esse intrinsece mala, sed appellari posse, sensu licet lato, virtutes. Nam si infideles omni carentes fide opera quaedam facere possunt secundum substantiam, sive ex officio bona; si opera eadem referri ab eis possunt ad finem honestum; non igitur omnia opera infidelium, uti Bajus somniabat, sunt peccata, sed potius sunt aliquo sensu virtutes; quum facere quod in se bonum est, illudque facere, quia sic recta ratio dictat, atque ob actionem illam temporalem a Deo recipere mercedem, characteres sint, qui vir-

tuti quidem, non peccato conveniunt. Alio proinde sensu Augustinus praesertim et Prosper infidelium opera appellant peccata. Quem sensum ut intelligamus, sit

CONCLUSIO III.

In infidelibus Christi gratia destitutis ut plurimum virtutes sunt germen inutile et marcescens, quippe qui, quum sit in illorum corde radix cupiditatis, solent bona opera aut ad inanem gloriam, aut ad voluptatem referre. In hoc autem casu nullus negat, hujusmodi virtutes vitio coinquinari aut philautiae, aut inhonestatis.

Prob. 1. Ad veram atque proprie dictam habendam virtutem, sive ad bonum undequaque bonum operandum, non sufficit opera facere, quae bona sint ex officio et secundum substantiam, sed praeterea requiritur, ut virtutum officia non propter voluptatem, vel temporale comodum, vel vanam gloriam, verum propter Deum ultimum finem exerceantur. Nam Matth. cap. 6. inquit Christus: *Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Hoc est, si intentio nequam erit, totum opus erit pravum. Ita textum exponit S. P. Aug. lib. IV. cont. Jul. cap. 3. *Hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit*. Et paullo ante scripserat: *Noveris non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est; finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur*. Quare si finis pravus erit, opus, quod fit, non modo virtus non erit, sed dicendum peccatum. Jam vero infideles Christi gratia destituti, quamvis opera ex officio bona exercerent, illa tamen, ut plurimum, vel ad voluptatem vel ad temporale commodum, vel ad vanam gloriam referebant. Et re quidem vera. Epicurei omne suum studium impendebant in exercitio virtutum; eaque de caussa in philosophiam diu noctuque incumbebant, ut exercitio virtutum ad beatam vitam pervenirent. Ast quo fine id faciebant? Propter voluptatem, respondet Augustinus loco paullo ante citato: *Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quae omnino quidquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenendam*. Nulla unquam fuit gens, quae tam pulchre virtutes exerceret, ut fuere Romani. Sed et ipsos in exercendis virtutibus ut plurimum peccasse, putandum est, quum illas ad inanem referrent gloriam. Unde Augustinus lib. V. de civ. Dei cap. 12. inquit: *Veteres primique Romani, quantum eorum docet et commendat historia ... laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant: hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac et mori non dubitaverunt. Ceteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam, quoniam servire videbatur inglorium, prius omni studio liberam, deinde dominam esse cupierunt*. Deinde quod

de omnibus Romanis generatim S. doctor affirmaverat, de singulis dicit in particulari. De Bruto namque ait, quod eum vicerit laudis immensa cupido. Affirmat, Catonem patriam a Gallis liberasse, quia non habebat potiorem, ubi vivere posset gloriosius. De Marco Regulo inquit, ideo fuisse ad Carthaginenses reversum, quoniam postquam Afris servierat, dignitatem Romae liberi civis habere non poterat. Multos alios deinceps enumerat Romanos heroas, quos virtutes exercuisse docet propter laudis gloriaeque ambitionem. Verum est itaque, infideles Dei gratia destitutos, licet absolute loquendo opera nonnulla referre possent ad finem honestum, revera tamen ad pravum retulisse finem; proindeque illorum virtutes vitia potius ac peccata fuisse, quam veras proprieque dictas virtutes. Hinc optime S. P. Augustinus adv. Jul. lib. IV. cap. 3. scribit: *Bonum est, ut subveniatur homini periclitanti ... Sed ille, qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit; quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit*. Et infra: *Sed forte dicturus es; Misericors voluntas bona est. Recte istud diceretur, si quemadmodum ... fides, quae per dilectionem operatur, semper est bona, ita misericordia semper esset bona. Si autem reperitur et misericordia mala, qua persona pauperis accipitur in judicio; propter quam postremo rex Saul meruit a Domino, et utique misericorde, damnari, quia contra ejus praeceptum captivo regi per humanum pepercit affectum; attentius cogita, ne forte misericordia bona non sit*. Juliano autem priscorum Romanorum objicienti virtutes, ut gratiae everteret necessitatem, ita respondet: *An forte et istis, qui exhibuerunt terrenae patriae babylonicam dilectionem, et virtute civili, non vera sed verisimili, daemonibus vel humanae gloriae servierunt, Fabriciis videlicet et Regulis et Fabiis et Scipionibus et Camillis ceterisque talibus ... provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumque caelorum?* Romanorum itaque virtutes per Augustinum totidem fuere peccata. Et merito quidem, quum nemo catholicorum diffiteatur, opera secundum officium bona, ob pravum finem patrata, esse peccata.

Prob. 2. Infideles Christi gratia carentes fidem certe non habent. Verum opera illorum, qui fidem non habent, peccata potius dicenda sunt, quam virtutes, inquiente Paulo ad Rom. cap. 4. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. In quae verba ita fatur Augustinus contra Julianum libro et capite supra laudatis: *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quae faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus et bona male faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta et noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas, nullo christiano dubitante, arbor est mala, quae facere non potest, nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis, nolis, quod non est ex fide, peccatum est*. Innumeris aliis in locis eadem tradit S. Pater, quae citata vide apud Norisium et Berti. Leo M. serm. II. de jejun. Pentec. *Apud ipsos paganos*, inquit, *sunt quaedam vana jejunia. Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsi-*

tate deceptio . Apud nos fides sanctificat etiam manducantem ; apud illos infidelitas polluit jejunantem . Unde ? Quia extra catholicam Ecclesiam nihil est integrum , nihil castum , dicente Apostolo : Omne , quod non est ex fide , peccatum est . Prosper in sentent. Augustini num. 106. inquit : *Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono . Ubi enim deest cognitio aeternae et incommutabilis veritatis , falsa virtus est , etiam in optimis moribus* . Et ibid. num. 225. *Non sunt bona opera , nisi quae per fidem et dilectionem fiunt , quia alterum sine altero nullius virtutis fructum parit* . Et in carm. de ingr. cap. 16. ne singula recenseam , ait :

Omne etenim probitatis opus , nisi semine verae
Exoritur fidei , peccatum est , inque reatum
Vertitur , et sterilis sibi cumulat gloria poenam .

Bonifacius II. in epist. ad Caesarium Arelatensem de fide loquens christiana inquit : *Praeter quam nihil est boni , quod secundum Deum quilibet valeat operari , sicut beatus Apostolus dicit : Omne , quod non est ex fide , peccatum est . Quod cum ita sit , aut nullum bonum gratiae deputabunt , si ei fidem subtrahere moliuntur , aut si quod bonum esse dicunt de gratia , ipsa necessario fides erit gratiae deputanda* . Brevitati consulens sententias omitto Fulgentii lib. I. de veritate praed. cap. 18. , Prudentii adv. Erigenam , Lupi Servati lib. de trib. quaest. q. 1. , Lupi Ferrariensis in coll. q. III., Bedae in cap. 14. ep. ad Rom., aliorumque ; et do verba S. Remigii , qui cum sua Lugdun. Ecclesia in lib. de tuenda Script. verit. cap. 11. scribit : *Homines habent naturaliter insitum arbitrium voluntatis , ut eodem arbitrio possint velle mala , possint velle etiam quaedam bona , sed humana affectione ad humanam societatem atque honestatem pertinentia , quae eadem humana affectione vel propter aliqua temporalia commoda appetuntur , vel propter ipsam solummodo vitae honestatem : sed hujusmodi humana bona , quae humana affectio potest velle , potest etiam nonnumquam agere humana natura . Cum propter temporalia bona appetuntur , sine dubio cupiditates sunt : cum propter solam vitae honestatem , sine dubio inflata et elata sunt . Tamen potest ea discernere , potest etiam velle , potest etiam habere , in quantum naturali bono adjuvatur , et Dei dispositione permittitur humana natura .* Ex quibus aliisque , quae afferri possent , colligitur , opera hominum fidem non habentium ut plurimum saltem vitio coinquinari , ideoque vera esse peccata .

Sed explicemus allatum mox argumentum . Homo fidem non habens opera sua etiam secundum substantiam bona vel refert ad pravum finem , vel saltem non refert ad Deum ultimum finem . Neque enim absque gratia potest quis opera sua ad Deum tanquam ad ultimum finem referre , quum sine aliqua caritate ea relatio haberi nequeat , et homo sine gratia Deum diligere , ut oportet , non potest , neque ut auctorem gratiae , neque ut auctorem naturae , ut paullo post demonstrabimus . Si ergo homo opera sua ad pravum referat finem , in operibus illis quamvis, secundum sub-

stantiam optimis, proculdubio peccabit, ut hactenus demonstravimus. Atque ita *omne, quod non est ex fide, peccatum est*, et quidem *commissionis*. Lege S. Prosperi epigramma LXXXVIII. Quod si homo actiones suas non referat ad Deum ultimum finem, quod plane sine fide facere non potest, quum sub praecepto teneamur actiones nostras virtualiter ad Deum referre tanquam ad ultimum finem, ut modo supponimus, et alibi demonstrabimus, peccabit homo peccato *omissionis*. Ex qua omissione opera infidelium sunt peccata, et optime ait Apostolus: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. Hinc Augustinus laudato saepe lib. IV. cont. Jul. cap. 3. inquit: *Cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso male his utentes efficiuntur injusti*. Et in lib. I. de nupt. et conc. cap. item 3. postquam dixerat, continentiam donum esse Dei, subdit: *Quid ergo dicimus, quando et in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrum eo peccare dicendi sunt, quod dono Dei male utantur, non id referentes ad cultum ejus, a quo acceperunt? An forte nec dona Dei putanda sunt ista, quando haec infideles agunt, secundum Apostoli sententiam: Omne, quod non est ex fide, peccatum est?* Hoc secundum ibidem eligit dicens: *Quis audeat dicere, donum Dei esse peccatum?* Et paullo infra: *De iis, quae faciunt* (infideles), *dictum est: Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Cum igitur faciunt haec homines sine fide, quae videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quaerentes, vel sibi, vel aliis, sive in his rebus, quas vitiose concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive daemonibus servientes, non peccata coercentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori*.

Sed qui in contrariam a nostra abeunt sententiam respondent. I. Potest homo etiam gratia destitutus aliqua opera sua non referre ad Deum ultimum finem, neque ad finem pravum, sed ad finem honestum, et recte agere, quia sic recta ratio dictat. Eo in casu opera absque fide et gratia peracta non modo peccata non erunt, sed dici quoque poterunt virtutes. II. Et revera. Virtus quaevis moralis si propter finem honestum exerceatur, censetur intrinseca sui bonitate in Deum ultimum finem referri. Nam habet in ipsa actus entitate *imbibitam*, ut inquiunt, relationem ad Deum; proindeque vera virtus est, non vitium. III. Si infideles virtutes absque ullo exercerent fine, steriles ad summum virtutes, non peccata dici possent.

Resp. ad I. Agere propter finem honestum idem est, ac virtutem referre ad se ipsam. Ast homo auxilio Dei non adjutus virtutem ad se ipsam referendo, facile admodum sibi complacet ac in philautiae vitium labitur. Unde S. P. Augustinus memorato lib. IV. cont. Jul. cap. 3. *Nihil est*, inquit, *in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita naturarum, rationali mente praestantius. Unde fit consequens, ut mens bona magis sibi placeat, magisque se ipsa delectet, quam quaelibet alia creatura. Quam vero periculose, imo perniciose sibi placeat, cum per hoc tumescit typho, et morbo inflationis extollitur, quandiu non videt,*

sicut videbit etc. Et lib. XIX. de C. D. cap. 25. subdit: *Proinde virtutes, quas* (humana mens) *sibi habere videtur, per quas imperat corpori et vitiis ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsae vitia sunt potius, quam virtutes. Nam licet a quibusdam tunc verae et honestae putentur esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatae ac superbae sunt; et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt etc.* Hoc idem demonstrare pergit eximius doctor serm. VI. de verbis Apost. exemplo a Stoicis deprompto, qui virtutem sectabantur propter honestatem, contra quam facerent Epicurei, virtuti studentes propter voluptatem; aitque utrorumque virtutes fuisse peccata, introducens ibi Paulum Apostolum Athenis cum Stoicis ac Epicureis colloquentem, quum Act. cap. 17. legatur: *Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo.* Ita autem laudato loco S. doctor scribit: *Dicebat Epicureus: Beatus, cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus: Imo beatus, cujus est in fructu virtus animae ejus. Dicebat Apostolus: Beatus, cujus est nomen Domini spes ejus. Errat Epicureus: falsum est enim, esse hominem beatum, cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Fallitur et Stoicus: falsum enim est, et omnino mendacissimum, beatum esse hominem, cujus est in fructu virtus animae ejus.* Comparationem hanc inter Stoicos et Epicureos instituit etiam in lib. V. de C. D. cap. 20. ubi inquit, Epicureos pinxisse voluptatem, tanquam reginam in sella sedentem, cui virtutes ancillarentur. Tum addit: *Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius et deformius ... Sed non existimo satis debiti decoris esse picturam, si etiam talis fingatur, ubi virtutes humanae gloriae serviant. Licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, et multum inanitatis habet ... Nec illi se ab ista defenderint foeditate, qui cum aliena spernant judicia velut gloriae contemptores, sibi sapientes videntur, et sibi placent.* Per Augustinum ergo homo, qui virtutum officia propter honestatem exercet, typho superbiae ac philautiae corrumpitur. Et merito quidem. Nam homo gratia destitutus, licet absolute loquendo peragere bonum possit propter finem honestum, ut paullo ante docuimus, habet nihilominus concupiscentiam, quae ipsum ad agendum pertrahit propter pravum finem. Unde in praxi aut nunquam aut raro admodum in operis sistit honestate. Atque ut actionem in ea poneret, necesse foret, ut statim post peractum opus alio mentem avocaret. Quod perraro admodum contingit. Nam qui moraliter agit, ad actionem suam animadvertere debet, an bene scilicet operatus sit, ac propter bonum finem: quae quidem considerans, nil facilius quam ut opus diligat suum, atque ita superbia tumescat et infletur. Ac denique infidelis virtutes propter honestatem exercens, non illas refert ad Deum ultimum finem, quem non agnoscit. Hoc autem solum sufficit, ut virtutes illae censeantur, in sensu supra exposito, peccata. Idcirco Juliano objicienti: *Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* respondet Augustinus lib. IV. adv. eumdem cap. 3. *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est: non quia*

per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.

Ad 2. dico 1. Falsum penitus est, actionem ob honestum finem peractam continere in se relationem ad Deum. Nam si res ita se haberet, actio illa meritoria esset aeternae vitae, quum actio propter Deum patrata meritum aliquod habeat aeternae vitae; et ita disponeretur homo ad justificationem absque fide, quod absurdissimum est. 2. Honestas illa, ad quam opus suum infidelis referret, objectum esset ordinis naturalis. Quomodo ergo imbibitam habere potest in entitate relationem ad Deum, qui ordinis supernaturalis est, nec etiam ut auctor naturae absque gratia diligi potest, ut oportet? 3. Cur finis honestus sibi in agendo ab infideli propositus intrinsecus continet relationem ad Deum? Nempe quoniam finis ille bonus est. Ast bonum est etiam officium operis; nec proinde intrinsecus continet relationem ad Deum, quum officium ad pravum quoque finem referri possit.

Ad 3. respondeo verbis Augustini lib. IV. cont. Jul. cap. 3. *Absit autem, ut virtutes verae cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos ... Quae autem nulli rei servire volunt, nec ipsae verae sunt. Verae quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, a quo donantur hominibus ... Quidquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est*. Quod vero non dentur virtutes steriles, sic demonstrare pergit ibidem S. Pater: *Fieri non potest, ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quidquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem, ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat et in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni*. Et postea: *Deus istas arbores non potest diligere: et si tales permanserint, disponit excidere, quia sine fide impossibile est placere Deo.*

Prob. 3. thesis. Homo de suo nihil habet, nisi peccatum. Nam concilium Arausicanum canone 22. hanc tulit definitionem: *Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quis autem habet homo justitiam atque veritatem, de illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo, quasi quibusdam guttis irrorati, non deficiamus in via*. S. M. Ecclesia in orat. Dom. XIV. post Pentec. sic Deum deprecatur: *Sine te labitur humana mortalitas*. Et in ipso Pentec. die inquit: *Sine te nihil est in homine, nihil est innoxium*. S. P. Augustinus in lib. de spir. et litt. cap. 3. *Neque liberum arbitrium quidquam, nisi ad peccandum valet*. Et in ep. 186. cap. 10. Sine gratia *dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere.*

Dissolvuntur argumenta adversariorum.

Obj. 1. cont. 3. thes. I. Ubi Scriptura et Patres affirmant, absque gratia nihil fieri posse boni, intelligendi sunt de bono ordinis supernaturalis,

quod ad veram ducit pietatem et vitam aeternam. Quare ex illis fontibus colligi nequit, opera infidelium absque gratia patrata non esse veras virtutes. II. Momentum illud ex Apostoli verbis depromptum: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, nullius est pro nostra sententia ponderis. Nam illorum verborum sensus est: Omne, quod ex dictamine bonae conscientiae non est, peccatum est. III. E contra idem Apostolus in epist. ad Rom. cap. 2. *Gentes*, inquit, *quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*. Si gentiles naturaliter legem faciunt, non indigent semper gratia, ut exerceant virtutes.

Resp. ad 1. Inter vitium ac virtutem proprie dictam, quae quidem supernaturalis est, quia opus est gratiae, nullum in praxi, ut plurimum saltem, datur medium, sicuti nullum medium est inter aeternum ac temporale bonum, ut S. Pater multis in locis, et lib. praesertim V. de civ. Dei cap. 12. ac lib. IV. cont. Julianum cap. 3. docet. Audi S. doctorem in hoc secundo loco ita scribentem: *Porro si veram justitiam non habent* (infideles et impii), *profecto nec alias virtutes comites ejus et socias, si quas habent, veras habent: quia cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti*. Quando autem infideles opera secundum officium bona exercent absque gratia, agere solent plane naturaliter, et propter temporale et commutabile bonum; proindeque peccant vel omittendo vel committendo.

Ad 2. De fide, et non de conscientia esse Apostoli verba accipienda, patet 1. quoniam sic ea intellexit doctorum aquila Augustinus disputans adv. Jul. lib. IV. cap. 3., ut ex allatis superius bene multis testimoniis apparet. Unde exponere Apostoli textum de conscientia, et non de fide, idem est ac rejicere cum Morainio aliisque hujus generis hominibus auctoritatem Augustini. 2. De fide, et non de conscientia textum intellexerunt alii sancti Patres loco mox laudato allegati. 3. Eo sensu accipit etiam Ecclesia. Nam Episcopus ex antiquissimo ritu, qui in Pontificali Romano legitur, consecrans subdiaconos ita inquit: *Estote ergo tales, qui Sacrificiis divinis, et Ecclesiae Dei, hoc est, Corpori Christi digne servire valeatis, in vera et catholica fide fundati; quoniam, ut ait Apostolus: Omne, quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiae est*.

Ad 3. Testimonium Apostoli ex cap. 2. ad Rom. depromptum objectum olim fuit Augustino a Juliano ad demonstrandum, veras in infidelibus dari virtutes. Neque dicant, Juliani scopum fuisse ostendere veras in infidelibus absque gratia virtutes ad vitam aeternam conducentes. Nam Pelagiani nunquam ausi sunt affirmare, opera absque sanctificante gratia patrata meritoria esse vitae aeternae. Ac proinde contendebat Julianus, infideles veras ac proprie dictas exercere virtutes in ordine naturali, quae bonae essent undequaque, et meritoriae non quidem aeternae vitae, sed gratiae habitualis, sine qua nemini aeternam vitam Pelagiani concedebant. Sapientissimus itaque Pater Augustinus apostolicam exponit sententiam de gen-

tibus ad fidem conversis. De qua intelligentia fuse in expositione pertractabimus.

Obj. 2. S. Augustinus lib. I. de peccat. mer. et rem. cap. 22. ita scribit: *Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque consurgat; et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia christiana non possit?* In lib. quoque de spir. et litt. cap. 27. ac serm. CCCLXXXV. inter hom. 50. docet, ethnicos philosophos solis naturae viribus esse castos, liberales, aliasque exercere virtutes. Consonant his etiam quae habet Origenes lib. II. in epist. ad Rom. cap. 2., Chrysostomus hom. LXVII. ad popul. Antioch., Hieronymus in epist. ad Demetriadem, et M. Gregorius hom. XXV. in Evang. II. Idem Augustinus lib. IV. cont. Jul. cap. 3. affirmat, in inferno minus Fabricium quam Catilinam puniri. III. Antiqui Romani ob exercitas a se virtutes mercedem receperunt a Deo, mercedem quoque obstetrices Aegyptiae et Nabuchodonosor, quamvis extra veram essent religionem.

Ad 1. resp. Omnia haec uno solvi possunt verbo, si diceremus, Augustinum aliosque Patres affirmare, a gentilibus et a quovis homine Christi gratia destituto fieri opera secundum substantiam, seu ex officio bona juxta sensum superius explicatum. 2. Tamen Origenem asserimus, in rebus de gratia illius non admittere quoad auctoritatem, quippe magister fuit et antesignanus Pelagianorum, ut lib. harum instit. XXVI. cap. 1. demonstravimus. De aliis Patribus in argumento laudatis vide quae dicemus cap. 15. sequente. Quoad Augustinum vero animadvertendum est, ibi S. Patrem errorem insectari Origenistarum, animarum praeexistentiam admittentium. Proinde ait, gratiam fidei non rependi meritis ac bonis operibus ab animabus, antequam corporibus includerentur, patratis. Si enim, inquit, illi fidei gratiam recipiunt, qui ob peracta in altera vita bona opera eam promerentur, nonne ipsorum animae corporibus includi debuissent, quae *mitioribus agerentur concupiscentiis*? Et e contra, qui hanc non recipiunt gratiam ob peccata in superiore vita patrata, nonne includi deberent corporibus ad vitia magis inclinatis? Et nihilominus fit, ut minus sint vitiis addicti, qui hanc non recipiunt gratiam; illisque detur, qui procliviores sunt ad vitia. Arguit S. doctor ex adversariorum principiis.

Ad 2. De minore Fabricii poena in inferis dico cum eodem Augustino laudato libro cont. Jul. *Minus Fabricius, quam Catilina punietur: non quia ille bonus, sed quia iste magis malus; non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando.*

Ad 3. Haec satis explicata sunt in antecedentibus. Veteres Romani virtutes exercuerunt, non quoad modum, et ut oportet, sed quoad substantiam. Et quoniam illarum exercitio virtutum debitus deerat ordo, nullam plane, ne temporalem quidem, promeruissent mercedem. Sed quum dives sit Deus in misericordia sua, praemium temporale tamen parvique momenti illis elargiri voluit. Quod pertinet ad obstetrices Aegyptias et Nabuchodonosorem nullius est ponderis. Vel enim habuerunt gratiam conditoris,

per quam bonum opus secundum substantiam, ut diximus, exercuerunt, vel, si virtutes illas cum debito fine exercuerunt, habuerunt a Deo gratiam fidei. Nec mirum: versabantur namque inter Judaeos, adeoque veri Dei habuere notitiam, ut de Nabuchodonosore praesertim constat.

Obj. 3. Pius V. hanc in Bajo proscripsit propositionem: *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia*. Habetur illa num. 25. Et num. 27. damnata fuit haec alia: *Liberum arbitrium sine gratia Dei nonnisi ad peccandum valet*. Num. 28. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* Numero 29. *Non solum ii fures sunt et latrones, qui Christum viam, et ostium veritatis et vitae negant, sed quicumque aliunde, quam per ipsum in viam justitiae, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt*. Num. 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Etiam Clemens XI. in const. *Unigenitus* sequentes damnavit Quesnellii articulos. Num. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris*. Num. 39. *Voluntas, quam gratia non praevenit, est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum*. Num. 48. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine fidei lumine, et sine Christo, et sine caritate?* Ex horum proscriptione articulorum jam sua sponte sequitur, falsum esse, hominem gratia salvatoris destitutum non posse veras exercere virtutes. II. Infideles gratia Christi carentes, sed specialem habentes gratiam conditoris, multa bona opera exercuerunt, quae quidem bona fuere undequaque; alioquin nec creatoris gratia ad illa facienda fuisset necessaria, quum possit homo solis naturae viribus bonum secundum substantiam exercere.

Resp. ad 1. Sententia nostra nihil commune habet cum damnatis a Sede Romana erroribus. Patet hoc manifeste ex comparatione Augustinianae doctrinae cum pravo Baii et Quesnellii systemate. Uterque enim quum nullam revera agnosceret actualem gratiam Spiritus Sancti ab habituali distinctam, docuit proinde, commentitium plane esse discrimen inter bona opera, quae vitam merentur aeternam, quaeque non merentur. Ajebant siquidem Bajus et Quesnellius, vel in homine dominari habitualem charitatem, vel cupiditatem habitualem, uti contingit in infidelibus et peccatoribus. Si ipse sub dominatione sit habitualis charitatis, ejus opera erunt meritoria vitae aeternae; si sub alterius dominatione consistat, omnia opera ejus erunt peccata, ipsi quoque non deliberati concupiscentiae motus. Rem ita se habere plane colligitur ex nexu damnatarum Baii propositionum. Etenim prop. 63. ait: *Illa distinctio duplicis justitiae, alterius, quae fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quae fit ex inspiratione quidem Spiritus S. cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis .... rejicitur*. Prop. 62. *Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum ... vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod fit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est*. Prop. 38. *Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mun*

dus diligitur ... aut laudabilis charitas , qua per Spiritum S. in corde diffusa Deus diligitur . Prop. 51. *Concupiscentia sive lex membrorum , et prava ejus desideria , quae inviti sentiunt homines , sunt vera legis inobedientia* . Prop. 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati* . Tandem prop. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata* . Eamdem Baii doctrinam pro virili parte renovavit Quesnellius ; asseruit nempe , vel esse in homine fidem charitate habituali formatam , et tunc omnia ejus opera bona esse ; vel talem deesse fidem hujusmodi formatam charitate , et tunc omnia opera ejus , illa etiam quae indeliberate fiunt , totidem esse peccata . Conferantur simul propositiones ejus 26. 27. 40. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. E contra Augustinianae scholae theologi absque ulla ambiguitate docent , non omnia infidelium peccatorumve opera esse peccata . Id autem multiplici ratione . Et 1. quidem quia infideles aeque ac peccatores sine actuali Dei auxilio aliqua patrare possunt opera , quae ex objecto et fine proximo bona sint , et quae propterea non sunt peccata . 2. Quia infideles et peccatores auxilio adjuti gratiae actualis nonnulla facere possunt et faciunt quandoque opera ex objecto et fine ultimo bona , licet meritoria non sint vitae aeternae ; ideoque discrimen est inter opera , quae merentur vitam aeternam , et illa , quae non merentur . 3. Quia nullo modo peccata sunt non deliberati concupiscentiae motus . Nil ergo sententia nostra commune habet cum damnatis ab sede Apostolica erroribus.

Res clarius uberiusque explicetur . Itaque animadvertendum est 1. aliquos Baii articulos non ob falsitatem doctrinae , sed ob censurae acerbitatem damnatos fuisse , teste etiam Vasquesio 1. 2. disp. 190. cap. 18. n. 184. Idque non solum apparet ex articulo 29. *Non solum ii fures sunt , et latrones etc.* , sed etiam ex articulo 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata* . Nam licet in Bulla non semel edita Romae contra doctrinam Baii propositio illa , *Omnia opera infidelium etc.* legatur hoc modo , testantur tamen Turrianus in tract. de erroribus Baii , et Suarez proleg. VI. de grat. cap. 2. sic olim lectam fuisse : *Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia , Non omnia opera infidelium sunt peccata* etc. Quod magis verisimile fit , si inspiciamus ejusdem Baii propositionem num. 22. *Cum Pelagio sentiunt , qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes , quae legem non habent , naturaliter ea , quae legis sunt , faciunt , intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus* . Quumque ad privatum non pertineat theologum tam acerba censura catholicos scriptores notare , merito memorati articuli damnati fuerunt . Sed responsionem hanc fusius deinceps explicabimus . 2. Propositiones illae affirmantes , omnia infidelium opera esse peccata , merito proscriptae sunt etiam tanquam falsae et erroneae . Actus quippe indeliberati ac necessarii ab infidelibus eliciti certe peccata non sunt , ut Bajus existimavit . Deinde numquid peccaminosus est amor beatitudinis , qui in infidelibus reperitur ? Denique multa isti facere possunt , quae si in se spectentur , bona sunt secundum substantiam , ac proinde peccata non sunt , quamvis illa peragendo ut plurimum peccent ob debiti ordinis omissionem . Eadem de caussa falsa quoque est illa pro-

positio: *Virtutes philosophorum sunt vitia*. Debuisset namque dicere, quod ethnici philosophi in virtutibus exercendis non solent vitio carere, vel quia virtutes ad pravum referunt finem, et peccant peccato commissionis, vel quia omittunt illas ad debitum finem referre, et peccant peccato omissionis. 3. Multae ex allatis propositionibus damnatae sunt *respective et in sensu ab assertoribus intento*, ut asseritur in fine bullae. Puta, illa, *Omnia opera infidelium sunt peccata*, proscripta est respective ad prop. 35. *Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est*, et ad alias, in quibus traditur, ad bene operandum gratiam non sufficere actualem, sed necessariam esse habitualem. Quae doctrina merito damnata est a Tridentino concilio, ut superiore libro diximus, ubi demonstravimus, etiam peccatores ab actuali gratia motos et excitatos actus elicere supernaturales. 4. Eaedem propositiones jure damnatae sunt, quoniam infideles, si gratiam a Deo recipiant, opera undequaque bona faciunt. Unde articulus ille, *Omnia opera infidelium* etc. absolute prolatus, falsus est. Haec eadem responsio quoad singula capita aptari quoque a nobis potest argumento ex bulla *Unigenitus* desumpto. Ceterum nonnullae ex allatis propositionibus in terminis desumptae sunt ex Augustino, ut est illa v. g. quae habetur numero 27. *Liberum arbitrium sine gratia Dei nonnisi ad peccandum valet*. Et illa num. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata*, quam maxime convenit cum Apostoli textu: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*; et, *Impossibile est sine fide placere Deo*. Quis autem dixerit, Romanam cathedram Augustini ac Pauli doctrinam voluisse proscribere? Damnatus ergo tantum est pravus novatorum sensus.

Ad 2. Opera ab infidelibus cum speciali conditoris gratia patrata bona erant ex officio dumtaxat, aut etiam ex fine proximo, non vero undequaque. Talia autem opera alia sunt aliis difficiliora. Quae facilia sunt, ut honorem praestare parentibus, proprios alere filios, et similia, utique fieri possunt ab homine solis naturae viribus, gratia conditoris ordinaria adauctis. Ast difficiliora, e. g. pravam superare consuetudinem, uti factum legimus in Polemone, indigent ut exerceantur etiam secundum substantiam gratia ejusdem conditoris speciali. Sed de difficili controversia dictum satis.

CAPUT XIII.

Utrum in hoc infirmitatis statu necessaria sit Christi gratia ad amandum Deum.

Antequam propositam resolvamus controversiam, nonnulla animadversione digna praemittenda esse censeo. 1. Tribus modis considerari potest Deus; vel prout comprehenditur sub communi ratione boni; vel prout est auctor naturae; vel prout est auctor gratiae. Deus, quatenus sub communi ratione boni comprehenditur, est ipsamet nostra felicitas et beatitudo, quia solus Deus rationalis creaturae explere potest appetitum. Deus, ut auctor naturae, est largitor naturalium donorum, quae in rationali creatura

reperiuntur, puta, intellectus, voluntatis, existentiae, aliorumque similium. Deus denique, ut gratiae auctor consideratus, est dispensator supernaturalium donorum ad ultimum finem perducentium, fidei videlicet, actualis habitualisque auxilii, perseverantiae finalis, et vitae aeternae. 2. Triplicis etiam generis est amor erga Deum, nempe naturalis, concupiscentiae, et super omnia. Amor Dei naturalis est innatus ingenitusque appetitus, quo quis fertur in beatitudinem, quae nihil aliud est, nisi Deus ipse, ut diximus. Amor concupiscentiae ille est, quo quis Deum diligit propter proprium commodum, v. g. propter divitias, vel corporis incolumitatem. Habetur tandem amor Dei super omnia, quando quis Deum ita diligit, ut praeferat illum sibi aliisque omnibus creatis rebus, sive terrestribus, sive caelestibus. 3. Quando itaque inquirimus, an necessaria sit gratia ad diligendum Deum, non loquimur de Deo, prout sub communi comprehenditur ratione boni. Nam amor hic, quum sit naturalis instinctus atque indeliberatus, qui in singulis reperitur hominibus, Dei gratiam proculdubio non exigit. Neque loquimur de Deo, prout auctor est supernaturalium donorum. Quum enim nulla sit inter rationalem creaturam donaque illa supernaturalia proportio, nemo unus diffitetur, ad Deum sub eo respectu diligendum necessariam esse Christi gratiam. Inquiritur ergo, an salvatoris gratia necessaria sit homini in hoc infirmitatis statu ad Deum diligendum, prout auctor est naturae. Et loquimur quidem non de amore naturali, vel concupiscentiae, sed de amore Dei super omnia. Itaque sit

CONCLUSIO

Homo in hoc infirmitatis statu non potest absque gratia salvatoris Deum super omnia diligere, neque ut auctorem naturae.

Prob. 1. Scripturis. Ad Rom. cap. 5. ait Apostolus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. Joannes in ep. I. cap. 4. *Caritas*, inquit, *ex Deo est*. Idem Paulus ad Eph. cap. 6. scribit: *Pax fratribus et caritas cum fide a Deo Patre*. Et ad Gal. cap. 5. *Fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax*. Significant haec, amorem Dei, qui sit caritas, amor nempe ordinatus et rectus, ejusdem Dei esse donum. Jam vero amor Dei super omnia, ut auctoris etiam naturae, rectus et ordinatus est. A Deo ergo descendit per gratiam salvatoris.

Prob. 2. conciliis. Synodus Milevitana can. IV. definitionem hanc tulit: *Utrumque Dei donum est, et scire quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus*. Concilium Arausicanum II. can. 25. ait: *Prorsus Dei donum est diligere Deum*. Et rursus: *Hoc praedicare debemus et credere, quod per peccatum primi hominis inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus possit aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum esse possit, nisi eum gratia misericordiae divinae praevenerit*. Concilium Tridentinum sess. VI. can. 3. *Si quis*, inquit, *dixerit*, *sine praeveniente*

Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, et diligere, sicut oportet, anathema sit.

Prob. 3. SS. PP. Augustinus in ep. ad Vital. cap. 4. scribit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Libro IV. cont. Jul. cap. 3. inquit: *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre per J. C. cum Spiritu S. Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur creaturis. Sine hoc amore Creatoris nullis quisque bene utitur creaturis.* In lib. de gr. et lib. arb. cap. 18. *Lex autem sine gratia littera est occidens, in gratia vero spiritus vivificans. Unde est in hominibus caritas Dei et proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* S. Bernardus in lib. de diligendo Deo, *Difficile*, inquit, *immo impossibile est, suis quempiam liberi arbitrii viribus, semel accepta a Deo libertate, ad Deum ex toto corde convertere voluntatem, et non magis ad propositum retorquere, sicut scriptum est: Omnes, quae sua sunt, quaerunt.* S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 3. ait: *Unde homo in statu naturae integrae dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei, sicut ad finem, et similiter dilectionem omnium aliarum rerum: et ita Deum diligebat plusquam se ipsum, et super omnia. Sed in statu naturae corruptae homo ab hoc deficit secundum appetitum voluntatis rationalis, quae per corruptionem naturae sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei.*

Prob. 4. rationibus theologicis. Quoties Concilia ac SS. PP. amoris Dei meminerunt, nunquam naturae viribus, sed semper gratiae salvatoris illum tribuerunt. Hinc omnis Dei amor provenit a gratia. Deinde amor Dei super omnia, etiam ut auctoris naturae, totius legis secum fert observantiam, omnium vitiorum odium, omniumque amorem virtutum. Ast nonne haec omnia gratiam requirunt? Praeterea talis amor actus est voluntatis humanae perfectissimus, hominemque disponit ad justificationem. Ad actum autem voluntatis perfectissimum, hominem ad justificationem disponentem, necessaria plane est gratia salvatoris. Tandem si absque gratia posset quis diligere super omnia Deum, ut auctorem naturae, habere eam dilectionem posset ante acceptam fidem et ante baptismum. Si in tali statu homo ille ex hac vita migraret, quum dilexisset Deum super omnia, aeternam vitam proculdubio mereretur: atque ita sine fide atque baptismate, immo absque ulla gratia posset quis vitam consequi aeternam. Quod si quis dicat, hominem illum perire, jam sequeretur, eum, qui super omnia Deum dilexisset, esse damnandum. Ne igitur haec admittamus portenta, confiteamur necesse est, non posse hominem absque gratia diligere Deum, neque ut auctorem naturae.

Sed non acquiescunt argumentis nostris adversarii, et inquiunt. Scripturae, conciliorum, patrumque testimonia intelligenda sunt de dilectione Dei, ut donorum supernaturalium auctoris. Quod patet 1. ex quo Augustinus, nec non Milevitanum atque Arausicanum concilium loquantur adversus Pelagianos supernaturalium donorum negantes necessitatem: 2. quoniam ea-

dem concilia post Augustinum addunt illa verba, *ut oportet*, hoc est: nemo sine gratia potest Deum ita diligere, ut justificationem mereatur et gloriam. Sed neque alicujus ponderis est potissima ratio, quae est allata. Nam homini, qui ante fidem Deum ut auctorem naturae diligeret, Deus ipse teneretur, etiam per miraculum, gratiam inspirare fidei, per quam cognoscere posset Deum ut auctorem donorum supernaturalium.

Verum falsae penitus sunt hae adversariorum animadversiones. Et primo quidem Scripturae absolute affirmant, omnem Dei amorem non nisi ab ipso Deo profluere. Jam vero Deus, ut auctor naturae, nonne verus Deus est? Amor ergo, quo diligitur Deus, ut auctor naturae, a Deo certissime descendit. Deinde, cur Dei amor, ut auctoris naturae, non est per adversarios a gratia? Quoniam naturae auctor, inquiunt, objectum est naturale. Haec autem ratio frivola est. Nam etiam proximus objectum est nobis naturale; nec proinde possumus illum diligere, ut oportet, scilicet propter Deum, nisi per Christi gratiam, dicente Joanne in I. ep. cap. 4. *Si diligamus invicem ... caritas Dei in nobis perfecta est*. Praeterea ut quis decalogi omnia praecepta servare possit, etiam quoad substantiam, gratia indiget salvatoris, ut capite sequente demonstrabimus. Ast adimplere non dicitur omnia decalogi praecepta, qui Deum uti naturae auctorem non diligit; quum Dei amor, ut auctoris naturae, primum sit decalogi praeceptum. Proindeque laudata Scripturae testimonia intelligenda sunt non modo de amore Dei, ut supernaturalium donorum, sed etiam de amore Dei, ut naturae auctoris.

Conciliorum quoque et patrum testimonia de omni Dei amore intelligenda sunt sive ut gratiae, sive ut naturae auctoris. Absolute enim ac indefinite, et sine ulla distinctione loquuntur, ut ex iisdem verbis patet. Deinde prima ab adversariis allata ratio, quod Augustinus et concilia contra Pelagianos loquebantur, vana prorsus est. Nam disputationis cardo Pelagianos inter et catholicos versabatur circa amorem Dei auctoris non gratiae, sed naturae. Neque enim adeo bardi erant Pelagiani, ut existimarent, Deum, ut supernaturalium auctorem donorum, diligi ab homine posse solis naturae viribus: statim quippe reposuisset Augustinus, nullam esse inter creaturam in puris naturalibus constitutam, et Deum gratiae largitorem proportionem. Quod nunquam S. doctor dixit, semper affirmans et inculcans, ad diligendum Deum primi peccati granditate liberum nos arbitrium amisisse. Sed non minus futilis est altera ratio desumpta ex clausula, *ut oportet*. Non enim dictum id a patribus et conciliis est, ad distinguendum inter amorem Dei auctoris naturae, et amorem Dei auctoris gratiae; bene vero ad secernendum amorem spurium seu inordinatum boni commutabilis a casta atque benevola Dei dilectione. Patet hoc manifestissime ex Augustino, a quo doctrinam illam concilia Arausicanum et Tridentinum hauserunt. Sic enim S. Pater in ench. ad Laur. cap. 121. scribit: *Omnis itaque praecepti finis est caritas, id est, ad caritatem refertur omne praeceptum. Quod vero ita fit vel timore poenae, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus S.*

in cordibus nostris, *nondum fit*, *quemadmodum fieri oportet*, *quamvis fieri videatur*. Vides dilectionem, *ut oportet*, opponi dilectioni per intentionem carnalem? Hoc idem tradit in lib. de corr. et grat. cap. 2. *Quando agunt sicut agendum est*, *id est*, *cum dilectione et delectatione* etc.: quod significat, agere hominem sicut oportet, quando operatur motus a gratia. Et in lib. I. ad Bonifac. cap. 9. actionem cum gratia factam appellat *bonum benefactum*. Et lib. III. cap. 4. ad eumdem docet, Judaeos carnales divina non adimplevisse praecepta, *ut oportet*, quoniam legem vel propter poenae timorem, vel ob mercedem temporalem observabant. *Neque enim*, inquit, *fides in eis per dilectionem operabatur*, *sed terrena cupiditas*, *metusque carnalis*. *Sic autem praecepta qui facit*, *proculdubio invitus facit*, *ac per hoc in animo non facit*: *magis vult enim omnino non facere*, *si secundum ea*, *quae cupit et metuit*, *permittatur impune*. *Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus*, *ubi ipse*, *qui praecipit*, *conspicit Deus*. *Tales erant filii terrenae Jerusalem* etc. En quid sit agere, *sicut oportet*: agere non ob temporalium cupiditatem bonorum, vel ob timorem poenarum, sed propter debitum finem. Quare quum Augustinus et concilia absolute pronuntiant, ad diligendum Deum, *sicut oportet*, necessariam esse Christi gratiam, idem est ac si dicant, gratiam necessariam esse ad amandum Deum propter Deum, seu amore casto atque benevolo, non amore concupiscentiae, sive amoris illius objectum sit Deus auctor gratiae, sive sit Deus ut auctor naturae. Proindeque in suo robore consistunt argumenta a nobis allata. Postremam adversariorum animadversionem non moror. Nam si consisteret, sequeretur, Deum teneri justificationem conferre et vitam aeternam ei, qui bonum solis naturae viribus egisset, atque idcirco gratiam non esse gratuitam. De qua re vide, quae diximus initio libri praecedentis.

Ad objecta adversariorum responsio.

Obj. 1. Damnatae sunt a Pio V. in Bajo sequentes propositiones. Num. 34. *Distinctio illa duplicis amoris*, *naturalis videlicet*, *quo Deus amatur ut auctor naturae*, *et gratuiti*, *quo Deus amatur ut beatificator*, *vana est*, *et commentitia*, *et ad illudendum sacris litteris*, *ac plurimis veterum testimoniis excogitata*. Et num. 36. *Amor naturalis*, *qui ex viribus naturae exoritur*, *ex sola philosophia cum elatione praesumptionis humanae*, *cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus*. Hae, inquam, propositiones a Romana sede damnatae sunt. Datur ergo naturalis amor, quo homo Deum ut naturae auctorem prosequitur.

Resp. 1. has similesque Baii propositiones damnatas a Romana sede fuisse ob acerbitatem censurae. Quum enim nonnulli essent et adhuc sint catholici theologi, qui hominem absque gratia Deum diligere posse arbitrantur ut auctorem naturae, non ad privatum theologum, ut erat Bajus, sed ad Ecclesiam spectabat definire, an ea sententia cum injuria crucis Christi defendatur, et ad illudendum sacrae Scripturae et patrum

dictis sit excogitata. Ita respondet Vasquez 1. 2. disp. 190. cap. 18. et disp. 195. cap. 4., testimonium afferens Cardinalis Toleti, qui a Gregorio XIII. missus Lovanium in caussa Baii, Romani proinde judicii sensum fuerat apprime assecutus. Sic autem inquit Vasquez: *Sensum hujus damnationis* (ob acerbitatem censurae) *prout a me explicatus est, contuli cum Illustrissimo Domino Cardinali Toleto, cum sacri Palatii concionator et theologus esset an.* 1586., *eumque probavit, et germanum esse dixit, propriaque manu subscripsit, cujus subscriptionis exemplum apud me adhuc est*. Hoc ipsum declarasse Pium V., testis est piissimus Contensonius tom. I. lib. VIII. disp. 1. cap. 1. Etiam Suarez prol. VI. de grat. cap. 2. ait, multos Baii articulos non propter doctrinam, sed *propter acerbitatem et audaciam fuisse proscriptos*. 2. Dici etiam potest, merito articulos illos damnatos fuisse ob falsitatem doctrinae. Nam nonne datur amor, quo quilibet homo naturaliter fertur in Deum, quatenus est beatitudo in communi? Hic certe a gratia non proficiscitur, sed a natura, quum sit indeliberatus. Deinde datur etiam amor Dei, ut auctoris naturae, et quidem sicut oportet, absque gratia habituali, quam solam admittebat Bajus, sed per solam gratiam actualem. Merito itque damnatae fuerunt allatae propositiones, et merito quoque nos Scripturarum, conciliorum, patrumque innixi auctoritate defendimus, non posse Deum absque gratia ut naturae auctorem amari.

Obj. 2. Homo lapsus absque supernaturali adjutorio potest Deum uti naturae auctorem cognoscere. Cur et non poterit illum diligere? II. Et re quidem vera, intellectus, non obstante ignorantia per originale contracta peccatum, potest solis naturae viribus judicare, Deum, ut auctorem naturae esse diligendum. Quumque voluntas judicium sequi debeat intellectus, poterit et ipsa naturaliter diligere Deum. III. Naturale est voluntati diligere bonum, multoque magis summum bonum. Quare potest naturaliter diligere Deum, qui est summum bonum. IV. Quod si non, quid est ergo, quod potest homo naturaliter alium diligere hominem super omnia, usque etiam ad propriae vitae contemptum, et naturaliter nequit diligere Deum auctorem suum?

Resp. ad prim. 1. Homo lapsus absque supernaturali adjutorio cognoscere potest, totam legem esse adimplendam, omnia peccata esse vitanda, et superandas esse omnes tentationes. Poterit ne proinde omnia haec solis perficere et observare naturae viribus? Non admittent hoc adversarii. Similiter, supposita fide, cognoscit homo lapsus Deum tanquam supernaturalium donorum largitorem, et nihilominus ad eum sub tali respectu diligendum, etiam per adversarios, gratia indiget salvatoris. Quare ex quo homo naturaliter Deum cognoscat uti auctorem naturae, non sequitur, posse illum naturaliter amare. 2. Falsa comparatio est, et discriminis ratio in hoc consistit, quod per primi parentis peccatum magis humana voluntas a concupiscentia vulnerata est, quam intellectus ab ignorantia. Nam haec in intellectu est quaedam privatio cognitionis multarum rerum, non omnium, quam homo per peccatum incurrit. Concupiscentia au-

tem in voluntate est quoddam veluti positivum pondus, a quo voluntas ipsa ad malum trahitur et inclinatur, ut Apostolus inquit in ep. ad Rom. cap. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati*. Mirari ergo non subit, si possit intellectus absque gratia Deum uti auctorem naturae cognoscere, non possit autem sine gratia illum diligere. Ita argumentum illud solvit S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. ad 3. *Magis est natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*. 3. Potest etiam aliud assignari discrimen. Nempe ideo potest homo naturaliter cognoscere Deum, non autem illum amare, quoniam Dei auctoris naturae cognitio non importat ordinem ad Deum ultimum finem, per quem ordinem cognoscens undequaque bonus reddatur; quum antiqui philosophi Deum utique noscerent, non tamen coordinationem ad Deum in voluntate haberent. Ast e contra Dei amor coordinationem dicit voluntatis ad eumdem Deum tanquam ad ultimum finem, quae coordinatio solis naturae viribus haberi nequit.

Ad 2. Intellectus solis naturae viribus judicare quidem potest, Deum ut auctorem naturae esse diligendum, sed judicio universali seu speculativo, non judicio particulari et practico. Jam ab hujus voluminis initio diximus, duplicis generis esse judicium, quod intellectus circa Deum formare potest, universale scilicet et speculativum, et ultimo practicum. Primum exprimitur his similibusque verbis: *Deus naturae auctor est amandus*; alterum vero hoc fere modo: *Deus naturae auctor hic et nunc est amandus*. Intellectus autem solis naturae viribus primum quidem, non alterum ferre potest judicium, quippe quod ad ultimum ferendum judicium practicum intellectus dirigi debet ab inclinationibus voluntatis, quae quum per peccatum corrupta sit, retrahitur a Deo, et ad malum proclivis est. Proinde exhibere nequit intellectui inclinationem suam ad ultimum judicium practicum efformandum necessariam. Potest tamen solis naturae viribus judicium ferre universale, quia nil aliud ad illud requiritur, quam sola objecti evidentia. Jam vero voluntas a judicio quidem ultimo practico, non a speculativo ad agendum movetur; quoniam dum intellectus universale format judicium, quod Deus sit diligendus, quum supernaturali gratia careat, voluntatis corruptae sequens inclinationem, judicium format ultimo practicum, esse hic et nunc temporalia diligenda bona; atque postremum hoc voluntas utpote sibi conforme sequitur. Et adeo verum est, voluntatem universale judicium non sequi intellectus, ut si hoc esset, jam voluntas sibi relicta totam observare posset legem, omnia vitare peccata, et quaslibet tentationes superare, propterea quod intellectus judicio speculativo decernit, omnia haec esse bona dilectioneque digna. Quod quam absurdum sit, nemo non videt.

Ad 3. Naturale utique est voluntati diligere summum bonum, dummodo tamen cognitione practica ab intellectu cognoscatur. Ast intellectus absque ulla Christi gratia cognoscit quidem et judicat, Deum esse summum bonum notitia ac judicio universali, non autem judicio practico et particulari; adeoque nequit voluntas solis naturae viribus Deum diligere.

Ad 4. Ideo creatura potest super omnia aliam naturaliter amare creaturam, quoniam talis dilectio plena vitii est et cupiditatis; quae stare cum humanae naturae infirmitate possunt. Verum amor Dei auctoris naturae super omnia plenus certo est ordinis et caritatis, quae naturae limites omnino superant. Et ideo haec, non illa dilectio superadditis indiget viribus. Accedit, quod longe plura amor Dei includit, quam amor creaturae. Ille enim includit totius legis observantiam, omnium odium peccatorum, tentatio numque victoriam, quae quidem perfici absque gratia nequeunt, quaeque tamen non requiruntur in amanda creatura.

CAPUT XIV.

An homo lapsus solis naturae viribus servare possit decalogi praecepta.

Non de praeceptorum decalogi hic loquimur observantia secundum modum, ut inquiunt. Nam ex hactenus disputatis satis superque constat, neminem posse divinam adimplere legem, sicut oportet, absque salvatoris gratia, nullumque hac in caussa catholicum contradicentem experimur. Sed quaestio est de decalogi praeceptorum observantia secundum officium seu substantiam. Qua in re communis, quam nos amplectimur, sententia est, hominem lapsum solis naturae viribus aliqua quidem secundum substantiam, sed non omnia decalogi posse praecepta servare, adversus Scotum contrarium autumantem. Unde sit

CONCLUSIO.

Homo in hoc infirmitatis statu solis naturae viribus aliqua quidem, sed non omnia et singula decalogi praecepta, etiam secundum substantiam considerata, potest observare.

Prior hujus propositionis pars manifeste sequitur ex iis, quae libri hujus cap. 12. de operibus docuimus infidelium; ubi patrum auctoritate, ac ratione theologica probavimus, posse infideles omni salvatoris gratia destitutos nonnulla facere, quae, si officium spectes, dici possunt virtutes. Quem locum consulito, ne eadem bis repetamus.

Altera proposit. pars sua sponte fluit ex iis, quae superiore capite diximus, non posse videlicet hominem solis naturae viribus Deum ut auctorem naturae diligere. Quum enim primum maximumque decalogi mandatum sit Dei etiam ut auctoris naturae dilectio, si nequit homo praeceptum istud viribus suis servare, jam totam nequit implere legem etiam quoad substantiam, praesertim quum finis legis sit dilectio. Nihilominus thesis haec peculiaribus est demonstranda argumentis.

Itaque prob. 1. Scripturis. Paulus in ep. ad Rom. cap. 2. *Factores*, inquit, *legis justificabuntur*. Matth. cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Juxta laudatas mox sententias, qui totam observat legem ju-

stificatur ac vitam consequitur aeternam. Nemo autem justificationem ac aeternam consequi potest vitam absque Christi gratia; unde nemo potest solis naturae viribus singula implere legis praecepta, etiam quoad substantiam. Hinc optime S. P. Augustinus in lib. de nat. et gr. cap. 2. inquit: *Natura humani generis ex illius unius praevaricatoris carne procreata si potest sibi sufficere ad implendam legem ... de praemio debet esse secura, hoc est, de vita aeterna, etiamsi in aliqua gente, aut in aliquo superiore tempore fides eam latuit sanguinis Christi.*

Prob. 2. ex conciliis. Concilium Milevitanum in caussa Pelagii celebratum can. V. sic definit: *Quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, tanquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit.* Patres concilii Carthaginensis in ep. synodica ad Innocentium I. testantur, Pelagium damnatum fuisse, quod diceret, *in eo Dei gratiam esse deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, ut per propriam voluntatem legem Dei posset complere, sive naturaliter in corde scriptam, sive litteris traditam.* Quid luculentius?

Prob. 3. SS. Augustini et Thomae auctoritate. Ille enim in lib. de nat. et gr. cap. 40. *Si possibilitas*, inquit, *naturalis per liberum arbitrium et ad cognoscendum, quomodo vivere debeat, et ad bene vivendum sufficit sibi, ergo Christus gratis mortuus est.* Innumera sunt S. doctoris loca, quae brevitati studens consulto omitto. S. autem Thomas 1. 2. q. 109. art. 4. scribit: *Dicendum, quod implere mandata legis contingit dupliciter. Uno modo quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur justa, et fortia, et alia virtutis opera; et hoc modo homo in statu naturae integrae potuit omnia mandata legis implere: alioquin homo non potuisset in statu illo non peccare, cum nihil aliud sit peccatum, quam transgredi divina mandata. Sed in statu naturae corruptae non potest homo implere mandata divina sine gratia sanante. Alio modo possent impleri mandata legis, non solum quantum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex caritate fiant. Et sic neque in statu naturae integrae, neque in statu naturae corruptae potest homo implere absque gratia legis mandata.*

Prob. 4. theologicis rationibus. 1. Homo in statu naturae lapsae nequit sine gratia observare praeceptum, *Non concupisces*; quum absque gratia nequeat ipse tentationes superare, quae ex titillante ortae concupiscentia inclinant illum ad malum, ut capite sequente ostendemus. Quo sensu ajebat Apostolus ad Rom. cap. 7. *Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Et, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* 2. Sunt in lege praecepta nonnulla adeo ardua et ad servandum difficilia, ut humanas omnino superent vires. Hujusmodi sunt divitias saeculique spernere voluptates, parcere inimicis, nulli malum inferre etc. Quis autem adeo difficilia sine salvatoris gratia perficere poterit? Probe Jacobus in sua

cathol. ep. cap. 3. *Linguam*, inquit, *nullus hominum domare potest*. Et Sapiens lib. sui cap. 8. *Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det: et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum*. In quae verba S. P. Augustinus lib. X. confess. cap. 29. scribit: *Continentiam jubes. Da quod jubes, et jube quod vis*. 3. Si solis naturae viribus tota servari posset lex, aliquis certe id aliquando fecisset. Ast nullus invenitur, qui absque Christi gratia integram legem unquam servaverit. Apostolus quippe in epist. ad Rom. cap. 3. affirmat, *Judaeos, et Graecos* (Christi gratia destitutos) *omnes sub peccato* fuisse, atque de iisdem dictum fuisse in psalmo: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum etc.* Et de se ipso inquit ibidem cap. 7. *Cum essemus in carne*, (hoc est, absque Christi gratia) *passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*. Abjiciatur ergo falsa illa opinio, quod possit homo sine Christi gratia in hoc infirmitatis statu totam legem quoad substantiam servare.

Conantur tamen adversae sententiae patroni argumenta nostra eludere respondendo, adducta hactenus ex Scripturis, patribus, atque conciliis oracula demonstrare, hominem absque Christi gratia naturalis simul et positivae legis praecepta secundum substantiam observare non posse. Hinc ad rem minime faciunt. Vel probant ad summum gratiae necessitatem ad naturalia servanda mandata quoad modum, non quoad substantiam dumtaxat.

Decipiuntur tamen apertissime. Nam in sententiis a nobis relatis sermo fit praesertim de praeceptis decalogi, quae nemo negaverit esse naturalia. Et revera, verba illa Scripturae: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, quis non videt, prolata fuisse de praeceptis decalogi? Patet id ex antecedentibus et consequentibus. Et testimonium psalmi a Paulo citatum: *Sepulchrum patens est guttur eorum etc.* nonne significat praecepta moralia? Eodem sensu loquitur etiam concilium Milevitanum; quippe quod gratiae statuit necessitatem ad omne id, *quod per liberum facere jubemur arbitrium*. Carthaginense vero naturalem legem expresse commemorat. Sancti demum Augustinus et Thomas tam de infidelibus loquuntur, qui non nisi naturalem habent legem, quam de fidelibus, quibus superaddita est positiva. Quod vero Scriptura, concilia, et patres non de legis observantia quoad modum, sed quoad substantiam dumtaxat verba faciant, vel ex eo patet, quod impossibilitatem implendi solis naturae viribus legem, non ex improportione, quae inter liberum arbitrium sibi relictum et praeceptorum supernaturalitatem intercedit, repetant, sed ex humanae naturae infirmitate, quae post originale peccatum a dominante concupiscentia ita a bono retrahitur, et inclinatur ad malum, ut nisi a salvatoris gratia sanetur et excitetur, nequeat omnia decalogi servare praecepta, quamvis possit faciliorum mandatorum officia exercere, quum in ea rationis lumen non sit omnino extinctum.

Respondetur adversariis.

Obj. 1. ex V. T. I. Quamvis Cyrus monarchiae Persarum fundator, utpote infidelis, omni careret gratia, praecepta nihilominus omnia legis servavit; quippe omnem Dei complevit voluntatem, juxta illud Isaiae cap. 44. *Omnem voluntatem meam complebis*. II. Nec mirum. Nam legis naturae praecepta quoad illorum officia facillima sunt, nec nostras superant vires, dicente Moyse deut. cap. 30. *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi, non supra te est, neque procul positum*. Et rursus: *Juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum*.

Ad 1. resp. 1. Si allata Isaiae verba de tota naturae lege intelligantur, argumentum adversariorum nimis, quam par est, probat. Demonstrat videlicet, Cyrum et quoad substantiam simul et quoad modum absque gratia totam adimplevisse naturae legem; ibi enim dicitur: *Omnem voluntatem meam complebis*. 2. Cyrus omnem voluntatem Dei complevit de Judaeorum liberatione a captivitate, non omnem Dei voluntatem absolute. Hinc sensus Isaiae est: Quae ego dico futura de populi liberatione a captivitate, deque instauranda urbe, de quibus ibi Propheta loquitur, omnia implebuntur a Cyro. Quod vero nequeat vaticinium de peculiari Dei voluntate in decalogo expressa intelligi, facile ex eo evincitur, quod fere nullum revera servaverit Cyrus neque quoad substantiam decalogi mandatum. Fuit namque falsorum numinum cultor, sanguinarius, violentus, injustus regnorum invasor. 3. Cyrus etiam in eo, quod volente Domino fecit in exequenda nimirum Judaici populi liberatione a captivitate, specialem a Deo recepit gratiam, ut ex ejusdem Isaiae cap. 45. colligitur: *Ego suscitabo eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam*.

Ad 2. Quod in Scriptura legitur, mandatum Dei non esse supra hominem, sed valde in ore et corde illius, intelligendum esse de homine divina gratia suffulto, docet Apostolus in ep. ad Rom. cap. 10. hisce verbis: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti ... Quae autem ex fide est justitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in caelum? id est, Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod praedicamus. Quia si confitearis in ore tuo D. Jesum, et in corde tuo credideris, quod illum Deus suscitavit a mortuis, salvus eris*. Eamdem tradit interpretationem etiam Augustinus q. LIV. in deut. docens, mandatum Dei esse in corde, quoniam ibi caritas diffunditur Spiritus S. Sed explicari quoque potest hoc alio sensu, quod nempe decalogus non supra nos, nec procul positus, sed in corde esse dicitur, quia nil plane, quod rationi dissonum sit, continet. Quae explanatio per se manifesta est, nec explicatione indiget.

Obj. 2. ex N. T. I. Marci cap. 10. legitur, juvenem quemdam Christo dixisse: *Haec omnia* (quae continentur in lege) *servavi a juventute mea*. Et quidem sincere; quoniam *Jesus intuitus eum dilexit eum*. Verum juvenis ille Christi adhuc gratia carebat, quippe quod non credebat in Christum.

II. Paulus ad Philipp. cap. 3. de se ipso, antequam Christi imbueretur fide, inquit: *Secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sum sine querela*. Unde absque Christi gratia totam legem servavit. III. Idem in epist. ad Rom. cap. 2. loquens de gentilibus, qui quum essent sine fide, erant sine gratia, ait: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*. Jam vero qui sine fide et gratia, sed naturaliter, quae legis sunt, faciunt, nonne divina mandata observant saltem quoad officia virtutum? IV. Neque consueta tenet responsio, loqui nimirum Apostolum de gentibus ad fidem conversis. Nam etsi pro ea explicatione citetur Augustinus, hic autem in ea sententia non fuit constans, quum in lib. de spir. et litt. cap. 28. de laudato Apostoli textu loquens scribat: *Si autem hi, qui naturaliter, quae legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter colentium etc.* Quae demonstrant, posse per Augustinum Apostoli textum interpretari etiam de gentibus ad fidem non conversis; qui propterea implere possunt naturaliter totam naturae legem. V. Et de gentibus quidem ad christianam fidem non conversis Apostolicam intellexere sententiam Chrysostomus, et alii, quum eam exposuerint de gentibus, quae ante Christi adventum vivebant. VI. Immo non licet nunc amplius Apostolicum testimonium intelligere de gentibus ad fidem conversis. Pius enim V. summus Pontifex Baii damnavit articulum num. 22., qui sic habet: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quae legem non habent etc. intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*.

Resp. ad singula. Et ad 1. In primis poterat ille juvenis, qui Christum interrogavit, habere utique gratiam ad decalogi praecepta observanda. Quum enim Judaeus esset, explicite in verum Deum, implicite vero in Christum credebat. Deinde juvenis ille nonnulla quidem, sed non omnia decalogi praecepta a juventute sua servaverat. Nam primum ac maximum mandatum de diligendo Deo, quum dilexisset super omnia divitias, ut ibidem habetur, non observaverat. Fit ergo sermo de praeceptis nonnullis, iisque facilioribus. Hinc Christus sic eum interrogat: *Praecepta nosti, Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris; Honora patrem tuum et matrem?* Ad haec, quae pauca et faciliora sunt, respondit juvenis: *Haec omnia servavi a juventute mea*. Ast non diffitemur nos, posse ab homine nonnullorum praeceptorum exerceri officia etiam sine gratia salvatoris.

Ad 2. Paulus ad Philippenses testatur, se conversatum fuisse absque querela, hoc est, sine expostulatione judicii, non quatenus decalogi omnia mandata servaverit antequam imbueretur in fide. Nam idem Apostolus pro ea, qua eminebat, christiana humilitate ac sinceritate, in epist. ad Tit. cap. 3. de se ipso scribit: *Eramus aliquando et nos increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem*. Non ergo servavit neque secundum substantiam

omnia mandata decalogi. Quare laudata in argumento sententia hoc modo debet intelligi, quod nempe praeceptis iis inspectis, juxta quae judicia exercebantur, quaeque ab ipso *justitia*, *quae in lege est*, dicuntur, conversatus est Paulus sine querela; nunquam scilicet ad judices delatus est puniendus. Quem sensum aperte exhibet graeca vox ἀμεμπτος.

Ad 3. Gentes juxta Apostolum quae legis sunt naturaliter faciunt, hoc est, absque adminiculo legis Mosaicae, non naturaliter, sola nempe duce natura. Nam affirmat ibi, gentes, etsi legem per Moysis manum non acceperint, nihilominus, adjuvante gratia, facere ea, quae ad legem pertinent. Loquitur namque de gentibus ad fidem jam conversis. Sciendum quippe est, christianos, qui venerant ex Judaismo, aspernari coepisse eos, qui ex gentilitate venerant, quod hi mosaicam, sicut illi, non accepissent legem, et nihilominus non minus ac alii peccarent. Hinc recte Paulus Judaeos redarguit, quod gentes despicerent injuste nimis ac temere, affirmans Deum unicuique redditurum secundum opera ejus, et apud illum non auditores, sed factores legis justificari; quoniam etiam gentes, quae mosaicam non habuere legem in scriptis, receperunt illam in corde, quam, divina opitulante gratia per Christum, implere possunt, non secus ac Judaei, qui legem per manum Moysis acceperunt. Hunc esse laudato in capite Apostoli scopum, videt, qui legit. Hinc S. P. Augustinus Juliano eumdem objicienti textum, sic lib. IV. cap. 3. respondet: *Ideoque dicuntur naturaliter quae legis sunt facere, quia ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumcisione, cui lex data est; et propterea naturaliter, quia ut crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correcta natura*. Et in lib. de spir. et litt., ubi idem versat argumentum, cap. 27. *Nec moveat*, inquit, *quod naturaliter eos dixit, quae legis sunt facere ... hoc enim agit spiritus gratiae, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis*. Ut vero S. doctor demonstret, Apostolum de gentibus loqui ad fidem conversis, duplici utitur argumento. Primo observat, Apostolum immediate ante dixisse: *Tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum ... gloria autem et honor omni operanti bonum, Judaeo primum, et Graeco* (nempe Gentili). Unde inquit Augustinus: *Quibus autem gentibus bonum operantibus gloriam et honorem pacemque promitteret extra Evangelii gratiam constitutis*? Secundo idem S. Pater observat, Paulum ante quoque laudatam sententiam scripsisse: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*. Dein subsumit S. doctor: *Infideles autem non ita legem observant, ut ad justificationem perveniant*. Propterea gentium nomine intelligit Paulus christianos, qui ex gentilitate venerant, quique facere dicuntur legem *naturaliter* per oppositionem ad legem scriptam, non per oppositionem ad gratiam salvatoris. Hanc Augustini interpretationem tradiderant jam Origenes et Ambrosius et sequuti sunt postea Prosper, Fulgentius, Beda, Anselmus, innumerique theologi.

Ad 4. S. P. Augustinus citato in capite demonstrat discrimen inter vetus ac novum Testamentum. In veteri siquidem lex scripta erat in tabu-

lis, per novum autem instauratur in corde fidelium per gratiam, sive Apostoli textus de gentibus ad fidem conversis, sive de gentibus ad fidem minime conversis accipiatur. Nunquam proinde a priore interpretatione sua recedens, recte concludit: *Quodlibet horum accipiatur, constat, gratiam Dei promissam esse Testamento novo etiam per Prophetam; eamdemque gratiam in eo definitam, ut scribantur leges Dei in cordibus hominum.* Unde liquet, solum ad abundantiam, ut inquiunt, admittere S. doctorem aliam Paulinae sententiae expositionem. Sed etsi secus res se haberet, quid inde pro caussa sua eruerent adversarii? Eo in casu infideles legem faciunt naturaliter quoad aliqua, eaque faciliora dumtaxat praeceptorum objecta, quae, quum lex per novum Testamentum in hominum cordibus instauratur, evadunt bona undequaque, et fiunt fructus aeternae vitae. Hinc de gentium virtutibus loquens S. P., inquit: *Quanquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemque mereantur.* Et usurpat particulam, *vix*, quoniam etiam infideles habent aliquando gratiam ad aliquam exercendam virtutem propter Deum ultimum finem.

Ad 5. Exponit Chrysostomus Apostoli verba de iis, qui Christi praecesserunt adventum, quia non ex professo, ut S. P. Augustinus, de hoc argumento agit. Nihilo tamen secius de iis gentilibus loquitur, qui explicite in Deum, implicite autem in Christum credentes, legem naturae observabant. Sic enim inquit: *Gentiles hic appellat* (Apostolus) *non eos, qui idololatrae essent, sed eos, qui Deum colerent; qui naturae legi parentes, exceptis Judaicis caeremoniis, ea tantum, quae ad pietatem conferrent, observarent, qualis erat Melchisedech cum suis omnibus, qualis erat Job, quales erant Ninivitae, qualis erat Cornelius.* Ast gentes, quae explicitam in Deum, implicitam vero in Christum fidem habent, numquid gratiam a Deo ad servandam legem recipere non possunt? Haec quoad Chrysostomum. Hieronymus autem in ep. ad Algasiam q. VIII. ex Apostoli textu demonstrat, neminem naturae ignorare legem, neque idololatras. Subdit tamen, quod ad ea exequenda, quae in hac lege praecipiuntur, perinde se habeat ejus notitia, non secus ac scriptae, ut potius occasio sit peccati sine Dei gratia, et ita operetur in nobis mortem: quod alias non fieret, si lex ignoraretur. Alii vero Patres, si qui ex eo textu probant, idololatras aliquando facere legem, intelligendi sunt de aliquibus, iisque facilioribus mandatis, non autem de omnibus.

Ad 6. Quum ex hactenus dictis apertissime pateat, Augustinum Apostoli exposuisse textum de gentibus ad fidem conversis, suamque expositionem veram esse argumentis demonstraverit, numquid eo temeritatis adversarii pervenerunt, ut affirmare velint, Romanam cathedram anathema intorsisse in M. Augustini sententias? Non puto. *Nam quis dicat*, ait Vasquesius 1. 2. q. 109. disp. 109. cap. 18. *damnari sententiam hujus doctoris in eo, quod ait, illud testimonium de gentibus fidelibus intelligendum esse, cum sit sententia S. Augustini, et omnium Patrum?* Alio itaque sensu, ac ab ipsis urgetur, intelligenda est Bajani articuli proscriptio, videlicet, ob acerbitatem censurae; quae nimis certe acerba est, quum plu-

res inter patres Apostolicam accipiant sententiam de gentibus infidelibus. Sed vide, quae superiore capite diximus.

Obj. ultimo. Omnium decalogi praeceptorum officia sunt humanae naturae proportionata. Cur ergo servari non possunt solis naturae viribus?

Resp. Quia nempe in quovis homine, in statu existente corruptae naturae, lex viget membrorum, quae adversus legem mentis insurgens, si infirma natura non sanetur per gratiam, Deum rebus creatis et commutabilibus semper postponit. Sed de non difficili controversia satis multa diximus.

CAPUT XV.

An in hoc infirmitatis statu necessaria sit homini salvatoris gratia ad vincendas tentationes.

Notandum est 1. tentationem quamlibet vel esse levem, quae remissa quaedam est ad malum impulsio, vel gravem, quae in vehemente excitatione ad peccatum consistit. Notandum 2. extra omnem controversiam esse, tentationem aliquam sine gratia per aliam tentationem, aliamve cupiditatem interdum superari, ita ut unum peccatum alio peccato vincatur. Verum qui tristem hanc victoriam refert, *in vulnera vulnere surgit*, inquit S. Prosper carm. de ingratis cap. 27. Notandum 3. aliquo modo nos absque gratia recte operari, et tentationem saltem levem superare, inspecta substantia operum et officio virtutum, tam esse verum, quam verum est, posse impleri sine gratia aliqua praecepta, et multa opera ab infidelibus fieri, quae secundum se nequeunt vituperari. Notandum 4. totam difficultatem in eo positam esse, utrum scilicet homo lapsus sine gratia aliquam tentationem, sicut oportet, sive bene et ex omni parte vincere possit, ita ut in ea vincenda nullo modo peccet, etiam ratione finis ultimi. His praemissis, sit

PROPOSITIO.

Homo lapsus nullam sine gratia tentationem superare potest, sicut oportet.

Prob. 1. ex V. T. Psal. XVII. Sic David alloquitur Deum: *In te eripiar a tentatione*. E contra psal. XXIX. ait: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*. Psal. CXVII. *Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me*. Auctor Sap. cap. 8. *Aliter non post sem esse continens, nisi Deus det*. Juxta allata Scripturae oracula, adjuvante ac suscipiente Deo, eripitur homo a tentatione, non cadit, est continens; eoque faciem avertente, homo non potest esse continens, et fit conturbatus. Quid clarius ad salvatoris nostri gratiam commendandam?

Prob. 2. ex N. T. Christus Matth. cap. 26. inquit. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*. Et ejusdem cap. 6. jubemur quotidie repetere: *Et ne nos inducas in tentationem*. Apostolus in I. ad Cor. cap. 15.

scribit: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per D. N. J. C.* Et ad Rom. cap. 8. inquit: *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*. Debet itaque homo omnium tentationum victoriam a Deo enixe postulare, et, ea parta, eidem gratias agere, ut allata mox indicant testimonia. Porro quod a Deo postulare tenemur, et de quo debemus gratias agere, numquid a nostris naturae viribus dependet? *Ipsa oratio est certissima gratiae testificatio*, ait Augustinus in ep. 95.. Et in libro de dono persev. cap. 2. subjungit: *An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante, esse in hominis potestate; sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ex hoc gratiae aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit?* Quae hactenus attuli luculentius explicantur nonnullis aliis Scripturae textibus, in quibus sermo fit de tentationibus in particulari. Puta, illa Apostoli verba, *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum*, intelligi debent de tentatione carnis. De doemonis tentatione accipienda sunt illa alia ejusdem Apostoli ad Eph. cap. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Et ne singula percenseam, de tentationibus illecebrarum hujus saeculi accipi debet illa ejusdem Pauli sententia in I. ad Cor. cap. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Interim hisce in locis aliisque paribus semper commendatur gratia salvatoris.

Respondent adversarii, adducta ex V. atque ex N. Testamento divina oracula probare solum gratiae necessitatem ad graves, non vero ad leves superandas tentationes.

Sed futilissima est haec exceptio. Nam 1. in laudatis Scripturae sententiis sermo plane fit de tentatione indefinita, atque idcirco universaliter. Hinc ad omnium sive gravium sive levium tentationum victoriam requiritur gratia. 2. Apostolus diserte affirmat, nos in omnibus superare propter eum, qui dilexit nos, simulque in omnibus scutum sumere debere fidei. Ubi ergo est adversariorum exceptio? 3. Oratio dominica recitanda quotidie est ab hominibus quoque justissimis, qui quotidie gravibus non urgentur tentationibus, bene autem levibus. Jam vero quando dominicam orationem recitamus, non intendimus a Deo petere, ut gratiam nobis largiatur ad graves tantum, sed ad quascumque etiam levissimas vincendas tentationes.

Probatur 3. auctoritate conciliorum. Concilium Diospolitanum hanc damnavit Pelagii propositionem: *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio*. Unde S. P. Augustinus epist. CVI. inquit: *Fit ergo consequens, ut quisquis sequitur illius Episcopalis auctoritatem judicii ... fateatur, quando contra tentationes ... dimicamus, quamvis et illic propriam habeamus voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam*. Patres concilii Carthaginensis II. in synodica ad Innocentium I. scribunt: *Ex sacrilegis Pelagianorum disputationibus necessario sequi, ut nec orare debeamus, ne intremus in*

tentationem . Synodus Arausicana II. can. 9. ait : *Divini muneris est , et cum recte cogitamus , et cum pedes nostros a falsitate et injustitia continemus* . Ex quibus liquet, quarumlibet victoriam tentationum , et bonam hominis sub quavis tentatione constituti cogitationem, et continentiam ab injustitia , dum quis a tentationibus ad legem infringendam urgetur, omnia haec esse a gratia salvatoris, contra quam sentiunt Pelagiani .

Prob. 4. ex summorum Pontificum literis . Innocentius I. in epist., quam ad concilii Carthaginensis patres rescripsit, inquit : *Necesse est , ut quo auxiliante vincimus , eo iterum non adjuvante vincamur* . Et ad patres Milevitanos : *Ecce homines , qui non posuerunt Deum adjutorem sibi . Negantes auxilium Dei , inquiunt , hominem sibi posse sufficere , nec gratia nunc egere divina : qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat* . Zosimus in epist. ad omnes orbis Episcopos , cujus meminit Caelestinus , ita scribit : *Quod ergo tempus intervenit , quo ejus non indigemus auxilio ? In omnibus igitur actionibus , causis , cogitationibus, motibus adjutor et protector orandus est . Superbum est enim , ut quidquam sibi humana natura praesumat , clamante Apostolo : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* . Qui haec omnia satis attente perlegerit, facile suadebitur , salvatoris gratiam esse homini lapso necessariam ad quascumque sive graves sive leves tentationes , sicut oportet, superandas .

Prob. 5. auctoritate PP. Cyprianus in expos. orat. dom. inquit : *Quando rogamus , ne in tentationes veniamus , admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae ... ne quis sibi superbe atque arroganter assumat* . Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos , recitatis verbis illis : *Quid dormitis ? Surgite , et orate , ne intretis in tentationem* , e vestigio subdit : *Debuit juxta vos dicere : Quid dormitis ? Surgite , et resistite ; liberum enim habetis arbitrium , et semel vobis concessa a Domino potestate , nullius alterius indigetis auxilio . Si enim hoc feceritis , non intrabitis in tentationem* . Chrysostomus hom. 24. in I. ad Cor. cap. 10. expendens Apostoli verba : *Fidelis Deus , qui non patietur vos tentari supra id , quod potestis*, sic concludit : *Sunt ergo tentationes , quae ferri non possunt . Et quaenam illae ? Omnes , ut ita dicam . Posse enim ferre situm est in Dei nutu*. Paullo post ita prosequitur : *Neque illas moderatas tentationes ... propria virtute feremus , sed in his quoque ejus indigemus auxilio* . S. P. Augustinus in psal. 89. inquit : *Sine Dei adjutorio per arbitrium voluntatis tentationes hujus vitae superare non possumus* . Et in psal. 106. *Deo desistente ab adjutorio , laborare potes , vincere non potes* . Et serm. 57. de Scripturis cap. 9. *Sine dubio vinceris , si illum adjutorem non habueris* . Atqui non vincitur, sed triumphat, qui aliquam tentationem sine gratia superat, sicut oportet; ergo ex Augustino nulla prorsus tentatio, Deo non adjuvante , undequaque vincitur .

Plura contra hanc nostram sententiam objicere solent adversarii , quae a nobis fuse soluta sunt capite superiore. Nam eadem argumenta , quibus suadere conantur, posse hominem lapsum omnia decalogi praecepta obser-

vare quoad substantiam, urgent quoque contra statutam hanc nostram propositionem. Relege etiam quae diximus de operibus infidelium.

CAPUT XVI.

De gratia ad orandum necessaria; et an ad imputationem peccati preesens collatio gratiae requiratur.

Alphonsus Le-Moyne, quem postea multi sequuti sunt theologi, docuit, gratiam mere versatilem et inefficacem satis esse ad orandum, ita ut etiam non accedente efficaci gratia, homo reapse oret. Et hanc gratiam versatilem voluit omnibus omnino hominibus Dei liberalitate concedi, ita ut si desit, non imputentur peccata, quibus divina lex infringitur. Haec est modo receptissima sententia non solum inter eos, qui Molinae ac Suaresii castra sequuntur, verum etiam inter plures Thomisticae scholae doctores. Quaenam sit nostra sententia, sequentibus aperiemus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Ut quisque habeat potentiam orandi conjunctam cum actu, indiget gratia per se efficaci.

Prob. 1. Ex sententia, quae docet, gratiam orationis non esse per se et ab intrinseco efficacem, sequuntur multa absurda. Nam 1. si duo homines versatilem tantum gratiam habeant ad orandum, unusque oret, alter non oret, qui orat poterit se ab eo, qui non orat, discernere et adversus illum inflari contra Apostolum dicentem: *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 2. Oratio, quae cum sola gratia versatili fieret, non esset Dei miserentis, sed hominis volentis atque currentis contra illud ejusdem Pauli: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ex duobus siquidem aequali gratia exornatis unus oraret, quia vellet, non item alius. 3. Ab ipso homine, et non a Deo esset voluntas efficax et actualis orandi, quum dicat Apostolus: *Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate.* 4. Non essent amplius inscrutabilia judicia Dei.

Prob. 2. peculiaribus argumentis. Apostolus ad Rom. cap. 8. inquit: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* In quem locum ita S. P. Aug. in epist. ad Sixtum scribit: *Quid est autem, interpellat, nisi interpellare nos facit? ... Ita dictum est, interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum.* Idem Paulus in epist. ad Gal. cap. 4. ait: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.* Nempe, ut inquit Augustinus in citata mox epistola: *Non hic ait, in quo clamamus; sed ipsum Spiritum clamantem dicere maluit, quo efficitur, ut clamemus.* Non-

ne innuunt haec efficacis gratiae ab intrinseco necessitatem ad orandum ? Non nos arbitrio nostro interpellamus, sed Deus interpellare nos facit. Non nos clamamus, sed ipse clamat pro nobis, praebendo vires efficacissimas voluntati.

Prob. 3. ex orat. Eccl. quae ita Deum orat: *Fac ea, quae tibi sunt placita, postulare*. Et, *Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum*. Et, *Cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur*. En quod Ecclesia petit a Deo; non quidem potentiam, sed actum et perfectionem operationis.

Prob. 4. ex PP. S. P. Aug. lib. II. de peccat. meritis cap. 19. affirmat, necessariam esse ad orandum *certam scientiam, et victricem delectationem*. S. Fulgentius lib. 2. de ver. praed. cap. 4. inquit: *Admonemur, ut a quo nobis datur praeceptum, ab ipso petamus auxilium: quod tamen non possumus petere, nisi in nobis Deus operetur et velle*.

Prob. 5. ratione. Nullum inter orationem et alia supernaturalia opera est discrimen, sive oratio in se, sive comparate ad nostram spectetur infirmitatem, sive consideretur relate ad ultimum finem, propter quem fieri debet. Nec adversarii contrarium unquam poterunt demonstrare. Sed ut actu fiant alia supernaturalia opera, Alphonsus Le-Moyne aliique cum eo non diffitentur necessariam esse gratiam per se efficacem. Cur ergo negant ubi agitur de oratione ?

PROPOSITIO II.

Quisque fidelis, nisi liberum impedimentum ponat, habet gratiam orationis, qua impetrare potest auxilium immediate sufficiens ad implenda mandata.

Prob. Quilibet homo habens fidem existere cognoscit mandata Dei, seque teneri ad illorum observantiam; non ignorat verba Evangelii, *Petite, et dascribitur vobis*; et, nisi tumore superbiae sit inflatus, sentit et confitetur propriam infirmitatem, ac pugnam experitur rebellis concupiscentiae adversus spiritum. Sed si habeat fidem, et nisi superbia tumescat, gratia sufficiente ad orandum non destituitur. Nam Augustinus lib. de grat. et lib. arb. cap. 16. ait: *Ipsa est fides, quae orando impetrat quod lex imperat*. Et in epist. ad Asellicum: *Utilitas legis est, ut homines de sua infirmitate convincat, et gratiae medicinam, quae in Christo est, implorare compellat*. Ergo quisque fidelis habet gratiam orandi, nisi per liberam elationem hac indignus evadat. Hinc S. P. Aug. lib. de nat. et grat. cap. 42. *Non Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis*. Eodem lib. cap. 15. *Qui voluerit, et non potuerit, nondum se plene cognoscat velle, et oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata*. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Hac gratia orationis destitutus est infidelis.

Prob. 1. ex sacris litteris. Apostolus in epist. ad Rom. cap. 10. scribit: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?*

Prob. 2. ex absurdis, quae in adversariorum sententia liquido fluunt. Sequitur 1. ethnicis, quibus nunquam fuit fides annuntiata, pluries in die se manifestasse Deum per gratiam, qua orando potentiam impetrare possent non peccandi, a tentationibus pressi: 2. Caligolam, Neronem, Heliogabalum, aliosque crudelissimos viros saepe in die pias habuisse cogitationes et affectiones animi ad Deum orandum, etiam quum in libidinum coeno volutabantur: 3. philosophos, qui providentiam negantes nunquam Deum orare solebant, a Deo excitatos quotidie fuisse ad orandum, ut impetrarent virtutes: 4. Pelagianos divinam non agnoscentes ad opera bona gratiam ab illa crebro motos fuisse ut orarent, et gratiam, in quam non credebant, obtinerent: 5. Ipsos atheos nullum plane profitentes Deum per gratiam orationis saepe de Deo cogitasse. Quum haec omnia absurdissima sint, non desipiamus, gratiam tribuentes infidelibus ad orandum. Accedit his praeterea, quod S. P. Aug. immerito ad inscrutabilia Dei judicia confugisset, si adversariorum sententia consisteret in assignanda caussa, cur unus credat, non credat alius; hic convertatur, non ille; alius perseveret, alius non. Debuisset enim dicere, eum, qui credit, qui convertitur, qui perseverat, assentitum voluntate sua fuisse gratiae orationis inefficaci, per quam gratiam impetravit efficacem ad operandum, sicque credidit, poenitentiam egit, perseveravit prae alio, qui gratiam habens orationis, illius motibus propria restitit voluntate. Nonne haec absurdissima sunt?

PROPOSITIO IV.

Homini lapso etiam sine gratia possibilia sunt mandata.

Antequam ad probationes accedamus, notanda sunt quaedam.

1. Facultas liberi arbitrii ab illius exercitio sive actu est accurate secernenda. *Aliud est* enim *posse operari, aliud operari*, inquit Auctor de vocat. gentium lib. 2. cap. 8.

2. Ad male agendum sibi ipsi voluntas sufficit. *Liberum arbitrium ad malum sufficit*, ait Augustinus de corrept. et grat. cap. 11. Ad bonum non sufficit, nisi adjuvetur Dei gratia. *Ad bonum parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*, ait ibidem S. doctor.

3. Ad explicandam hominis libertatem necesse est, ut de eo vere dici queat: Potest, si velit. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit*, inquit Augustinus in lib. de spiritu et litt. cap. 31.

4. Ad explicandam gratiae necessitatem, opus est, ut istud de homi-

ne vere affirmari possit: bonum nunquam volet, nisi piam hanc voluntatem in ipso Deus operetur, juxta illud S. P. Aug. *Ut autem velit, gratiae Dei est*. Utramque veritatem, quam modo exposuimus, passim conciliat S. doctor. *Potest homo*, inquit, *si velit*. En libertas. *Ut autem velit, gratiae Dei est*. En gratiae necessitas. *Si volueris, conservabis mandata. Certum est enim, nos mandata servare, si volumus: sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus*. Haec scribit in lib. de grat. et lib. arb. cap. 16.

5. Vere quis dicit, posse hominem sine gratia actuali bonum agere. Sed hoc intelligi debet de potestate ab actu sejuncta, quam habet a natura. *Posse habere fidem*, inquit S. P. Aug. in lib. de praed. SS. cap. 5. *sicut posse habere caritatem, naturae est hominum*. Merito etiam dicitur, non posse hominem sine gratia quidquam ex omni parte boni facere. Illud vero non intelligitur nisi de potentia cum actu per gratiam conjuncta. *Habere autem fidem, sicut habere caritatem, gratiae est fidelium*, ait citatus doctor ibidem. Pro variis igitur modis, quibus concipitur in homine potestas, recte dici potest, eum posse et non posse aliquid boni sine gratia operari. In legendis proinde Scripturis, patribus, et theologis sive antiquis sive recentioribus, aliisque scriptis, plurimi interest bona fide expendere, quo sensu adhibeantur haec verba, *potest*, *et non potest*.

6. Tandem *possibile*, inquit Estius lib. 2. sentent. dist. 26. sect. 41. *non uno modo dici; nec aequaliter observationem legis esse possibilem homini justo jam habenti habitum gratiae atque virtutum, et homini peccatori, fidem tamen habenti, quae monstret et doceat unde petendum sit auxilium, et homini infideli, qui tamen invitatur ad fidem per Evangelii praedicationem, et denique homini pagano, qui de fide et gratia Dei ad legem ejus servandam necessaria nihil unquam audivit. Primus enim potest totam legem servare potentia valide propinqua, et quidem cum actu conjuncta; praestat enim id reapse: secundus id potest potentia minus propinqua: tertius potentia remotiori: quartus potentia in hoc genere remotissima: qui tamen simpliciter posse non absurde dicitur, quia ... habet talis homo liberum arbitrium adhuc flexibile ad bonum*. His praemissis, sic propositionem demonstro.

Prob. 1. auctoritate S. P. Augustini. Non redarguebat ipse Pelagium, quod admitteret naturalem bene volendi et operandi possibilitatem, sed quod ipsum velle et operari non adscriberet gratiae. *Non tantum*, inquit in lib. de grat. Christi cap. 5. *in eo, quod operari possint* homines, (*hoc enim in natura ... jam acceperunt*) *sed etiam in eo, quod operantur, divinitus adjuvantur*. Et lib. de nat. et grat. cap. 39. *Utinam non possibilitatem naturae humanae ita defenderet* Pelagius, *ut homo per liberum arbitrium etiam sine isto nomine* Jesu Christi *salvus esse posse credatur*. Et rursus lib. de grat. Chr. cap. 34. *Nec alicubi potui reperire, hanc eum* Pelagium *gratiam confiteri, qua non solum possibilitas naturalis voluntatis et actionis ... sed ipsa etiam voluntas et actio sub-*

ministratione S. Spiritus adjuvatur. Et lib. de praed. SS. cap. 5. in libro. *Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturae est hominum: habere autem fidem quemadmodum et habere caritatem, gratiae est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem; ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem ..; non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis hominis, sed in electis praeparatur voluntas a Domino*. Juxta citata verba facultas bene agendi et mandata servandi naturae humanae insita est; appellatur enim ab Augustino modo possibilitas naturae, modo possibilitas naturalis, quam homines in natura acceperunt. Homini proinde lapso sine gratia possibilia sunt mandata. 2. Si Augustinus in homine omni gratia destituto agnovisset impotentiam physicam bene agendi, certe reprehendisset Pelagium, quod bene operandi naturalem possibilitatem defenderet. Sed eum reprehendit tantummodo, quod vellet talem naturae possibilitatem sine gratia in actum prosilire. 3. Si posse habere fidem et caritatem juxta Augustinum naturae sit hominum, certe inest homini vera quaedam bene agendi et mandata exequendi facultas, quae a gratia non pendeat.

Prob. 2. auctoritate insigniorum theologorum. Doctores Lovanienses justificationis censurae Lovan. cap. 12. docent: *Est ergo quoddam posse per naturam omni etiam gratia destitutam propter liberum arbitrium, durante hac vita, in utramque partem flexibile; et est posse per gratiam, quando jam naturae libertas quibusdam divinis adminiculis adjuvatur*. Estius lib. 2. sent. distinct. 26. sect. 41. *Objicies*, inquit, *auxilium divinum non esse in potestate hominis, praesertim ejus, qui de gratia Dei nihil unquam audivit, sed tantum ducitur lumine rationis humanae; et proinde totius legis observationem tali homini simpliciter esse impossibilem. Quidam ad hoc respondent, nullum esse hominem, cui non semper adsit obvium et paratum a Deo auxilium gratiae, per quam possit totam legem servare, et vitare peccata, modo velit, ut potest, eo auxilio uti per liberum suum arbitrium. Sed haec responsio neque Scripturis sacris, neque doctrinae SS. Patrum consonat, neque cum efficaci operatione gratiae Dei consistit, uti plenius suo loco monstrabimus. At neque Augustinus, tametsi vehementer hoc argumento pressus a Pelagianis, usquam istius modi responsionem adhibuit*. Sylvius in 1. 2. quaest. 109. art. 4. ait: *Ad hoc, ut divina mandata censeantur esse homini possibilia, ac per consequens ut homo censeatur posse bene vivere, satis est, eum esse liberi arbitrii capacem, et viatorem*. Ibidem demonstrat, gratiam sufficientem nullius esse subsidii ad probandam mandatorum possibilitatem, quia non semper datur, et tamen semper possunt homines, etiam quum ea sunt destituti, divina praecepta servare. Hanc sententiam propugnat Bellarminus lib. 6. de grat. et lib. arb. cap. ult. Statuit nonnullas propositiones suam doctrinam continentes de gratia et libero arbitrio. Prima haec est: *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solum ad opera naturalia et moralia, sed*

etiam ad opera pietatis, *et supernaturalia*. Secunda: *Habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam et imperfectam ad opera pietatis facienda*. Post allegata testimonia Augustini et Ambrosii, hanc rationem subjungit: *Denique intelligi non potest*, *quomodo ad opera pietatis active voluntas humana concurrat*, *si non habeat ex se potentiam activam*, *saltem remotam*. Tertia propositio: *Non habet homo potentiam proximam*, *et perfectam ad opera pietatis*, *et ideo nihil omnino in hoc genere ex se facere potest*. Deinde hanc difficultatem sibi proponit: *Dices*: *Quomodo liberum est arbitrium ad utrumlibet ante gratiam*, *si bonum facere non potest*? Sic autem respondet: *Liberum est*; *sed ejus libertas est quasi ligata et impedita*; *solvitur autem et expeditur*, *cum potentia proxima ad operandum per Dei gratiam praevenientem ei conferatur*. Alios bene multos praestantissimos theologos praetermittere jubet brevitas.

Probatur 3. ratione. 1. Inter gratiam et liberum arbitrium adest discrimen. Liberum arbitrium est facultas voluntatis, ipsi jugiter et indivulse inhaerens; gratia vero est auxilium actuale et transiens. Liberum arbitrium singulis hominibus semper inest, sive eo utantur, sive non; gratia autem non omnibus, aut saltem perpetuo non adest, fatentibus adversariis, sed tantum quando urget praeceptum. Ad peccandum requiritur libertas arbitrii; gratia vero non necessaria est nisi ad bene agendum, sicut luce non indigemus nisi ad videndum. Ergo liberum arbitrium a gratia differt. Ergo per eam non confertur, ac proinde a natura nobis insitum est. 2. Docet fides, nullum esse vitae momentum, in quo peccator non teneatur, ac proinde non possit ad Deum se convertere, a peccato recedere, Deum diligere, suamque operari salutem; ob hunc enim finem nobis totum hujus vitae tempus conceditur. Jam vero, ipsis fatentibus adversariis, gratia haudquaquam singulis vitae momentis peccatori datur. Idcirco agnoscenda est in homine potentia se se ad Deum convertendi, absente etiam gratia. 3. Ex sententia contraria sequuntur absurda: nempe 1. gratiam homini lapso deberi, nec posse denegari, alioquin possibilis non foret mandatorum observatio: 2. non posse hominem gratiae cooperari; quomodo enim ad pietatis opus actuose concurreret, qui praevia bonum operandi potentia physica esset destitutus? *Profecto*, ut paullo supra producta Bellarmini verba lib. 6. de grat. et lib. arb. innuunt, *intelligi non potest*, *quomodo ad opera pietatis active voluntas humana concurrat*, *si non habeat ex se potentiam activam saltem remotam*.

PROPOSITIO V.

Ergo peccat qui etiam sine ulla gratia legem deliberate violat.

Probatur ex dictis, et confirmatur 1. ex Scripturis. David psal. XIII. indignatur, quod scelestissimi quidam homines cogitaverint, non esse Deum, qui res humanas curet. *Dixit insipiens in corde suo*, *non est Deus*. Tanta vero blasphemia nonnisi ab hominibus omni gratia destitutis prodire potuit. Quis enim dixerit eorum mentem tunc divinitus illustratam,

et voluntatem pie excitatam fuisse? Atqui tamen gravissime peccarunt, non solum rem tam execrandam cogitando, sed etiam alia perpetrando crimina, quae ibidem referuntur; siquidem *abominabiles facti sunt in studiis suis*. De gentilium philosophis, qui quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, haec habet Paulus ad Rom. cap. 1. *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*. Hinc refert, eos traditos esse *in passiones ignominiae, et in reprobum sensum*. Numquid ibi deprehendis divinam quamdam animi illustrationem, et voluntatis ad bonum piam excitationem, in quibus sita est gratia actualis? Nihilominus tamen eos fuisse multorum immaniumque peccatorum reos, testatur Apostolus. Illos namque exhibet, *ut repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, homicidio ... Deo odibiles* etc. Si hic non agitur de peccatis proprie dictis, ubinam reperientur in Scriptura? Nonne ibidem pronuntiat Apostolus: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte?*

Prob. 2. ex Augustino. Praedicantibus Pelagianis, juxta S. Patris doctrinam nec possibilia esse mandata, nec juste homines redargui, quod ea violaverint, nunquam citatus doctor respondit, ideo mandata esse possibilia, et peccata hominibus merito imputari, quia semper praesto est gratia actualis; sed e contra aperte negat, ideo homines a peccato excusari, quod ipsis gratia defuerit. De Pharaonis et Judaeorum caecitate sermonem habens quaest. 50. super deuteron. inquit: *Simul ostendit Moyses sine adjutorio Domini homines intelligere non posse oculis cordis, et auribus cordis; et tamen si adjutorium Dei desit, non ideo excusabile esse hominis vitium, quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen justa sunt*. Et sermone 156. de verbis Apostoli cap. 11. affirmat: *Agis quidem, Deo non adjuvante, sed male*. Et paullo post: *Cum dico tibi: Sine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni dico; nam ad male agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem*. Testatur Augustinus, esse inexcusabile hominis vitium etiam sine adjutorio Dei, eumque liberam ad male agendum voluntatem habere. Quid luculentius? Denique S. doctor lib. de spir. et litt. cap. 19. ait: *Lex sine adjuvante spiritu proculdubio est littera occidens*. Et lib. 15. contra Faustum cap. 8. *Lex sine gratia tantummodo reos facit*. Ast hoc falsum esset, si nemo peccaret, nisi gratiam haberet.

Prob. 3. ex S. Prospero, qui cap. 32. carmin. de ingrat. ita canit:

Non autem recte, nec vere dicitur, illos
Qui sunt exsortes divini muneris, et quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos.

Fidelis Augustini discipulus loquitur hoc in loco manifeste de hominibus non habentibus gratiam. De his tamen affirmat, reos esse peccati.

Probatur 4. declaratione centum Galliae Episcoporum, qui in comitiis anni 1720. art. 3. exp. propriae doctrinae sic pronunciant: *Temerarium esset aliquos doctos damnare theologos, qui docent, gratiam sufficientem*

interdum obcaecatis et obduratis denegari , nec omnibus infidelibus concedi . Temerarium etiam magis esset affirmare , obcaecatos et obduratos non peccare , nec peccata illis imputari .

Probatur 5. ex absurdis , quae a contraria sententia fluunt . Sequitur 1. gratiam necessariam esse ad peccandum tanquam conditionem , sine qua proprie non peccatur , aut saltem juste imputari non posse peccatum ; quod quidem absurdissimum est, et maxime alienum a doctrina patrum asserentium, liberum arbitrium ad male agendum sibi plane sufficere . Sequitur 2. , homines post Adae culpam reos non fuisse illius peccati actualis , si Christus non descendisset in mundum , ut tanquam piacularem victimam Deo Patri se se offerret ; tunc enim nullam habuissent gratiam . Ea igitur foret mortis Christi utilitas , quod nobis gratiam promeruerit , qua peccare , et damnationem aeternam mereri possumus. 3. Quum Scriptura et patres doceant, legem sine gratia occidere , dicendum contra esset , legem sine gratia non posse occidere ; quia si desit gratiae auxilium , non imputatur legis violatio . Quis autem christianus haec patienter feret ?

Prob. 6. ratione . 1. *Licet ille , qui est in peccato , non habeat in propria potestate quod omnino vitet peccatum , habet tamen in potestate nunc vitare hoc vel illud peccatum : unde quodcumque committit , voluntarie committit , et ita ei non immerito imputatur* . Sic ad rem arguit S. Thomas libro 3. cont. gentes cap. 106. et alibi . 2. Si qua est ratio, quae adversarios ad systema illud amplectendum impulit , maxime est , quia denegata gratia , impossibilia redduntur divina mandata . Id autem falsissimum est , ut in antecedente propositione probavimus . 3. Utique ex gratiae defectu quaedam oritur impotentia ad mandata servanda , ut Aug. lib. de corr. et grat. cap. 2. inquit : *In bono autem liber esse nullus potest , nisi fuerit liberatus a Deo , qui dixit : Si vos Filius liberaverit , vere liberi eritis* . Sed duplex est ea impotentia : alia a voluntate sejuncta , quae , velis , nolis , manet , ut impotentia ambulandi in homine , cui fracta sint crura ; et haec excusat a peccato : alia vero voluntati conjuncta , immo in ipsa voluntate sita ; et haec est impotentia , quam peccatores habent servandi divina praecepta , si omni sint destituti gratia . Verum quis non videt , impotentiam hanc non esse nisi constantem peccandi voluntatem ? Est quippe depravatus affectus cordis , terrenis rebus penitus addictus , magisque pravitas , quam impotentia dicenda est . Ideo enim in hoc statu nequit homo divina servare mandata , quia non vult , et creaturam , non Deum vult diligere . Nonne ergo legis transgressio imputanda eidem est ad peccatum ? 4. Denique S. Thomas lib. III. cont. gent. cap. 160. inquit : *Quamvis autem illi , qui in peccato sunt , vitare non possint per propriam potestatem , quin impedimentum gratiae praestent , vel ponant , nisi auxilio gratiae praeveniantur , nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam , quia hic defectus ex culpa praecedenti in eis relinquitur* : sicut ebrius ab homicidio non excusatur , quod per ebrietatem committit , quam sua culpa incurrit .

Concludam definitione concilii Tridentini sess. 6. de justif. cap. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum , et extin-*

ctum esse dixerit, *anathema sit*. Unde sic arguo. Vel homo lapsus habet aliquam sine gratia mandata servandi potentiam, vel dicendum, gratiam esse illius facultatis in homine creatricem. Jam vero hoc posterius dici non potest. Inde enim sequeretur, liberum arbitrium non attenuatum dumtaxat fuisse, sed peccato prorsus extinctum; quod auctoritati et rationi pariter adversatur. *Quis autem nostrum*, inquit Augustinus lib. I. cont. duas epist. Pelagian. cap. 2., *dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere*? Ergo gratia in homine non creat bene agendi potentiam, sed eam jam existentem roborat ac perficit. Ergo homini lapso mandata etiam sine gratia sunt possibilia, proindeque eorum transgressiones eidem gratia quoque carenti imputantur ad culpam.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. contra IV. proposit. S. P. Augustinus lib. I. retract. cap. 22. ait: *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem; sed illa potestas nulla est, nisi a Deo detur*. Et lib. I. cont. duas epist. Pelagian. cap. 2. haec scribit: *Quid est, quod iste libero arbitrio vult bene vivendi tribuere potestatem, cum haec potestas non detur, nisi gratia Dei*? Ergo per Augustinum nulla est in homine potentia, quae per gratiam non conferatur. Et in libro de gestis Pelagii cap. 1. gratiae auxilium inter ea recenset, *sine quibus illud, ad quod adjuvant, effici non potest; sicut sine navi navigat nemo, nemo sine voce loquitur, nemo sine pedibus graditur, nemo sine luce intuetur: unde est etiam illud, quod nemo sine Dei gratia recte vivit*. Quare juxta Augustinum homo gratia destitutus caret physica bene vivendi potestate.

Resp. In his aliisque locis similibus S. P. Augustinus negat illam potentiam, quam defendebant Pelagiani, potentiam nempe conjunctam cum actu. Et hanc potentiam, quam vocat *possibilitatem ipsam cum effectu*, solius gratiae opus esse contendit. *Quod operari possint homines, hoc in natura; sed in eo quod operantur, divinitus adjuvantur*, inquit lib. de grat. Christi cap. 5. Neque comparationes, quibus utitur in lib. de gestis Pelagii, aliquid probant contra nostram sententiam. Nam non ea fuit mens Augustini, ut nudam bene agendi potentiam cum navigandi, loquendi, gradiendi potentia compararet; sed actum dumtaxat cum actu. Non enim de ipsa liberi arbitrii facultate, sed tantum de bono illius usu disputatio erat cum Pelagianis. Id unum significat S. doctor, nempe non magis bonum sine gratia fieri, quam navigationem sine navi, aut gressum sine pedibus. Enimvero non ait, tam deesse homini gratia destituto bene vivendi potentiam, quam deest homini pedibus orbato potentia gradiendi; sed dicit tantummodo, neminem sine gratia bene vivere, sicut nemo sine pedibus incedit. Hic vero locum habet, quod recte dicitur, omnem comparationem ex aliqua parte deficere. De homine enim in tenebris posito dici non potest: *Cerneret, si vellet*. De homine autem semper recte asseritur: *Servaret mandata, si vellet*. Et ita docet Augustinus lib. de grat. et lib.

arb. cap. 16. *Si volueris, conservabis mandata. Certum est enim, nos servare mandata, si volumus; sed praeparatur voluntas a Domino.*

Obj. 2. contra V. propositionem. I. Si Deus ab homine gratia destituto legis exigeret observationem, crudelis esset et saevus; proponeret nempe illi legem, nec tamen medium daret ad illam observandam. Unde ut imputetur peccatum, necessaria est praesens gratiae collatio. II. Et re quidem vera. Ad actionem in sua caussa liberam requiritur, ut effectus futurus praevideatur. Ille autem, cui Deus gratiam denegavit, quomodo potest futurum effectum praevidere, si gratia caret? III. Admissa hac sententia, saltem excusari non poterit Deus a crudelitate, si dicamus, ad culpam imputari legis transgressionem ei, cui denegatur gratia in poenam originalis peccati tantum. Neque enim in hominis potestate est originariam vitare culpam. IV. Neque reponere juvat, homines abjecisse gratiam, quam receperunt in Adam. Nam sicut ad imputationem peccati non sufficit, habuisse in Adam libertatem, ita nec sufficit, in eodem habuisse gratiam.

Resp. ad primum. Non modo nullam sapit crudelitatem, sed aequissimum est, ut qui libere et sponte peccando, ac Dei gratiam contemnendo dignum se constituit, cui gratia omnis denegetur, rationem reddat, luatque poenas omnis inobservantiae legis. Nonne coram Deo homicidii reus est, qui praevidens saltem generatim homicidium, proximo mortem infert in ebrietate? Utique; quoniam non esse in actu homicidii compotem rationis, culpa illius est, qui ebrietatem admisit. Immo etiam in humanis quandoque jure punitur, qui sponte reddidit se impotentem solvendi creditoribus.

Ad 2. Ad actionem in sua caussa liberam requiritur, ut futurus effectus praevideatur in generali, non autem in particulari. Nam etiam in temporalibus qui poenam ignorat in particulari, merito punitur, si deliquit; quoniam qui vult antecedens, vult etiam consequens necessarium. Unde qui vult delictum, vult etiam poenam, quae ex delicto necessario consequitur, etiam si delinquens poenam ignoret in particulari. Porro subtractio gratiae est poena, quae ex actuali vel originali peccato necessario consequitur. Homines nonnulli, quamvis ex peccato subtractionem consequi gratiae in particulari nescirent, libere tamen illud voluerunt. Libere itaque, licet tacite, voluerunt etiam gratiae subtractionem.

Ad 3. Quemadmodum crudelis Deus non est, ex quo ille, qui propria actuali voluntate non peccavit, vere culpam contrahat originalem, et vere peccator existat; ita crudelis Deus dicendus non est, ex quo legis exigat observantiam ab eo, qui in originalis poenam peccati gratia privatur. Sicut enim homo aliena voluntate peccat, ita aliena voluntate Dei gratiam pessundat, eaque se reddit indignum.

Ad 4. Comparatio nullimode tenet. Nam qui libertatem habet tantum in capite, nullam revera habet libertatem, quae ad imputationem peccati necessario requiritur. Ast qui modo gratiam non habet, quam nihilominus habuit in capite, libertatem retinet indifferentiae, per quam potest adhuc vitare peccatum, aut saltem hoc potius, quam illud peccatum, ut docet S. Thomas. Demum ex quo ad peccandum non exigitur gratia personalis, consequens non est, libertatem non exigi personalem.

Obj. 3. cont. eamd. V. prop. I. Tyrannus Deus esset, si legis exigeret observantiam ab homine, cui gratiam subtraxit; quamvis ea subtractio in poenam fiat originalis peccati. Nam crudelis ac tyrannus esset princeps, qui tributa singulis imposita exigere vellet a subdito, quem bonis omnibus expoliavit. II. Hinc S. P. Augustinus affirmare non dubitat, non fuisse Pharaoni imputatum ad culpam, quod Deo non obtemperaverit quando subtracta ei fuit gratia. Sic enim inquit in expos. quarumdam propos. ex epist. ad Rom. num. 62. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se praebuit, cui cor obduraretur praecedenti infidelitate.*

Resp. ad 1. Latum est inter subditum temporalibus bonis, et hominem gratia Dei expoliatum discrimen. Subditus omnibus bonis in perduellionis poenam expoliatus ad tributa solvenda habet impotentiam physicam et absolutam, aut, si mavis, coactionem patitur et violentiam, ita ut etiam si solvere vectigalia vellet, non possit. Quare tyrannus esset princeps, si vectigalia vellet ab illo exigere. Ast homo divina gratia in peccati poenam privatus non violentiam, non necessitatem patitur, sed veram habet ad peccandum indifferentiae libertatem, et peccat, quia libere totaque malitia vult peccare. Immo potest, potentia tamen remota, etiam vitare peccatum; sed vult ipse potius, quam vitare peccatum, infringere divinam legem.

Ad 2. dico 1. Augustinus opus in argumento laudatum scripsit, quum adhuc presbyter esset, quando divinae gratiae mysteria non satis fuerat assequutus, ut ipse testatur in I. retract. cap. 23. Quare nil mirum, si non satis clare de his rebus ibi disseruit. 2. Nihil ex allata sententia contra nostram thesim sequitur. Nam ait ibi S. Pater, peccatum imputatum fuisse Pharaoni hac tantum de caussa, quod dignum se praebuerit, cui praecedenti infidelitate cor induraretur. Unde homini gratia destituto peccatum utique imputatur. 3. Sensus ergo verborum Augustini est, Pharaonem non tum primitus demereri coepisse, quando obdurato corde non poterat obtemperare; sed longe ante, quando videlicet infidelis esse incipiens, ita in Deum rebellavit, ut in sui sceleris poenam omnimodam promeruerit cordis obdurationem. Ait enim ibidem: *Sicut in iis, quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur; sic in his, quos damnat infidelitas, impietas inchoat poenae meritum, ut per ipsam poenam etiam male operentur*. Unde concludit: *Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat praeceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non autem quisquam potest dicere, obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam poenam. Non ergo hoc illi imputatur* cum reliquis, quae lecta sunt in argumento.

CAPUT XVII.

An auxilia inefficacia singulis omnino hominibus a Deo conferantur.

Deum omnium hominum, nemine excepto, velle salutem, et qua id voluntate velit, tomo harum inst. II., ubi de Dei voluntate pertractavimus, jam explicatum est. Christum pro omnibus mortuum esse, omnesque redemisse, et quo sensu, diximus tom. IV. cap. ult. Omnibus hominibus justis conferri a Deo inefficacia auxilia, affirmavimus lib. praecedente. Quare non de his modo loquimur. Controversia est inter theologos celeberrima, an omnibus et singulis parvulis, infidelibus negativis, peccatoribus obcaecatis et obduratis conferantur inefficacia auxilia.

Quoad pueros, quando inquiritur, utrum gratia sufficiens omnibus conferatur, non fit sermo de gratia inefficaci proprie dicta, quae consistit in pia mentis cogitatione et in bono voluntatis motu. Evidens est enim, ejusmodi cogitationis et motus incapaces omnino esse eos, qui sua ratione nondum fruuntur. Sed difficultas est de gratia inefficaci improprie dicta, quae scilicet posita est in medio aliquo sufficiente ad justitiam parvulis conferendam. Unde status quaestionis est, utrum parvulis, qui sine baptismo moriuntur, Deus conferat medium, per quod salutem consequi possunt. Circa hoc duplex est in scholis sententia. Discipuli Ludovici Molinae docent, parvulos omnes recipere, saltem remote, in parentibus nimirum, medium sufficiens ad justificationem, ac proinde ad salutem. Thomistae e contra contendunt, multos parvulos illud medium nec remote nec proxime recipere. His subscripsit Gabriel Vasquez, non ultimus e societate Jesu scholasticus in 1. part. S. Thomae disp. 46. cap. 2. et 3.

Dum vero sermo instituitur de infidelibus negativis, de gratia loquimur inefficaci proprie dicta, quae in parva caritate ac delectatione consistit. Infidelium autem negativorum nomine eos intelligimus, qui nihil unquam de evangelio audiverunt, ad differentiam infidelium positiva laborantium infidelitate, quibus aliquando annuntiatum est evangelium, cujus praedicationem interiores gratiae non raro comitantur. Et etiam circa hanc quaestionem est duplex scholasticorum sententia. Quidam contendunt, omnes infideles recipere saltem remote auxilium, quod satis sit ad salutem. Alii, nempe Thomistae, quos sequitur et laudat Gonetus, negant, hujusmodi auxilium recipi ab infidelibus, qui nullo unquam tempore aliquid audierunt de Christo ejusque evangelio.

Quinam sint peccatores obdurati et obcaecati, non opus est explicare. Illud animadverto dumtaxat, quod fide certum sit, aliquibus obcaecatis et obduratis peccatoribus a Deo conferri quandoque gratias inefficaces juxta illud act. cap. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*; et non raro etiam gratiam efficacissimam, qua ad Deum convertuntur, ut aliquibus accidit, qui quum famosi essent ac impii peccatores, extemplo sancti evaserunt. Unde quaestio est, an omnibus omnino obduratis et obcaecatis, quoties praeceptum instat et urget tentatio, de lege ordinaria praesto sem-

per sit interior sancta quaedam, licet parva, delectatio. Circa hanc quaestionem duplex est in scholis sententia. Molinistae contendunt, singulos obduratos et obcaecatos, quum urget tentatio, aut praeceptum aliquod instat, recipere gratiam sufficientem. Thomistae e contra asserunt, inter obcaecatos et obduratos multos adesse, qui gratia sufficiente careant, etiam quum urget tentatio, vel instat praeceptum. Ita sentiunt Bannes, Zumel, Gonzalez, Alvarez, Estius, et tota schola Lovaniensis. Theophilus Raynaudus e societate Jesu tutam ac sanam hanc judicavit doctrinam, dum in perpolita editione Lugdunensi operum S. Leonis Magni sequentem de ea protulit censuram: videlicet 1. Augustinum hoc docuisse, et nunquam retractasse; 2. S. Fulgentium id ipsum tradidisse; 3. S. Gregorium Magnum multosque alios patres in Augustini sententiam abiisse; 4. denique S. Thomam ab hac doctrina non fuisse alienum. Male ergo a quibusdam non solum propter laudatos tot gravissimos viros ea sententia nuncupatur Jansenistica, eo quod Jansenius in lib. 3. cap. 10. de grat. Christi docuerit, infideles et obduratos carere interdum gratia, verum etiam quia toto caelo distat a doctrina Jansenii damnata. Nam Jansenius nec gratiam sufficientem ab efficaci distinctam, nec indifferentiam libertatis admisit, proindeque nullam in infidelibus, nullam in obduratis gratiam statuit effectu carentem; et tamen utrosque peccare credidit in eo, quod vitare non possunt. E contra quicumque e catholicis negant, gratiam indiscriminatim omnibus conferri, nullum peccatum dari existimant sine indifferentia liberi arbitrii, et ingenue fatentur, frequentes esse sanctas inspirationes, quibus resistitur. Ita notat cl. Berti theolog. discipl. lib. VIII. cap. 8. His praemissis, quid nos sentiamus, sequentes aperient propositiones.

PROPOSITIO I.

Quamplurimis parvulis gratia sufficiens ad salutem a Deo non confertur.

Prob. Gratia, quam a Deo recipere possunt infantes, qui nondum sua ratione fruuntur, ad aeternam salutem obtinendam, est actualis baptismi collatio. Porro quamplurimis parvulis baptisma non potest ministrari, ac proinde nulla his gratia actualis confertur. Etenim non potest ministrari illis vita functis in utero matrum: non potest ministrari illis, qui apud infideles negative moriuntur antequam ad rationis usum pervenerint, quum nihil unquam apud eorum parentes auditum sit de baptismo, illiusque necessitatem invincibiliter ignorent: non potest ministrari illis, qui in loco nascuntur, ubi deest aqua, et statim post nativitatem moriuntur. Quum autem hi omnes sacramentum non percipiant baptismi, sequitur, a Deo nullam recipere gratiam.

Respondent contrariae sententiae assertores, caussam, cur pueris non confertur baptisma, non esse gratiae defectum, sed vel negligentiam parentum, vel eorumdem parentum peccata, quae a Deo puniuntur in filiis, vel caussas secundas, quas non debet Deus ut generalis provisor impedire.

Sed frigidas hujusmodi responsiones praeoccupaverat jam multis in locis S. P. Augustinus. Et quoad primam, quomodo negligentiae parentum imputari potest baptismi defectus in parvulis, qui ex infidelibus negative nascuntur? Neque enim aut voluntarie aut involuntarie parentes negativa laborantes infidelitate negligentes sunt, qui diligentes nullo modo esse possunt. Unde S. P. Aug. lib. de nat. et gr. cap. 8. scribit: *Ego autem dico, parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi baptismum subveniri, morte praeventum, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit*. Deinde, ut idem S. doctor in libro de dono persev. cap. 12. inquit: *Plerumque, festinantibus parentibus, et paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, quia eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur*.

Ad 2. respondetur verbis Augustini in lib. VI. cont. Jul. cap. 14. *Deus aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimae foeminae; et aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero filiae suae. Ille quippe ad baptismum nescio qua provisione pervenit; iste repentina morte non pervenit*. Falsum est ergo, peccata parentum caussam esse, cur filii aliquando non baptizentur.

Ad 3. Caussas secundas mortem inferre pueris, antequam ad baptismum perveniant, quis neget? Verum cur caussae secundae immaturam inferunt mortem, nisi ob originale peccatum? Itaque baptismi defectus in his pueris est poena peccati originalis; proindeque ob illud peccatum gratia infantes privantur. Praeterea, semel admissa adversariorum responsione, sequeretur, illorum mortem infantium adscribendam esse casui. Atque idcirco casui quoque adscribenda foret aeterna hominum vel praedestinatio vel reprobatio, aut saltem utraque a casu penderet contra S. P. Augustinum in lib. de don. persev. diserte scribentem cap. 12. *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire; cum sit utrisque caussa communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandae, vel liberandae sint animae; quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in caelis est*.

PROPOSITIO II.

Quibusdam infidelibus non confertur actu gratia sufficiens, ut credant.

Prob. 1. Script. Fides ex auditu concipitur, ut ait Apost. ad Rom. cap. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* Interdum tamen inspirari fidem divinitus absque exteriore praedicatione, fatemur. Sed beneficium hoc est extra communem ordinem, neque est temere supponendum in singulis. Igitur quibus denegatur externa praedicatio, etiam gratia necessaria ad credendum communiter subtrahitur. Porro non ad omnes et singulas regiones Christi evangelium ab

Apostolis adlatum est, quum ex cap. 16. act. Apost. constet, Apostolis aliquando a Spiritu Sancto fuisse prohibitum, ne loquerentur verbum Dei in Asia; et quum tentarent ire in Bithyniam, non permisisse Spiritum Jesu. Igitur antequam in illa provincia evangelica praedicatio eveniret, multi perierunt absque fidei gratia. Decursu quoque temporis post saeculum apostolicum multis praedicatum non fuisse evangelium, probatur auctoritate Sanctorum. Et 1. S. P. Augustinus in epistola 80. sic loquitur: *Sunt apud nos, hoc est in Africa, barbarae innumerabiles gentes, in quibus nondum praedicatum esse evangelium ... addiscere in promptu est*. Et lib. de nat. et grat. cap. 9. *Juvenis vel senex in ea regione defunctus est, ubi non potuit Christi nomen audire*. 2. S. Prosper in responsione ad IV. gall. capit. ait: *Non omnes vocari ad gratiam eos, quibus omnibus evangelium praedicatur, non recte dicitur ... nisi ad eos respicitur, quibus nondum sacramentum crucis Christi, et redemptio sanguinis ejus innotuit. Quia etiamsi constaret, quod jam in universis nationibus ... totus mundus evangelium recepisset, non esset tamen dubium, a tempore resurrectionis Domini usque ad praesentem aetatem fuisse homines, qui ab hac vita sine cognitione evangelii transierint; de quibus dici possit, quod vocati non sint, quia nec spem vocationis audierint. Quod si quisquam hanc vocationis plenariam generalitatem ita semper asserit celebratam, ut ab ascensione Domini in caelum, ne unus quidem annus effluxerit, intra quem non ad omnes praedicatio missa pervenerit, videat quomodo tunc Asianos vocatos probet, quando Apostoli, sicut scriptum est, vetiti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum in Asia; aut Bithynios, ad quos iidem Apostoli tentabant ire, et non permisit eos Spiritus Jesu ... Postremo respiciantur etiam inter christianos populos tot millia parvulorum, qui ab hac vita sine baptismo transierunt; et aliquo modo probentur vocati, quibus nec plantator praedicare, nec rigator potuit subvenire*. 3. Patres Africani in Sardinia exules in epist. synod. scribunt: *De gratia non digna sentit quisque eam putat omnibus hominibus dari, cum non solum non omnium sit fides, sed adhuc nonnullae gentes inveniantur, ad quas fidei praedicatio non pervenit. Beatus autem Apostolus dicit: Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* Alios omitto brevitatis caussa.

Prob. 2. ipsorum sanctorum patrum testimoniis. S. P. Augustinus lib. de dono persev. cap. 9. ait: *Ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei*. Jam vero illa verba, *Aut non vocetur, aut non ita vocetur*, satis superque commonstrant, aliquibus deesse gratiam sufficientem, ut credant. Et in lib. de praed. SS. cap. 8. ait: *Fides et inchoata et perfecta donum Dei est: et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitat, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare*. Gratia sufficiens ad credendum quid est, nisi quaedam de amplectenda fide sancta cogitatio, ap-

pellata ab Augustino fides inchoata? Et hanc definit deesse aliquibus. S. Prosper lib. sent. sent. 4. ait: *Qui dicit, quod non omnes vocentur ad gratiam, si de iis loquitur, quibus Christus annuntiatus non est, reprehendi non debet, quia scimus quidem in omnes fines terrae evangelium destinatum, sed non putamus jam omnibus terrae finibus praedicatum: nec possumus dicere, quod ibi sit gratiae vocatio, ubi matris Ecclesiae adhuc nulla est regeneratio*. His consonat S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. Igitur non omnibus datur auxilium sufficiens, ut credant.

Prob. 3. ratione. 1. Fides est justificationis initium, ut definit Tridentinum sess. VI. cap. 8. Ergo quibus deest fides, deest gratia. Frustra reponent adversarii, praeter fidem explicitam in Christum, dari fidem aliquam inchoatam, qualem habuit Cornelius. Quia et haec *quibusdam non datur*, inquit Augustinus. 2. In adversariorum sententia vera esset propositio a Pio V. damnata: *Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*. Nam aliquam habent juxta adversarios a Deo gratiam, qua possunt orare, bonumque operari, et sic etiam potiorem a Deo accipere ad percipiendam fidem. 3. Infidelibus, quum sint filii irae atque vindictae, qua ratione Deus gratiarum suarum munera nequit denegare?

Allatis hactenus argumentis adversarii respondent. Et I. inquiunt, infideles negative, quum evangelium non audierint, non habere quidem fidem, habere tamen gratiam orationis, per quam possint evangelii praecones impetrare: II. posse ex creaturarum cognitione in Dei auctoris naturae assurgere notitiam, naturalem observare legem, atque ita gratiam obtinere supernaturalem ad credendum necessariam.

Futiles sunt hae exceptiones. Et quoad 1. Superiore capite jam ostendimus, infideles destitutos esse gratia orationis, quum oratio sit effectus fidei, non fides orationis. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* Aut quae oratio exaudiretur a Patre, quae non fiat in nomine Filii juxta illud Christi apud Joann. cap. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?* Unde S. P. Augustinus in psal. CVIII. merito ait: *Oratio, quae non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum*.

Ad 2. dico. Adversariorum systema supponit, posse homines solis naturae viribus Deum ut auctorem naturae super omnia diligere, et totam servare legem. Quod falsum esse, jam in superioribus ostendimus: quibus modo illud addendum existimo, quod inquit concilium Tridentinum sess. VI. cap. 8., initium videlicet salutis et justificationis esse fidem per Christum: *Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Catholicae Ecclesiae sensus tenuit, et expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo*. Quod si adversariorum systema consistat, jam salutis ac justificationis initium erit humana natura, per quam potest homo auctorem suum diligere, latamque ab eo observare legem; cujus dilectionis et observantiae intuitu largiatur

Deus gratiam ad perfectam fidem habendam, contra Tridentinae synodi mentem, quae sess. VI. cap. 6. modum, quo quilibet homo, ordinarie loquendo, ad salutem et justificationem ascendit, describens, non utitur novo illo adversariorum systemate, sed inquit: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu* etc.

PROPOSITIO III.

Aliquibus in scelera damnabili obstinatione ruentibus subtrahi aliquando sufficientis gratiae auxilium, videtur conforme Scripturis, patribus, et rationi.

Prob. 1. ex sac. litteris. Isaiae cap. 5. legitur: *Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur: et ascendent vepres, et spinae: et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Et cap. 6. idem Propheta inquit: *Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Jerem. cap. 51. habetur: *Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam.* Joann. cap. 12. repetuntur verba Isaiae: *Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum: ut non videant oculis, et non intelligant corde.* Clara haec sunt ad suadendum, subtrahere Deum peccatoribus obcaecatis et obduratis gratiam suam aliquando.

Prob. 2. ex patribus. Hieronymus in cap. 5. Isaiae docet, prophetae verba a nobis priore loco allata, si litteraliter accipiantur, significare Judaeos a Deo desertos; si vero sumantur spiritualiter, ut sumenda esse affirmat, ait, significare animam, cui Deus omnem omnino subtrahit gratiam. *Tollitur*, inquit, *Dei auxilium ab iis, qui indigni sunt; ut quia non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia.* S. Cyrillus in eadem Isaiae verba scribit: *Si Deus nos injuriam facere volentes relinquat, et cura superna nudet et destituat, in omnium malorum discrimen veniemus, et quivis nos ac bona nostra facile invadet.* S. P. Augustinus tract. LIII. in Joann. ad illa verba ex Isaia deprompta: *Excaecavit oculos eorum* etc. scribit: *Sic enim excaecat, sic obdurat Deus, deserendo, et non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* In lib. de perfect. just. cap. 19. ait: *Quasi non debeat Deo gratias agere, quia praecepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis haec velle non posset.* In psal. CXLVII. *Ecce Deus deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.* Et epist. 194. *Deus*, inquit, *obdurat, non impertiendo malitiam, sed non imper-*

tiendo gratiam. In epist. autem ad Vitalem: *Scimus, gratiam non omnibus dari: scimus eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari: scimus, eis, quibus non datur, justo judicio non dari*. Vide Prosperum ad VI. obj. Gallor., Gregorium Magnum lib. XI. moral., Bernardum serm. 81. in cant., Thomam contra gentes cap. 160. et 1. 2. q. 106. art. 3.

Prob. 3. ratione. Gratia, sive magna sit et efficax, sive inefficax et parva, nihil aliud denique est, quam inspiratio sanctae dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, juxta Augustini definitionem; id est, illuminatio mentis ac voluntatis inflammatio. Numquid autem peccatores obdurati et excaecati, quoties peccant, mentis habent illuminationem et inflammationem voluntatis? Quis enim crediderit, eos, qui quum in profundum pervenerint contemnunt, qui bibunt iniquitatem sicut aquam, experiri, quoties legem infringunt, sanctam aliquam delectationem ac illustrationem intellectus? Si res ita se haberet, quum singulis momentis adsit illis occasio peccandi, singulis momentis aliquos divinae gratiae experirentur effectus, quos nec experiuntur, ut ex eorum confessione patet, nec tam grande beneficium a Deo vel ipsis sanctissimis hominibus conceditur. Praeterea quo jure obduratis excaecatisque peccatoribus debetur inefficax gratia? Numquid ratione status, in quo versantur? Sed sunt Dei inimici, filii irae atque vindictae. Forte quod ordinati sint ad ultimum finem? Sed ob eorum iniquitatem, in qua sunt obfirmati, jus amiserunt ad media, quae ad ultimum finem conducunt. Quod denique impositum sit illis onus divina observandi praecepta? Ast jam demonstravimus, non esse eo titulo debitam peccatoribus gratiam; eo vel magis, quod *humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiae; et ideo quibuscumque non datur, hoc est ex justitia, quibuscumque autem datur, hoc est ex gratia*, ut post M. Augustinum affirmat S. Thomas 1. 2. q. 106. art. 3.

CAPUT POSTREMUM

In quo adversariorum refutantur argumenta.

Multa contra statutas theses objicere solent contrariae sententiae patroni ex Dei voluntate salvandi omnes, et ex universali redemptione, quae soluta videre possunt tyrones suis locis, ne actum iterum agamus. Hic ea dumtaxat referemus, meritaque rejiciemus confutatione argumenta, quae peculiaria sunt et adversus statuta directe facere videntur. Unde

Obj. 1. cont. singulas theses. Quae enim adversus unam, eadem contra singulas faciunt. Joannis cap. 1. de Deo dicitur, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Isaiae cap. 5. habetur: *Quid debui ultra facere vineae meae, et non feci*? Et cap. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona*. Ezech. cap. 18. ait Dominus: *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis*? Prov. cap. 1. legitur: *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam ... Vocavi, et renuistis*:

extendi manum meam, *et non fuit*, *qui aspiceret*. Apocal. cap. 3. *Ecce sto ad ostium*, *et pulso*. *Si quis ... aperuerit mihi januam*, *intrabo*, *et coenabo cum illo*. Hujus generis alia complura objiciunt adversarii. Nam illuminare, inquiunt, omnem hominem, manus suas etiam ad infideles expandere, velle impium converti, et clamare in plateis, et vocare et manum extendere, et stare demum ad ostium, et pulsare, ut quis januam aperiat, nonne idem est, ac omnibus, sive parvuli sint sive adulti, sive fideles sive cujusvis generis infideles, sive justi sint sive peccatores etiam excaecati ac obduratissimi, divinam gratiam elargiri?

Resp. in primis ad singula universim hoc modo. 1. Deus illuminat omnem hominem, omnesque vocat, ad cor omnium pulsat, et manum extendit ad omnes etc., tum quia omnibus lumen concessit rationis ac liberum voluntatis arbitrium, in quo potentiam habent, tamen remotissimam, faciendi bonum et vitam aeternam consequendi, unde inexcusabiles sunt apud Deum, quod saeculi sequentes voluptates, malum operentur; tum etiam quia Deus remedia peccatorum singulis paravit hominibus et media ad ultimum finem consequendum, paratusque per se est, illa media hominibus conferre, nisi propriae voluntatis arbitrio eadem respuerent. 2. Vox, *omnes*, allatis in testimoniis sumitur pro universalitate *accommoda*, juxta ea, quae in Scripturis observat S. Fulgentius lib. de Incarn. et grat. *In novissimis diebus effundam spiritum meum super omnem carnem*, *et prophetabunt filii vestri*: *Omnes gentes*, *quascumque fecisti*, *venient*, *et adorabunt*: *Conclusit Deus omnia in incredulitate*, *ut omnium misereatur*. Quibus certe in locis vox, *omnes*, non rigorosam, sed *accommodam* significat universalitatem. Quare nullam contra sententiam nostram vim habent sive testimonia, quae in argumento laudata sunt, sive quaevis ejusdem generis alia, quae afferri possent. Sed aliquid ad singula testimonia dicamus. Atque ad 1. S. Thomas lect. 5. in cap. 1. Joann. affirmat, loqui evangelistam de illuminatione per lumen rationis, juxta illud psalmi IV. *Signatum est super nos lumen vultus tui*, *Domine*. S. P. Augustinus to *omnem hominem* in recitato textu sumit per distributionem *accommodam*: ita enim inquit in ench. ad Laur. cap. 103. *Sic enim intelligimus et quod in Evangelio scriptum est*: *Qui illuminat omnem hominem*: *non quia nullus est hominum*, *qui non illuminatur*, *sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur*. S. Joannes Chrysostomus mundi nomine in textu Joannis non mundum universum, sed mundum christianum intelligit, ac si diceret: Homines, qui baptismo sincere initiantur, illuminantur a Deo; quod verissimum est. Dici denique potest, Deum omnes illuminare, sicut corpora omnia illuminantur a sole. Sed quemadmodum sol, ubi impedimenta reperit, corpora tenebrosa relinquit, ita Deus gratiae lumen non diffundit in eos, qui impedimenta propria malitia ponunt. Comparatio est B. Thomae 1. 2. q. 79. art. 3. Hinc evangelista cap. 3. dicit: *Lux venit in mundum*, *et dilexerunt homines magis tenebras*, *quam lucem*.

Ad 2. Non de interiore gratia, sed de auxiliis extrinsecis loquitur Isaias; de promulgatione videlicet legis, de prophetarum exhortationibus, de

miraculis patratis, quibus omnibus Deus synagogam, de qua fit ibi sermo, ad conversionem vocaverat et invitaverat, ut ex auxiliorum apparet enumeratione. Quod si velis, loqui prophetam de gratia interna, quod plane falsum est, quum ibi sermo fiat, ut diximus, de synagoga, cui Deus multas gratiarum largitiones antea concesserat, jure conqueri potuit dicens: *Quid ultra debui facere vineae meae, et non feci?* Verum quoniam gratiarum dona Judaei scelerum multitudine abjecerant ac fuerant aspernati, merito dixit Deus: *Ostendam vobis quid faciam vineae meae*, cum iis, quae sequuntur.

Ad 3. Eadem responsione solvitur et argumentum ex Ezechielis testimonio depromptum. Nam ibi propheta alloquitur revera Judaeos, quibus Deus innumeras concesserat exteriores gratias, et etiam interiores, quas ipsi ingrati repudiaverant; quibusque sive exterioribus sive interioribus donis ostenderat Deus, nolle se mortem impii, sed illius potius conversionem. Praeterea quis unquam negavit, Deum semper velle, voluntate tamen antecedente, non justorum modo, sed et perditissimorum hominum conversionem aeternamque salutem? Collatio autem gratiae non ab antecedente, sed a consequente pendet Dei voluntate.

Ad 4. Verba quoque ex lib. prov. desumpta directa sunt ad Judaeos. Ac praeterea Dei sapientia dat in plateis vocem suam, et vocat per mundi opificium, per prophetarum oracula, per promulgationem legis, quae omnia extrinseca dona sunt.

Ad 5. Deus stat ad ostium et pulsat, quoniam praeparavit omnibus media ad aeternam vitam conducentia. Quod si velis testimonium de actuali gratiae intelligere collatione, numquid ait Joannes, Deum stare ad singulorum ostium hominum, nemine excepto, singulisque pulsare momentis? Ac denique quum non omnes januam aperiant, sequitur, non omnibus gratiam conferri, quamvis Deus ex se omnibus gratiam largiri sit paratus.

Obj. 2. multas Ambrosii, Chrysostomi, et Augustini sententias. I. Ambrosius in psal. 118. inquit: *Sol justitiae omnibus ortus est ... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat*. II. Chrysostomus ad illa Joann. verba: *Illuminat omnem hominem*, scribit: *Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam caecitatem sibi ipsis imputari debere: cum enim detur omnibus hominibus, omnibus pateat, et a nemine prohibeatur, perditi quidam et nequam homines propria dumtaxat malitia ingredi recusant*. III. S. P. Augustinus in lib. III. de lib. arb. cap. 19. inquit: *Cum vero* Deus *ubique sit praesens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem etc.* IV. Serm. II. in psal. LVIII. subdit: *Etsi nolis curari, vulnus tuum admonet ut cureris: et aversum revocat, et fugientem quodammodo ad se redire compellit, et attrahit*. V. In psal. CII. scribit: *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam*. VI. Quaest. LXVIII. inter 83. ait: *Omnes ad evangelicam coenam vocati sunt. Quod tamen omnes non veniant, sibi imputent; quum sit in eorum libera voluntate*.

Resp. ad 1. et 2. Ambrosius et Chrysostomus scripserunt ante exortam haeresim Pelagianorum. Quumque securius in Ecclesia loquerentur, Pelagianis nondum litigantibus, accuratissima ab his loquendi ratio exigi in rebus de gratia nequit. Verum si res bene perpendantur, allatae Ambrosii ac Chrysostomi sententiae systema nostrum mirifice confirmant. Nos quippe tenemus, Deum omnes velle salvos fieri, et Christum pro omnibus mortuum esse, quatenus omnibus ac singulis hominibus, nemine prorsus excepto, media parata sunt ad vitam aeternam obtinendam, aperta Ecclesia, instituta sacramenta, gratia praeparata. Addimus subinde, non omnes ac singulos reapse de hisce participare mediis; nec proinde culpandum esse Deum, sed hominem ipsum, qui saeculi voluptatibus irretitus, vel originali illaqueatus peccato, gratiam Dei recipere renuit. Hoc idem docent laudati patres, ut ex textuum apparet lectione. Inquit enim Ambrosius: *Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat*. Et Chrysostomus: *Nequam homines propria dumtaxat malitia ingredi recusant*.

Ad 3. Magna profecto est adversariorum nostrorum confidentia, dum haec Augustini testimonia nobis objectare non verentur. Itaque in priore testimonio loquitur S. doctor de Dei vocatione, non per se ipsum, hoc est, per mentis illuminationem et delectationem cordis, sed per gratias extrinsecas; ait siquidem: *Qui multis modis per creaturam sibi servientem aversum vocet* etc. Insuper scopus illius est demonstrare, ignorantiam invincibilem utique a culpa excusare: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras;* sed non tam facile praetexendam esse invincibilem ignorantiam, quoniam Deus instruit ac docet omnes, sive per legem naturae, sive per legem mosaicam, aut evangelii praedicationem; unde inquit, merito ad culpam homini deputari, *quod negligat quaerere quod ignorat*.

Ad 4. Explicat S. Pater illa Psalmistae verba: *Deus, susceptor meus es*; proindeque loquitur de praedestinatis, erga quos singularem exercet Deus providentiam. Quid mirum ergo, si gratiam iis conferri affirmat? Hinc e vestigio subjungit: *In omnibus implet quod dictum est: Misericordia ejus praeveniet me*. Quumque non sufficientem modo, sed et efficacissimam gratiam Deus conferat praedestinatis, quare ait ibid. S. doctor: *Et refugientem quodammodo ad se venire compellit*, *et attrahit*, si allata sententia demonstraret, dari omnibus hominibus gratiam, demonstraret quoque, omnibus hominibus gratiam dari efficacissimam; quod adversarii non dicent.

Ad 5. Integer Augustini textus in psal. CII. ita habet: *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis*. Qui omnes vocandi modi sunt plerique extrinseci. Hoc vero modo infideles ac obduratos vocari peccatores, non diffitemur. Ceterum non ait Augustinus, singulos illos vocationis modos Deum adhibere pro singulis hominibus, quasi singulos omnibus illis modis vocet. Sed alium uno, alium alio modo vocat.

Ad 6. Ait quidem Augustinus, omnes ad evangelicam coenam voca-

ri ; sed non ait, vocari per internam gratiam. Alios quippe vocat per creaturam Domino servientem, ut infideles negative; alios per legem scriptam, ut judaeos; et alios per legem evangelicam. Omnia autem haec media extrinseca sunt. Ejusdem generis sunt et alia bene multa, quae ex Augustino adsciscere solent in sui patrocinium adversarii, quaeque ex observatis nullo negocio solvuntur et explicantur.

Obj. 3. S. Prosper in lib. II. de vocat. gent. cap. 7. scribit: *Elaboratum est, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis gratia Dei omnibus hominibus adfuisset ... Dicendo Apostolus, quod est salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem super universos homines*. Cap. autem 29. subdit: *Universitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper et consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari*. De parvulis autem sine baptismo pereuntibus ait cap. 23. *Non irreligiose arbitror credi, nec inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus, qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*. Haec et similia habet pluribus in locis in eodem libro auctor, ex quibus totum adversariorum confirmatur systema. II. Paulus Orosius in lib. de arb. libertate ita scribit: *Mea semper haec est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum, non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiae suae dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui aeternamque clementiam subministrare; non, ut tu asseris cum discipulo tuo Caelestio, cui jam apud Africanam synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam, sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, et cunctis, et singulis ministrare*. Quid luculentius pro adversariorum stabilienda sententia?

Resp. ad 1. Constat jam penes omnes eruditos, librorum de vocatione gentium auctorem non esse S. Prosperum M. Augustini discipulum, sed Julianum Pomerium. Ad quod suadendum, si alia deessent argumenta, illud sufficeret, quod Prosper innumeris suorum operum locis non affirmet modo, sed et argumentis demonstret, gratiam non omnibus dari. Verum admissa etiam illorum auctoritate librorum, nullum plane ex iis contra nostram sententiam desumi potest argumentum. Nam ubi affirmat auctor ille, gratiam omnibus dari, non de interiore, sed de exteriore gratia loquitur. Capite siquidem 3. ejusdem libri II. ut omnibus gratiam conferri demonstret, ait, Deum convenire Gentes *ad se cognoscendum caeli et terrae testimoniis*; alios autem, nempe Judaeos, adjuvare *doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum signis*. Ast haec extrinseca sunt. Ejusdem libri cap. 5. subdit: *Quamvis haec, et multa alia similia veritatis Scriptura pronuntiet, secundum ipsam tamen credimus, et piissi-*

me confitemur, quod nunquam universitati hominum divinae providentiae cura defuerit. Quae licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suae dona subtraxit, ut et propheticas voces, et praecepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse: unde et inexcusabiles facti sunt, quia Deos sibi dona fecerunt, et quae creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum. Lege et caput 4., ubi docet, caelum, terram, mare, et omnia elementa Dei majestatem, ejusque largitatem beneficiorum enarrare. Manifestum est ergo, loqui auctorem illum de gratiis exterioribus; quas omnibus hominibus dari quis dubitat? Quae solutio valet etiam ad explicanda quae auctor ille scribit de parvulis, quaeque sic accipienda sunt, ac si diceret: Si parentes ad elementorum obsequia ac testimonia attendissent, veram amplecti potuissent religionem, et ita sibi ac posteris consuluissent. Postremo improbabile non est, auctorem illum, si alicubi affirmavit, Deum dare omnibus interiorem gratiam, vocem, *omnes*, accepisse secundum universalitatem *accommodam*, pro generibus nempe singulorum, non pro singulis generum. Audi quae habet lib. II. cap. 10. *Nulla pars mundi ab evangelio vacat Christi: et licet illa generalis vocatio non quiescat, tamen ista specialis jam universis est facta communis. Ex omni gente, ex omni conditione adoptantur quotidie millia senum, millia juvenum, millia parvulorum* etc. En quomodo interior gratia datur omnibus, et specialis vocatio universis est facta communis.

Ad 2. Si allata ex Orosio sententia juxta adversariorum accipiatur intelligentiam, demonstrat, internam Christi gratiam in sancta delectatione consistentem omnibus etiam perditissimis peccatoribus per singula momenta dari et singulas atomos; quod nec adversae sententiae patronis arridet. Unde certum est, loqui Orosium de gratiis exterioribus. Quod patet in primis ex quo distinguat apertissime inter auxilia a Deo conferri solita Ecclesiae suae, et illa, quae confert hominum universitati. Hinc si dona, quae Deus dat Ecclesiae suae, sunt interna, ea, quae hominum confert universitati, sunt proculdubio externa. Patet deinde id ipsum ex Orosii scopo. Ei quippe objiciebant Pelagiani, non esse imputanda peccata iis, qui gratia sunt destituti, si interioris necessitas gratiae ad non peccandum requiritur. Respondet autem Orosius, gratiam ad libertatem peccandi necessariam non esse specialem illam, quæ a Deo datur Ecclesiæ propter credentium fidem, quamque errantes Pelagiani consistere blaterabant in lege, atque doctrina; sed esse lumen rationis ac doctrinam veritatis, quam omnes a natura, et ab elementis acquirunt, quaeque praesens est singulis per momenta, per atomos. Unde post allata in argumento verba e vestigio subdit: *Dicit enim Scriptura: Qui oriri facit solem suum super bonos, et malos. At tu forte respondes: Ordinem suum composita bene natura custodit; ac per hoc Deus, elementariis simul cursibus constitutis, facit inde, quae facit. Quid ergo de illa sententiae parte, quae sequitur, opinaris? Dat pluviam super justos, et injustos. Utique qui dat, cum vult dat, et ubi vult dat, vel dispensando dispositam constitutionem, vel effundendo propriam largitatem.*

Obj. 4. In cap. *Firmiter* definitum est, *hominem lapsum per veram posse semper poenitentiam reparari*. Concilium Senonense in decr. XV. inquit: *Nec tamen tantae gratiae necessitas libero praejudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem praetereat, in quo Deus non stet ad ostium, et pulset*. Et clarius adhuc concilium Coloniense de sacramento poenitentiae dicens: *Nullus est peccator tam scelestus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitus subtrahat*. Haec adeo manifesta sunt, ut nulla indigeant explicatione. II. Etiam S. Thomas hanc eamdem tradiderat doctrinam. Nam in cap. 11. ep. ad Hebr. inquit: *Deus voluntate sua liberalissima dat eam* (gratiam) *omni praeparanti se*. In III. cont. gent. cap. 159. *Deus*, inquit, *quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare ... Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire divinae gratiae acceptionem, merito in culpam imputatur ei, qui impedimentum praestat gratiae acceptioni*. Et in 1. 2. q. 106. art. 2. ad. 1. ait: *Lex nova, quantum de se est, sufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Q. 14. de verit. art. 11. scribit: *Si aliquis nutritus in silvis, vel inter bruta animalia, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, certissime est credendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*. Haec itaque fuit communis semper inter theologos doctrina. III. Hinc Alexander VIII. merito hanc proscripsit propositionem: *Pagani, Judaei, et haeretici nullum recipiunt à Christo influxum*; et Clemens XI. sequentes articulos: Num. 26. *Nullae dantur gratiae, nisi per fidem*; num. 27. *Fides est prima gratia, et fons aliarum*; et num. 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*.

Resp. ad 1. In cap. *Firmiter* traditur, nullum peccatum esse irremisibile, nec de ullo peccatore quamvis impio ac scelestissimo esse desperandum; quum possit gratiam a Deo recipere, qua a viis suis pessimis revertatur. Hinc in canone dicitur: *Etsi post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit, peccatum per veram potest semper poenitentiam reparare*. Quod nos etiam cum catholica Ecclesia et Augustino nostro in lib. de nat. et gr. cap. 23. confitemur. Sed numquid inde sequitur, nullum esse peccatorem, qui gratiam actu praesentem non habeat, per quam agere poenitentiam queat? Concilia autem Senonense et Coloniense non generalia quidem et ab universali Ecclesia recepta, sed provincialia fuere; atque adeo etiamsi aliquid contra nostram definirent sententiam, illorum auctoritate contra Augustini aliorumque patrum doctrinam non teneremur. Verum illorum definitiones conciliorum urgent etiam adversarios nostros. Nam praeseferre videntur, divinam gratiam singulis horis singulisque momentis cordibus instare peccatorum; quod nec ab adversariis admittitur. Sensus ergo illarum definitionum est, quod Deus paratus semper sit gratiam quibuscumque hominibus conferre, illamque reapse conferret, nisi ex parte hominum obicem inveniret. Hinc in Senonensi decreto legitur:

Cum illa semper sit in promptu, et Coloniense concilium habet particulam, *penitus*, quae indicare videtur, nullum inter christianos, de quibus synodus loquitur, tam impium esse peccatorem, qui aliquando per totum vitae tempus nonnullos expertus non fuerit gratiae motus.

Ad 2. In priore sententia loquitur S. Thomas de gratia habituali et actuali efficaci, sensusque est, Deum habitualem vel actualem efficacem gratiam conferre omni homini, qui se ad illam per aliam gratiam praeparaverit. Unde ante recitata verba inquit: *Tamen oportet, quod homo faciat, quod in se est*. Et ne quis suspicetur, S. doctorem de praeparatione loqui ad uberiorem gratiam vel justificationem per solas naturae vires, subdit ibidem: *Gratia etsi non habeatur ex meritis*. Et paullo post: *Hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum* (Deo volenti gratiam conferre), *ex gratia procedit*. Et rursus: *Quando ergo a quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei; quod autem non removetur, hoc est ex justitia ejus*. En valida adversariorum argumenta. In altera optime Angelicus doctor docet, Deum paratum esse omnibus dare gratiam. Sed numquid proinde sequitur, elargiri illam omnibus? Minime; quoniam, ut S. Thomas ait, est in liberi arbitrii potestate illam rejicere, ut infidelibus negative ac peccatoribus obduratis accidit, qui obstaculum ponunt, ne Deus illam conferat. Quod si adversarii regerant, loqui S. Thomam de gratia habituali, atque affirmare, esse in hominis potestate gratiae illius non impedire receptionem, adeoque omnem hominem sufficientem habere gratiam, per quam possit non impedire habitualis gratiae receptionem, tunc respondeo ipsius S. Thomae verbis 2. 2. q. 2. art. 5. *Si in potestate hominis dicatur esse aliquid, excluso gratiae auxilio, sic ad multa tenetur homo, ad quae non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, et proximum, et similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiae: quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in poenam praecedentis, aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in lib. de corr. et gr.* Ex quibus apparet, satis esse homini, ut possit non impedire habitualis gratiae receptionem per gratiam sufficientem, sive ea gratia adsit, sive non adsit. In sequente testimonio sufficientis auxilii nomine, quod nova lex confert, intelligit S. Thomas gratiam habitualem, ac sensus est, novam legem per se, et quantum in se est, suos justificare cultores, dummodo dispositiones habeant ad justificationem requisitas. Quod S. doctor de habituali gratia loquatur, patet vel ex ipso articuli titulo, qui ita habet: *Utrum lex nova justificet*. Quod etiamsi verba faceret S. Thomas de gratia actuali, nihil proinde adversarii proficerent. Nam denique affirmat ipse, novam legem, quantum de se est, dare auxilium sufficiens. Sed numquid ait, auxilium illud omnibus novae legis cultoribus, peccatoribus etiam obduratis et excaecatis actu et reapse conferri? Neutiquam; quoniam *humanum genus*, per S. Thomam 1. 2. q. 106., *propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiae; et ideo quibuscumque datur, hoc est ex*

gratia ; quibuscumque non datur , hoc est ex justitia . Quartum testimonium ab ipso exponitur S. Thoma . In puero nempe illo in silvis enutrito ita eveniret , ut ipse ait , dummodo viveret juxta legem naturae . Sed quomodo posset sine gratia legem servare naturae , rationisque sequi dictamen ? Nam *appetitus voluntatis rationalis sequitur propter corruptionem naturae bonum privatum , nisi sanetur per gratiam Dei*, inquit 1. 2. q. 109. art. 3.

Ad 3. Jure meritoque summi Pontifices recensitas in argumento damnavere propositiones . Auctores namque , in quibus hae damnatae sunt propositiones , non aliam agnovere gratiam , nisi habitualem ; quod systema falsissimum esse , nemo non videt . Hinc sensus illius propositionis : *Pagani , Judaei* etc. , est , nullam eos habere nec habere posse gratiam , quoniam fidem non habentes gratia carent habituali . Sensus autem ab auctore illius articuli intentus , *Nullae dantur gratiae , nisi per fidem* , est , non concedi gratiam aliquam hominibus , nisi per fidem habitualem . Eodem sensu et alii prolati sunt articuli . Unde Quesnellius prop. 28. dixerat : *Prima gratia , quam Deus concedit peccatori , est peccatorum remissio* . Peccatorum autem remissio nonne est gratia habitualis ? Ast vero falsum penitus est , primam gratiam esse gratiam habitualem ; quum dentur ante illam pia desideria , bonae cogitationes , et aliae actuales gratiae , per quas et infideles , et Judaei , et haeretici , et peccatores ad fidem suscipiendam et gratiam habitualem disponuntur . Quare merito a Romanis Pontificibus memorati articuli damnati sunt . Nos autem affirmando , gratiam Dei non omnibus indiscriminatim conferri , nihil, quod cum citatis cohaereat articulis, pronunciamus . Sed de damnatis his propositionibus egimus etiam cap. 12. hujus libri et sequentibus , ad quae lectorem remittimus . Multa praeterea objicere solent adversarii ab humana ratiocinatione . Sed ea jam praeoccupavimus partim cap. antecedente , partim in superioribus . Illa loca consulat lector .

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXX.

DE JUSTIFICATIONE ET MERITO.

Postquam superioribus opusculis nostris de gratia actuali historicas narrationes, et dogmata fidei, et velitationes, quas theologi scholastici cavillationibus suis adiaphoras reddidere, tradidimus, ac, prout potuimus, explicavimus, par est, ut ad ea, quae de gratia habituali seu justificatione et merito a theologis tractari solent, gressum modo faciamus. Finis enim, propter quem confert Deus homini actualem gratiam, est, ut per opera ab eadem actuali gratia ad supernaturalem statum elevata ducatur ad justificationem, per quam peccata, quae contraxit, ei remittantur, et, caritate per Spiritum sanctum in illius corde diffusa, et anima eodem Spiritu promissionis signata, meritum pro aeterna capessenda haereditate sibi comparet. Hinc et ipsa actualis gratia non raro a patribus appellatur justificatio. Non quod ipsa per se hominem *formaliter*, ut inquiunt, justificet, quum consistere in eadem anima possit simul cum macula peccati; sed quatenus per supernaturales, quos in voluntate peccatoris excitat actus, paulatim illum ad justificationem, ac Dei recuperandam amicitiam disponit. In hac versanda materia parce admodum disseremus de placitis scholasticorum, intenti praecipue in novatorum erroribus profligandis, catholicaque explicanda doctrina.

CAPUT I.

De nomine, essentia, existentia, et subjecto justificationis.

Frustra in profanis scriptoribus nomen hoc, *Justificatio*, quaeritur. Neque enim aut Tullius, aut Seneca, aut Quintilianus eo unquam usi sunt nomine. Hinc recentiores haeretici, qui pessime de justificatione sentiunt, catholicos derident, quod nomina universae puriori latinitati penitus incognita usurpent. Sed ipsi potius irrisione digni sunt, qui theologica nomina, ad sacratissima fidei mysteria et dogmata explicanda reperta in Scripturis, quaerunt in Tullio, Caesare, Terentio, aliisque ethnicis scriptoribus. Rerum enim theologicarum nomina, ideae, ac notiones in Scripturis, conciliis, patribus, aliisque locis, quae theologica dicuntur, non in auctoribus gentilibus sunt expiscanda.

In Scripturis itaque justificationis nomen utique invenitur. Sed non una semper eademque accipitur significatione. Aliquando quippe sumitur pro declaratione innocentiae, ut Eccl. cap. 7. *Non te justifices ante Deum*, hoc est, ne te jactes innocentem apud Deum; et Lucae cap. 16. *Vos*, Pharisaei, *estis*, *qui justificatis vos*, scilicet, conamini ostendere, justos vos ac innocentes esse. Accipitur quandoque pro praeceptis divinae legis, cujus obser-

vatione pervenit homo ad sui ipsius sanctificationem juxta illud psal. 118. *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas*, nimirum, *mandata tua*; et illud Lucae cap. 1. *Incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus sine querela*. Non raro nomen idem usurpatur ad indigitandam justitiam et sanctitatem, per quam homo sanctus ac rectus evadit: quo sensu adhibetur ab Apostolo in ep. ad Rom. cap. 4. *Credenti in eum, qui justificat impium*, nempe, qui impium rectum sanctumque reddit. Interdum denique accipitur pro justitiae seu sanctitatis incremento, (justificatio quippe suos habet gradus) ut in lib apoc. cap. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc*, id est, ut se subinde explicat, *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc*. In re tam manifesta superfluum arbitror conciliorum ac patrum loca afferre, in quibus usurpatur nomen *Justificatio*; praesertim quum et ipsi protestantes, postquam catholicos de nominis barbarie ac novitate reprehenderant, illud idem nomen usurpare non detrectant.

Verum quum ipsi doceant, illum esse justificatum, cui imputatur justitia Christi, propria non imputantur peccata, quique justus ac sanctus a Deo declaratur, hinc nomen justificationis ab ipsis usurpatur vel primo vel secundo sensu ex hactenus adnotatis. Catholici e contra, quorum dogma est, per justificationem remitti vere, ac proprie deleri peccata, et renovari hominem in anima, et vere proprieque fieri rectum et sanctum, nomen justificationis accipiunt tertio mox indigitato sensu. Atque de justificatione eo modo sumpta et intellecta hoc in libro disseremus. Interim animadvertimus, justificationem, gratiam habitualem, et gratiam sanctificantem tria esse unius ejusdemque rei nomina. Id enim, per quod homo Deo carus et amicus redditur, dicitur justificatio, quatenus eumdem hominem ex impio justum reddit. Dicitur gratia sanctificans, prout est gratuitum Dei donum hominem sanctum reddens. Appellatur autem gratia habitualis, quatenus gratuitum illud donum in anima permanet, illique inhaeret ad instar habitus, ad differentiam gratiae actualis, quae dici potest veluti motus transiens. Atque haec de nomine justificationis.

Quoad essentiam, non melius explicari illa potest, quam ejusdem justificationis tradendo definitionem; ad hoc quippe sunt definitiones institutae, ut rerum explicentur essentiae. Definiri ergo potest justificatio seu gratia habitualis, *Caritas per inhabitantem Spiritum S. diffusa in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaerens, per quam efficiuntur divinae naturae consortes*. Ex qua definitione intelligimus primo, gratiam habitualem, et habitualem caritatem idem omnino esse; secundo, permanere illam in anima, ipsique per modum habitus inhaerere; tertio, opera per habitualem gratiam ab homine patrata veram habere meriti rationem. Et nos quidem, ubi sermo fit de natura justificationis, haec tria plane capita absque ulla haesitatione admittimus. Sed non ita alii omnes theologi sentiunt: qui admittunt quidem, justificationem aliquid esse inhaerenter in anima permanens, et opera ab homine justificato patrata veram habere meriti rationem; (nam sunt duo haec a Tridentina synodo adversus Lutheranos et Calvinistas definita) sed ubi sermo fit de constitutivo, ut inqui-

unt, gratiae habitualis, inter se non conveniunt. Plerique Thomistarum, qualitatum doctrina in Peripateticorum schola tradi solita imbuti, ajunt, justificationis naturam consistere in qualitate quadam inhaerente animae, eamque ab habituali differre caritate, ut caussa differt ab effectu. Quid autem illa inhaerens qualitas sit, nec ipsi satis clare percipiunt. Hinc non omnes eamdem tenent sententiam. Dominicus Soto, Bartholomaeus Medina, nonnullique alii affirmant, habitualis gratiae naturam reponendam esse in motione quadam actuali, quae renovat animam. Atque ut habitualem ab actuali gratia secernant, addunt, actualem illam motionem remanere in anima virtualiter, quatenus actus ille, qui praecessit, relinquit in anima amorem Dei super omnia. Arbitratur Estius, habitualem gratiam esse ipsam Spiritus S. personam in anima justificati habitantem; ita ut inter habitualem actualemque gratiam non aliud sit discrimen, nisi quod una sit Spiritus S. virtus movens et excitans, alia vero idem Spiritus S. permanens et inhabitans. Atque haec sunt praecipua theologorum placita circa naturam gratiae habitualis.

Quoad existentiam vero, nemo est, qui habitualem dari gratiam non fateatur. Etiam haeretici, incipiendo ab infensissimis gratiae hostibus Pelagianis, existere confitentur justificationem, quamvis et iidem Pelagiani, et Lutherani, et Calvinistae turpissime errent vel circa naturam vel circa dispositiones et effectus ejusdem justificationis.

De gratiae habitualis subjecto agentes ii Thomistae, qui caritatem ab habituali gratia distingui arbitrantur, tenent, immediatum illius subjectum esse animae substantiam; ajunt siquidem, actu distinguendum esse inter substantiam animae ejusque potentias. Nos e contra, qui gratiam et caritatem idem omnino esse autumamus, et scimus praeterea, subjectum caritatis seu amoris esse voluntatem, quamvis inter animae potentias ejusque substantiam non aliam agnoscamus distinctionem, nisi penes connotata, affirmamus proinde, gratiae habitualis subjectum esse, non animae substantiam, sed voluntatem, seu animam, prout ipsa vult. His breviter adnotatis, sit

CONCLUSIO I.

Gratia habitualis non est qualitas quaedam proprie dicta, ut placet Thomistis; nec actualis aliqua motio virtualiter in anima remanens ad sensum Medinae; sed neque ipsa Spiritus S. persona ad mentem Estii.

Prob. 1. thesis pars. Non satis percipi potest, quid sit spiritualis qualitas proprie dicta. Nam non est substantia vel accidens; alioquin non esset qualitas. Sed neque dici potest entitas, quae a substantia plane non distinguitur. Multo minus appellanda est semi-entitas vel semi-substantia, quum hae in rerum natura non dentur. Quare non est habitualis gratia qualitas proprie dicta, quae videlicet constituta sit in tertia Aristotelis categoria. Non diffitemur tamen, appellari posse qualitatem, si per eam ali-

quod superadditum naturae intelligamus, quod naturam ipsam perficit et exornat.

Prob. altera pars prop. Parvuli post baptismum gratiam profecto habent habitualem, et sunt vere justificati. Et nihilominus actualis motio, amor Dei actualis super omnia in parvulis, utpote qui non sunt rationis compotes, locum non habent. Deinde motio illa actualis justificationis naturam constituens nil aliud denique est, nisi actus amoris erga Deum super omnia. Ast multi peccatores actualem habent aliquando caritatem erga Deum super omnia, nec proinde sunt justificati. Si namque amor ille Dei super omnia sit in gradu remisso, justificatio non habetur, nisi actuali accedente sacramenti absolutione. Demum in sacris litteris justificatio appellatur animae stola et indumentum, et justificati in Tridentina synodo suscipere dicuntur gratiam ac supernaturalia dona. Quae sane aptari non possunt actui caritatis Dei super omnia virtualiter in anima remanenti.

Prob. 3. pars. Gratia habitualis in sacris Scripturis dicitur semper donum Spiritus Sancti. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. Non est itaque ipsa Spiritus Sancti persona. Praeterea in Estii sententia Spiritus S. communicatur homini justificato. Sed peto, quomodo communicatur? Non ratione personae, quoniam unio haberetur hypostatica. Neque ratione naturae, quia inciperet haec alicubi de novo esse ubi non erat; quod repugnat. Dicendum igitur est, gratiam habitualem esse Spiritum S. ratione principii, quatenus videlicet a Spiritu S. descendit caritas illa, qua justi ac sancti efficimur. Et forte hoc affirmare voluit cl. Estius.

CONCLUSIO II.

Gratia habitualis idem est cum caritate habituali.

Prob. 1. ex Script. Omnia, quae in sacris litteris ad gratiam referuntur habitualem ac de illa enunciantur, adscribuntur quoque caritati habituali et de illa dicuntur. Quod patet nonnullarum enumeratione proprietatum. Nam 1. per habitualem gratiam homo fit filius Dei adoptivus. Et Joannes in I. ep. cap. 3. ait: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus*; et cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*. 2. Habitualis gratia dat vitam animae. Et Joannes in citata epist. cap. 3. inquit: *Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte*. 3. Redditur homo per habitualem gratiam Deo amabilis. Et prov. cap. 8. legitur: *Ego diligentes me diligo*; et Joannis cap. 14. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo*. 4. Homo per eam gratiam Deo conjungitur. Et in laudata proxime epist. 1. cap. 4. habetur: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*. 5. Per justificantem gratiam Spiritus S. habitat in nobis. Et Apostolus ad Rom. cap. 5. ait: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. 6. Gratia ha-

bitualis peccataomnia ab anima nostra prorsus delet. Et prov. cap. 10. legitur: *Universa delicta operit caritas*; et Petrus in I. sua ep. cap. 4. *Caritas*, inquit, *operit multitudinem peccatorum*. Non opus ergo est ad habitualis gratiae naturam inveniendam alio confugere, quam ad caritatem.

Prob. 2. Augustini auctoritate. Is in lib. de nat. et gratia cap. 70. ita scribit: *Caritas ergo inchoata inchoata justitia est*; *caritas provecta provecta justitia est*; *caritas magna magna justitia est*; *caritas perfecta perfecta justitia est*. Et cap. 38. *Caritas Dei, qua una vere justus est quicumque justus est*. Idem repetit cap. 42. Deinde in lib. de corr. et grat. et in libris de civ. Dei, ubi fuse de Adamo innocente loquitur, semper ac perpetuo affirmat, Adamum et Angelos conditos a Deo fuisse cum *bona voluntate*, hoc est, non solum cum gratia actuali, sed cum gratia etiam sanctificante. *Tunc ergo*, ait in lib. de corr. et gr. cap. 11. *dederat homini Deus bonam voluntatem*; *in illa quippe eum fecerat*, *qui fecerat rectum*. Explicans autem in lib. de grat. Chr. cap. 21. quid sit bona voluntas, inquit: *Quasi vero aliud sit bona voluntas*, *quam caritas*, *quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo*. Similia repetit in singulis suis operibus. Vide quae superiore libro de gratiae actualis natura diximus; ubi invenies, gratiam et caritatem, juxta Augustini phrasim, unum idemque esse.

Prob. 3. ex Tridentino, quod sess. VI. capite 7. docet, non posse hominem justificari, nisi ei merita communicentur passionis Christi. Tunc autem communicantur, *dum ejusdem passionis merito per Spiritum S. caritas Dei diffunditur in cordibus eorum*, *qui justificantur*, *atque ipsis inhaeret*. Homo ergo juxta Tridentinam synodum tunc justificatur, quando recipit a Spiritu S. caritatem; proindeque una eademque res sunt caritas et justificatio.

Prob. 4. ratione. Si habitualis gratia a caritate secerneretur, inde flueret, dari posse hominem cum gratia habituali, in quo non inveniretur caritas. Si namque distinguuntur, una ab alia non pendet; praesertim quum Thomistae prius habitualem gratiam, deinde caritatem in homine justo concipiant. Non opus est argumentis demonstrare, gratiam habitualem existere. Quum enim multi sint in Ecclesia justi homines et sancti, nemo negare audet, dari et existere gratiam habitualem.

CONCLUSIO III.

Subjectum gratiae habitualis est rationalis creaturae voluntas.

Prob. ex dictis. Nam gratia habitualis idem est ac caritas. Immediatum autem caritatis subjectum profecto est voluntas, quum proximum alicujus habitus subjectum sit illa facultas, quae actus sibi proprios elicit. Porro voluntas elicit actus caritatis; quoniam diligere est velle bonum ei, qui diligitur. Unde Apostolus ad Rom. cap. 5. ait: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, hoc est, in voluntatibus nostris. Cor siquidem ac voluntas pro eodem sumuntur.

Leves quaedam difficultates enodantur.

Obj. 1. cum Estio. Sacrae litterae apertissime tradunt, hominibus justis Spiritus S. communicari personam. Puta, ad Rom. cap. 5. dicitur Spiritus Sanctus dari nobis. In I. ad Cor. cap. 6. idem Spiritus S. habitare dicitur in nobis. Justi saepe templum appellantur Spiritus S. Unde justificationis natura in ipsa Spiritus S. persona est reponenda.

Resp. haec omnia verissima esse; sed demonstrare dumtaxat, gratiam habitualem esse Spiritus S. personam ratione principii, unde procedit; quod nos non diffitemur. Si autem justificatio consideretur ex parte nostri, uti eam modo consideramus, quis dixerit, esse illam Spiritus S. personam, et non potius caritatem per Spiritum S. in cordibus nostris diffusam?

Obj. 2. cum Thomistis. Paulus in II. ad Cor. cap. 13. *Gratia*, inquit, *Domini N. J. C. et caritas*. In I. ad Tim. cap. 1. *Superabundavit autem gratia D. N. cum fide, et dilectione*. Demonstrant haec, gratiam et caritatem inter se distingui. Ac proinde male habitualis gratiae natura in ipsa reponitur caritate. II. Concilium Tridentiunm sess. VI. can. II. non solum inquit: *Exclusa gratia* (et quidem habituali) *et caritate*, sed cap. 7. ait, hominis renovationem fieri *per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum*. Inter dona autem nonne connumeratur et caritas? Etiam Viennense concilium sub Clemente V. celebratum de sum. Trinit. et fid. cath. dixerat, *probabiliorem esse scholasticorum sententiam, in baptismo infundi gratiam, et virtutes*. Inter virtutes vero recensetur etiam caritas. Quare prius habitualis gratia supponitur, deinde caritas tanquam primarius illius effectus.

Resp. ad 1. Apostolus laudatis in locis loquitur de gratia non habituali, sed actuali, per quam peccata vitantur, et observantur legis mandata. Sed quoniam actualis quoque gratiae naturam reponimus nos in caritate, ut superiore libro probavimus, hinc dicimus, gratiam et caritatem per Apostolum citatis in locis duo esse ejusdem rei synonyma. Nec officit particula, *et*, quae non semper est realis distinctionis indicium, ut in illa ejusdem Pauli sententia in II. ad Cor. cap. 1. *Benedictus Deus, et Pater D. N. J. C. Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis*, sed saepe ad rem magis explicandam usurpatur, duo vel plura per eam particulam conjungendo synonyma. Vel si aliquam designat distinctionem, se tenet haec ex parte connotatorum; quod maxime in caussa nostra locum habet. Nam gratia habitualis dici potest absolute *gratia*, quatenus gratis datur. Dici potest justificatio, prout hominem justitia ac sanctitate exornat. Dici potest caritas, quatenus reddit hominem Deo carum.

Ad 2. Synodus Tridentina postquam sess. VI. cap. 7. initio dixerat, justificari hominem per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, mox caussam explicans formalem justificationis, ait, consistere illam in caritate. *Id tamen*, inquit, *in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum S. caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret*. Quare in antecedentibus verbis nomine donorum spem intelligere voluit et fidem, non caritatem. Quod idem respondendum est ad argumentum ex Viennensi concilio

deductum. Ideo autem duo illa concilia non satis clare rem hanc explicarunt, tum quia scopus illorum erat definire, gratiam sanctificantem esse donum aliquod supernaturale, tum etiam quia scholasticam hanc de habitualis gratiae natura quaestionem adiaphoram relinquere voluerunt theologis. Dici etiam potest, sub duplici respectu considerari caritatem; et quatenus est principium et radix omnium virtutum ac meritorum ad aeternam vitam conducentium, et quatenus est virtus theologica. Quum ergo caritas dicitur effectus justificationis, tunc caritatis nomine virtus intelligi debet theologica; quum vero dicitur esse idem cum gratia habituali, sumitur tunc, prout est bonorum operum aliarumque principium virtutum. Vide quae diximus agentes de natura gratiae actualis, ubi solutum invenies etiam argumentum ab adversariis urgeri solitum ex illis Augustini verbis: *Gratia praevenit etiam caritatem*.

Obj. ultimo. Gratia habitualis tollit ab anima damna illa omnia, quae intulit originale peccatum. Peccatum autem originale corrupit substantiam animae. Hinc in animae substantiam proxime et immediate recipi gratia habitualis debet.

Resp. Peccatum originale hoc modo animae praejudicium attulit. Per ignorantiam tenebras offudit intellectui, et per concupiscentiam voluntatem ad malum inclinavit. Quumque intellectus et voluntas sint potentiae animae, factum est, ut mediantibus potentiis originalis culpa animam corruperit. Ut ergo anima sanetur, debet per easdem plane potentias, quarum medio corrupta fuit, sanctificari. Et quoniam voluntas majores habuit in animae corruptione partes, (non enim est peccatum, nisi sit a voluntate patratum) hinc fit, ut gratia sanctificans, ad hoc ut anima sanetur, recipi debeat, tanquam in proximum immediatumque subjectum, in ipsam voluntatem creaturae rationalis. Haec autem dicta sint, ut morem adversariis geramus. Ceterum negamus nos, animae substantiam actu ab illius potentiis distingui.

CAPUT II.

De essentia justificationis in communi catholicorum sensu adversus haereticos.

Hactenus de habitualis gratiae natura, prout de ea in scholis disputari solet catholicorum, disseruimus. Nam reponere illam in qualitate quadam inhaerente, vel in actuali motione, quae virtualiter remaneat in anima potius quam in caritate, vel in ipsa Spiritus S. persona inhabitante, quaestio est, de qua in utramque partem, salva fide, potest disputari. Nihil enim de hac re definitum in Tridentina synodo habemus, quae dogmata ad justificationem spectantia ex professo versavit. Definivit dumtaxat, justificationem donum esse aliquod supernaturale animae hominis justificati, ad instar habitus, inhaerens; quamvis a nomine habitus prudenter abstinuerit, quum similis ceteris habitibus non videatur. Definivit praeterea, animam per justificationem intrinsecus renovari; adeoque per illam homini impio remitti,

ac vere et proprie deleri peccata, fierique eum justum justitia sibi inhaerente, non mere imputativa. Catholici omnes unanimi consensione Tridentini definitioni concilii demisse subscribunt.

Lutherani autem et Calvinistae, contra quos generale illud coactum fuit concilium, dogmata his omnino contraria tradunt atque docent. Et 1. Osiander affirmavit, hominem justum fieri per justitiam illam, qua Deus justus est, quatenus videlicet Deus partem justitiae suae homini justificato tribuit, extrinsece justum ac sanctum illum declarando. Atque hoc sensu esset justificatio forensis aliqua et extrinseca condonatio. 2. Lutherani communiter docent, justificationem in sola consistere non imputatione peccati; non quod peccata vere deleantur ab anima, eique remittantur, sed quod illa Deus misericorditer dignetur veluti tegere in impio et radere, simulque considerare tanquam non patrata. 3. Calvini autem sectatores inquiunt, justificationem consistere in justitiae Christi imputatione, quasi Deus filii sui unigeniti justitia, veluti stola et indumento, hominis, quem justificare vult, cooperiat animam, ne peccata, quae ibi revera sunt, oculis ejus appareant. 4. Omnes vero in eo conveniunt, ut obstinate negent, justificationem esse aliquod intrinsecum donum, omnino delens peccata, et vere proprieque animam renovans juxta illud Tridentini sess. VI. cap. 4. *Justificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum*. Portentosi hujus haereticorum systematis ratio potissima est, non solum ut a catholicis dissentiant, a quo dissensionis spiritu in plerisque ducuntur, sed etiam quia juxta illorum principia omnia cujusvis generis hominum opera, in se considerata, sordes sunt et inquinamenta. Unde sequitur, ut homo fiat justus vel per justitiam, qua Deus justus est, vel per non imputationem peccati, vel per justitiae Christi imputationem; uno verbo, per extrinsecum aliquem favorem. Bonis ergo avibus adversus haereticos pugnandum est, ut eos ad meliorem frugem revocemus. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Justificationis essentia non consistit in ea justitia, qua Deus essentialiter justus est; neque in sola non imputatione peccati; neque in imputatione justitiae Christi.

Prob. 1. prop. pars I. ex S. P. Augustino; qui in libro de spir. et litt. cap. 9. ad illa Apostoli verba: *Justitia Dei manifestata est*, scribit: *Non dixit, Justitia hominis, vel justitia propriae voluntatis; sed, justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium*. Qua sententia ita aperte Augustinus Osiandri jugulat errorem, ac si praevisus ab eo fuerit. II. Nullo prorsus modo intelligi potest, quomodo essentialis justitia Dei esse possit formalis nostra justificatio. Vel enim Deus communicat homini justitiam suam, atque ita Dei essentiale attributum,

quod a divina natura realiter non distinguitur, incipit esse ubi non erat; et tunc fieret homo justus per aliquid tribus personis commune, proindeque per tres redemptus esset personas, quod absurdissimum est: vel divina essentia declarat hominem esse justum et sanctum; et eo in casu, quod Osiander de divina dicit justitia, affirmare quis poterit de quovis alio Dei attributo, deque ipsa divina natura, atque justificationis reponere essentiam in misericordia, in sapientia, vel in divinitate. Sed ejusmodi delirium refutatione non indiget, quum improbetur etiam a Calvino lib. III. inst. cap. 2.

Prob. altera thesis pars. I. Psal. L. legitur: *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me ... Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor ... Omnes iniquitates meas dele*. Ezech. cap. 36. habetur: *Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Isaiae cap. 43. inquit Deus: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*. Mich. cap. 7. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem*? Atque haec inter plura ex V. T. Ex novo autem inquit Joannes cap. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Idem Joannes in I. epist. cap. 3. ait: *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Actor. cap. 3. *Convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Nemini ergo dubium, quin sacrae Scripturae, nisi earum extorquere velimus sensum, aperte clament, Deum in impii justificatione illius peccata dimittere, delere, mundare, non radere vel cooperire. Idcirco non nisi per summam stultitiam Lutherani justificationis reponunt essentiam in sola non imputatione peccati. II. Atque modo a nobis exposito intelligendas esse Scripturas proxime allatas, patet ex SS. PP. Nam Cyprianus in ep. II. appellat baptismum *mortem criminum*, non criminum abrasionem. Ambrosius lib. VI. in Luc. *In eo*, inquit, *justificatio Dei est, si non ad indignos et obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos et justos videatur sua munera transtulisse*. Justificatio itaque per baptismum homini communicata ex indigno innocentem illum facit. Chrysostomus hom. I. in epist. ad Eph. explicans illa verba: *Gratificavit nos in dilecto filio suo*, ita scribit: *Hoc est, non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodo enim si quis acceptum quemdam scabiosum, et peste, ac morbo, senioque, et paupertate, ac fame confectum, et perditum, statim formosum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem ... deinde eum constituerit in ipso flore aetatis, et postea eum induerit purpura, et diadema imposuerit, et omni ornatu ornaverit; ita nostram instruxit, et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem, et amabilem*. Theodoretus ad illa verba psal. XXXI. *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*, Messalianos consimilia Lutheranis tradentes perstringens, inquit: *Ea liberalitate utitur Deus, ut non modo remittat, verum etiam peccata oblitteret, ita ut neque vestigia eorum remaneant*. S. P. Augustinus respondens cuidam Pelagiano hunc Lutheranorum errorem imponenti catholicis lib. I. cont. 2. epist. Pelag. cap. 13. ait: *Quis hoc, nisi infidelis affirmet? Dicimus ergo, baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et*

auferre crimina, *non radere*. Fingebat enim sibi Pelagianus ille, catholicos, ex quo doceant remanere in homine etiam post baptisma concupiscentiam usque ad agonem, quae natura sua mala est, affirmare, peccata radi tantum in baptismate, non deleri. Qua de re Augustinus etiam in enchir. cap. 52. catholicam explicavit doctrinam dicens: *Sicut in illo* (Adamo) *vera mors facta est*, *ita et in nobis vera remissio peccatorum*. Eadem repetit alibi. III. Id ipsum patet ratione. Justificatio enim, quae in sola consistit non imputatione peccati, nil aliud denique est, quam externa quaedam condonatio delicti, seu mera a poenis exemptio. Ast nequit justificatio in externa condonatione delicti seu mera a poenis exemptione consistere. Nam hoc semel admisso, anima sordida remaneret et inquinata. Ex qua doctrina plura sequuntur absurda. Et 1. sequeretur, animas peccato inquinatas locum habere in regno caelorum; quum homini justificato debita sit aeterna vita. Hoc autem est contra Scripturas, dicente Joanne in Apocal: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, et Paulo praedicante, caelestem Hierusalem esse sine macula et sine ruga. Sequeretur 2. homines justos esse sepulcra dealibata, et hypocritas illos, quos Christus in evangelio tam acriter redarguit. In hoc quippe consistit hypocrisis, ut extrinsecus homo rectus et innocens appareat, intrinsecus autem improbus sit et commaculatus. Denique 3. sequeretur, Deum judicare homines non secundum veritatem et secundum id, quod revera sunt, sed secundum faciem et juxta externum corticem. Nonne haec absurdissima sunt? Absurdissimum ergo est etiam Lutheranorum de justificatione systema, ac propterea merito a Tridentina synodo damnatum sess. VI. can. 3. his verbis: *Si quis per J. C. D. N. gratiam*, *quae in baptismate confertur*, *reatum originalis peccati remitti negat*, *aut etiam asserit*, *non tolli totum id*, *quod veram*, *et propriam peccati rationem habet*, *sed illud dicit tantum radi*, *aut non imputari*, *anathema sit*.

Prob. 3. pars prop. I. Quod caussa est efficiens nostrae justificationis nequit simul ac semel esse ejusdem justificationis caussa formalis; alioquin idem essent caussa et effectus. Justitia autem Christi est caussa nostrae justificationis efficiens. Nam 1. cap. 1. Joannis legitur: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, *et gratiam pro gratia*; *quia lex per Moysen data est*, *gratia et veritas per J. Chr. facta est*. Paulus in ep. ad Titum cap. 3. ait. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abunde per J. C. salvatorem nostrum*: *ut justificati gratia ipsius*, *haeredes simus secundum spem vitae aeternae*. Et in ep. ad Ephes. cap. 1. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino J. C.* Et in I. ad Corinth. cap. 1. *Qui factus est nobis sapientia a Deo*, *et justitia*, *et sanctificatio*. Justitia itaque Christi caussa est efficiens nostrae justificationis. 2. S. P. Augustinus in lib. de spir. et litt. cap. 11. *Ideo*, inquit, *justitia Dei dicitur*, *quod impertiendo eam justos facit*; *sicut Domini est salus*, *qua salvos facit*. Et cap. 32. *Caritas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris*, *non qua nos ipse diligit*, *sed qua nos facit dilectores suos*: *sicut justitia Dei*, *qua justi ejus*

munere efficimur; *et Domini salus*, *qua nos salvos facit*; *et fides J. C. qua nos fideles facit*. Conticescat ergo cum stulto suo systemate Calvinus. II. Justificari hominem per justitiae Christi imputationem, idem est ac impium hominem, in anima sordibus inquinatum, justitia Christi veluti stola quadam cooperire, ut oculis Dei placeat. Ast quis, praeter Calvinum, portentum hoc pronuntiaverit? Justificationem enim esse aliquod inhaerens animae, intrinsecus ipsam renovans, non aliquod extrinsecum ad instar stolae vel indumenti, mox demonstrabimus. Quare sit

CONCLUSIO II.

Justificatio impii consistit in supernaturali Dei dono intrinsecus inhaerente, ac animam renovante.

Prob. 1. ex dictis. Si namque justificatio non est justitia, qua Deus justus est; nec consistit in sola non imputatione peccati, sed peccata omnia revera delet atque remittit; nec est denique salvatoris nostri justitia homini justificato imputata; est ergo aliquod animae intrinsecus inhaerens, illamque reformans.

Prob. 2. ex sacra Scriptura. Psalmo L. legitur: *Cor mundum crea in me Deus*, *et spiritum rectum innova in visceribus meis*. Ezech. cap. 36. ait Dominus: *Dabo vobis cor novum*, *et spiritum novum ponam in medio vestri*: *et auferam cor lapideum de carne vestra*, *et dabo vobis cor carneum*. Apostolus ad Rom. cap. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*. Et cap. 8. subdit: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum*, *in quo clamamus*: *Abba*, *Pater*. Ad Eph. cap. 4. *In ipso edocti estis ... deponere veterem hominem ... Renovamini autem spiritu mentis vestrae*, *et induite novum hominem*, *qui secundum Deum creatus est in justitia*, *et sanctitate*. Et cap. 1. dixerat: *Signati estis Spiritu promissionis sancto*. Et in I. ad Cor. cap. 6. *Abluti estis*, *sanctificati estis*, *justificati estis*. Confirmant catholicam hanc sententiam ea Scripturae loca, in quibus Spiritus S. habitare dicitur in anima justi velut in templo, et signaculum appellatur et sigillum animae, et arrha et pignus hominum; quae omnia demonstrant, justificationem esse aliquod interius renovans animam justificati.

Prob. 3. ex PP. supra laudatis; quibus addi possunt Athanasius in ep. ad Serapionem scribens: *Spiritus sigillum est*, *quo signati divinae naturae participes efficimur*; Cyrillus in dial. VII. cum Hermia dicens: *Hoc igitur*, *quod divinam nobis imaginem insculpsit*, *et instar sigilli praestantiorem mundo pulchritudinem ingenerat*, *nonne Spiritus est?*; et Hieronymus, qui in cap. 4. ep. ad Ephes. inquit: *Signati sumus Spiritu Dei sancto*, *ut et spiritus noster*, *et anima imprimatur signaculo Dei*, *et illam recipiamus imaginem et similitudinem*, *ad quam in exordio conditi sumus*. *Hoc signaculum S. Spiritus*, *juxta eloquium salvatoris*, *Deo imprimente*, *signatur*; et S. P. Augustinus, qui in lib. I. de peccat. merit. cap. 10. ait: *Legimus justificari in Christo*, *qui credunt*

in eum, propter occultam communicationem, et inspirationem gratiae spiritualis, qua quisquis haeret Domino unus spiritus est.

Prob. 4. ratione. Sicut per Adam homines moriuntur et peccant, ita per Christum vitam accipiunt et justificantur. Ast ita moriuntur per Adam et in ipso peccant, ut in anima maculam contrahant et injustitiam; igitur ita vivificantur in Christo ac justitiam accipiunt, ut habeant ab illo internam animae renovationem.

Contraria argumenta dispelluntur.

Quae afferri ab haereticis in sui systematis solent confirmationem, ex aequo faciunt contra singulas a nobis statutas propositiones. Unde

Obj. 1. In psal. XXXI. haec occurrunt: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Psal. XLVIII. legitur: *Operuisti omnia peccata eorum*. Sapient. cap. 11. *Dissimulas peccata hominum propter poenitentiam*. Ezech. cap. 33. *Omnia peccata ejus, quae peccavit, non imputabuntur ei*. In N. T. inquit Petrus: *Caritas operit multitudinem peccatorum*. In justificatione itaque peccata cooperiuntur, dissimulantur, non imputantur; proindeque falsum est, peccata remitti ac deleri; falsum est, hominem per justificationem interius immutari et renovari. II. Et sacrae litterae quidem de cooperitione, et non imputatione peccati sic in sensu proprio ac rigoroso loquuntur, ut doceant, animam post justificationem inquinatam remanere, et culpa commaculatam. Nam Isaiae cap. 66. legitur: *Facti sumus, ut immundus, omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae*. Psal. autem CXLII: *Non intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. III. In quae postrema verba S. Hieronymus lib. III. in Jer. scribit, sententiam illam, *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, referendam esse, *non ad comparationem Dei, ut veteres et novi haeretici volunt, et patroni haereticorum, sed ad scientiam ejus; quia homo videt in facie, et Deus in corde; vitiis autem atque peccatis omnis impletur humana conditio*.

Resp. ad 1. Sacrae litterae affirmant, in impii justificatione peccata non imputari, dissimulari, cooperiri, non quasi in anima peccatoris remaneant, (absit) sed quatenus non puniuntur. Et 1. quidem, quando in Scripturis dicitur, peccata tegi, non imputari etc., non excluditur, quod remittantur revera, ac prorsus deleantur. Nam psalmista, qui dicit, beatum esse hominem, cui teguntur aut non imputantur peccata, ait etiam, beatum illum esse, cui iniquitates remittuntur, hoc est, ut Hieronymus explicat, *dimittuntur*, vel, ut hebraica ac graeca exemplaria habent, *auferuntur*. Qua de re in justificatione scelera non solum teguntur, sed etiam delentur; praesertim quum Petrus laudato in argumento loco dicat, fieri cooperitionem peccatorum per caritatem, quae, juxta Paulum, non se habet velut indumentum exterius tegens, sed diffunditur in cordibus nostris, adeoque in-

terius in anima operatur . 2. Duo in quovis peccato consideranda veniunt, ut omnes norunt, culpa videlicet, et poena. Fieri tamen potest, ut culpa remissa ac deleta sit, poena autem adhuc luenda remaneat. Allata itaque Scripturae testimonia enunciant, beatum esse hominem, cui non culpa modo, sed et poena remissa est. Unde Augustinus enarr. II. in laudatum psalm. inquit: *Cooperta sunt peccata, abolita sunt, tecta sunt. Si texit peccata, Deus noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Non sic intelligatis, quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, et vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata? Ut noveris, quia hoc est Dei videre peccata, quod punire peccata, quid ei dicitur? Averte faciem tuam a peccatis meis.*

Ad 2. In primis per universas justitias intelligit Isaias praecepta legalia, quae etiam ab apostolo Paulo in epist. ad Hebr. cap. 9. appellantur *justificationes*. Ideo autem a propheta sordes dicuntur et immunditiae, quoniam praenuntiantur ibi futura novi testamenti tempora, in quibus legalia praecepta sordes et inquinamenta jure reputantur. Quod si quis contendere velit, per justitias in allato textu venire bona opera Judaeorum, tunc dici potest, sumere prophetam *to* omnes pro multis juxta Scripturae phrasim, quae redarguit omnes pro multis, omnesque pro multis aliquando commendat; ita ut sensus sit, multorum opera Judaeorum inquinata fuisse, quamvis secundum corticem bona apparerent ac justa. Ad id, quod additur ex psalmo, dico, hoc voluisse Davidem indicare, ut nullus in hac mortali vita vivens sit, cujus justitia cum rectitudine ac puritate Dei possit comparari, quum nemo ita justus esse possit, ut in venialia peccata non prolabatur: unde in conspectu Dei nemo vivens justificabitur. Responsio est Augustini, qui enarr. in citatum psalm. inquit: *Noli ergo mecum intrare in judicium. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, et pravus inveniar.*

Ad 3. Hieronymi autem sententia catholico dogmati non opponitur; loquitur enim et ipse de peccatis venialibus, quae utique stare cum justificatione possunt in eodem subjecto. Nam disputat S. doctor adversus Origenistas ac Pelagianos delirantes, posse hominem solis naturae viribus ad impeccantiae pervenire statum. Hinc optime ait, vitiis atque peccatis plenam esse humanam conditionem, quoniam impii habent peccata lethalia, justi autem in peccata crebro prolabuntur venialia.

Obj. 2. Paulus in epist. ad Rom. cap. 4. scribit: *Credidit Abraham Deo: et reputatum est illi ad justitiam*. Ita habet versu 3. Versu autem 5. subdit: *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiae Dei*. Et infra: *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam: sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum*. Quum Apostolus de justificatione loquens tum Abrahae tum etiam reliquorum justorum bis et tertio fieri repetat justificationem per imputationem, fieri justificationem

docet per imputationem justitiae Christi. II. Et revera Paulus ibi loquitur de justificatione Abrahae per solam externam imputationem. Nam inquit, non fuisse justificatum *ex operibus*. III. Idem Apostolus in laudata ep. ad Rom. cap. 5. tradit, quod *per unius obeditionem justi constituuntur multi*. Unde justificatio nostra est obedientia Christi nobis imputata.

Resp. ad 1. Loquens Apostolus laudato in capite de justificatione, utitur profecto nomine imputationis. Sed quid inde? Nomen illud usurpat, non sensu haereticorum, pro extrinseco nempe favore, sed in sensu plane catholico, pro quadam videlicet forma interiore, et inhaerente. Supponit nimirum, non fieri justificationem per Christum, nisi quaedam fiat in anima renovatio, ut innumeris aliis in locis affirmat, quorum aliqua paullo supra attulimus. Ideo autem nunc imputationis usurpat nomen, nec illud explicat, quoniam illius scopus non erat ibi loqui de caussa formali, ac natura justificationis, sed refutare seductos illos fideles, qui falso sibi suadebant, ex operibus legis, et non ex fide in Deum, hominem justificari. Unde ut illos revincat erroris, exemplum assumens Abrahae, affirmat, justificatum illum fuisse, non ex operibus, non ex circumcisione, sed ex fide; *quia contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium*. Hinc argumentum absolvit et addit: *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per D. N. J. C.* Quum ergo hic scopus ejus esset, necesse non erat, ut fuse explicaret, quomodo in Abraham ceterisque credentibus fiat justificatio; maxime quum id alibi, ut diximus, fuse explicasset.

Ad 2. Inquiens Apostolus, Abraham justificatum fuisse non ex operibus, loquitur de operibus legis, non de operibus supernaturalibus fide informatis et caritate; quoniam scopus ejus erat, ut mox animadvertimus, eos refellere, qui christianae fidei judaicos volebant conjungere ritus, tanquam necessarios ad aeternam salutem. Quare postquam nonnulla psal. XXXI. commata recitaverat, inquit: *Beatitudo ergo haec in circumcisione tantum manet, an etiam in praeputio? Dicimus enim, quia reputata est Abrahae fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcisione, an in praeputio? Non in circumcisione, sed in praeputio*. Et, *Non enim per legem promissio Abrahae ... sed per justitiam fidei*. Lege integrum caput. Quod vero Apostolus a justificationis negotio supernaturalia opera non excludat, vel ex eo patet, quod nomine fidei, cui justificationem tribuit, fidem intelligat, quae per dilectionem operatur. Sed de hoc fusius capite sequente.

Ad 3. Justificatio nostra est proculdubio obedientia Christi, non equidem formaliter, sed quatenus caussa est efficiens et meritoria nostrae justitiae. Ceterum haeretici ex eadem Pauli sententia refelluntur. Nam ita habet integer textus: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem justi constituuntur multi*. Ast homines originale contrahendo peccatum, ita per Adam constituuntur peccatores, ut Adae peccatum non sit eis imputatum, sed eorum animae revera peccatum inhaereat. Quare ita per Christi obeditionem con-

stituuntur justi, ut non sit illis obeditio imputata, sed justitia revera inhaereat animae.

Obj. 3. In epist. ad Eph. cap. 4. scribit Paulus: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*. Justitia ergo Christi aptatur nobis veluti quoddam indumentum - II. In I. ad Cor. cap. 1. legitur de Christo: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio*. Et ad Eph. cap. 1. *Gratificavit nos in dilecto filio suo*. III. In II. ad Cor. cap. 5. idem Paulus scribit: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Hinc eo modo efficimur nos justitia, quomodo Christus factus est peccatum. Ast vero Christus factus plane non est peccatum, nisi per imputationem. Unde et nos justificamur per imputationem. IV. S. Augustinus in ench. cap. 41. illa Apostoli verba exponens, inquit: *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit*. En totum Calvini systema. Nam Augustinus justitiam nostram reponit in Christo, sicuti peccatum Christi reponit in nobis. Et quemadmodum peccatum impositum fuit et imputatum Christo, ita justitia Christi imponitur et imputatur nobis.

Resp. ad 1. Comparat Apostolus justificationem hominum indumento juxta phrasim Scripturarum, in quibus habitus supernaturalium virtutum appellantur indumenta. Ast indumenti nomine non certe aliquod extrinsecum, quod animae adjaceat, ac ibi latitantia scelera cooperiat, sed intelligitur aliquod haerens intrinsecus ac renovans animam; ita ut dicere, *Induite novum hominem*, idem sit ac dicere: *Exuite hominem veterem*, hoc est, deponentes abjicientesque peccata, locum date Christo ac virtutibus. Hinc Paulus loco in argumento laudato, antequam diceret: *Induite novum hominem*, dixerat jam: *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite* etc.

Ad 2. Haec aliaque hujus generis testimonia accipienda plane sunt non de formali, sed de efficiente caussa nostrae justificationis; quoniam Christus dicitur nostra justificatio, nostra gratificatio per figuram metonymiae, quatenus scilicet est caussa, cur justi simus, habeamusque gratiam. Quae metonymiae figura frequentissima est in Scripturis, et ideo dicitur Deus nostra salus, nostra fortitudo, spes nostra etc. Rem autem ita in allatis sententiis se habere, patet manifestissime. In cap. enim 1. laudatae epist. sibi doctor gentium proponit hortari Corinthios, ne in propria glorientur virtute, aut sibi ipsis fidant, quoniam bonum, quod habent, acceperunt per redemptionem a Christo. Atque hoc sensu inquit: *Christus factus est nobis sapientia, justitia* etc. Et hoc adeo verum est, ut Apostolus dicat, Christum factum esse non solum nostram justificationem, verum etiam nostram sapientiam. Ast quo sensu Christus nostra sapientia est, nisi efficienter? Hoc idem dicendum de altero Apostoli loco, ubi particula, *in*, idem significat ac particula, *per*, juxta illud Apostoli ibidem: *Elegit not*

in ipso ante mundi constitutionem, hoc est, *per ipsum*, per ejus nempe gratiam: *In laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo*.

Ad 3. Nomine peccati in allato testimonio non intelligitur culpa, seu reatus, quasi sensus sit, Christum aliquo sensu peccasse pro nobis, quod aperte repugnat; sed intelligitur sacrificium pro peccato oblatum, et sensus est: Christus, qui nullum habet peccatum, oblatus est in sacrificium, ut peccatum deleret. Hinc non legitur: *Is, qui non noverat peccatum* etc., sed: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis* (Deus) *peccatum fecit*, sacrificium videlicet pro peccato, juxta communem Scripturae phrasim, in qua sacrificium pro peccato per figuram dicitur peccatum, ut apud Oseam: *Peccata populi mei comedent*, hoc est, sacerdotes sacrificia pro peccatis populi mei oblata comedent. Ita Apostoli locum omnes sancti patres exponunt. Hinc ita intelligi debent Pauli verba: Christus oblatus est in sacrificium pro peccato, ut caussa esset efficiens nostrae justificationis. Nihil proinde ex allato testimonio eruere possunt protestantes.

Ad 4. Augustinus nostram reponit justitiam in Christo, tanquam in caussa efficiente, non tanquam in caussa formali, quasi justitia, quae est in Christo, sit justificatio nostra. Nam antithesim instituit inter peccatum, et caussam efficientem justificationis; significans, quod sicuti peccatum, propter quod passus est Christus, non erat in ipso, sed in nobis, ita caussa efficiens nostrae justificationis non invenitur in nobis, sed in Christo. Etenim refellebat ibi S. doctor Pelagianos, qui omnia supernaturalia dona humanae naturae viribus aliquo modo tribuebant. Et quamvis justificationem a Christo esse faterentur, errabant tamen dicentes, dari eam secundum merita nostra naturalia; atque adeo meritoriam justificationis caussam in viribus reponebant humanae naturae. Redarguit eos S. Pater dicens, caussam nostrae justificationis meritoriam atque efficientem non in nobis esse, sed in Christo; sicuti caussa meritoria mortis Christi, nempe peccatum, est in nobis, non in Christo.

CAPUT III.

De dispositionibus ad justificationem requisitis.

Catholici omnes de dispositionibus ad justificationem praerequisitis disserentes, absque ulla haesitatione subscribunt Tridentino concilio haec sess. VI. cap. 6. definienti: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa fuerunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illum-*

que tanquam justitiae fontem diligere incipiunt ; ac propterea moventur adversus peccata per aliquod odium , et detestationem , hoc est , per eam poenitentiam , quam ante baptismum agi oportet etc. Ita Tridentini patres . Ex quibus apparet , primam in adultis (non enim ibi sermo fit de parvulis) ad justificationem praerequisitam dispositionem esse *fidem, qua vera esse , quae divinitus revelata sunt* , credimus , *atque illud in primis , a Deo justificari impium per gratiam ejus , per redemptionem , quae est in Christo Jesu* . Et jure quidem ; tum quia justificatur homo ex fide , tum etiam quia sine fide impossibile est placere Deo , ut passim docet Apostolus , et maxime in epist. ad Rom. cap. 4. et ad Hebr. cap. 11., *et de hac dispositione scriptum est : Accedentem ad Deum oportet credere, quia est , et quod inquirentibus se remunerator sit* , ait ibidem Tridentina synodus .

Ex jam praeconcepta per gratiam Dei fide oritur subinde *timor* , quo utiliter homo concutitur ; isque altera erit ad justificationem dispositio , quoniam *Timor Domini fons vitae*, legitur prov. cap. 14. *ut declinent a ruina mortis* , et , *A facie tua , Domine , concepimus , et peperimus spiritum* , inquit Isaias cap. 26. Per fidem quippe agnoscens impius , Deum esse justum , et peccata punire , timet eum , qui potest et animam et corpus perdere in gehennam . Ast per eamdem fidem homo agnoscit etiam , Deum esse misericordem , et misericordiae ejus non esse numerum . Hinc *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo , in spem erigitur , fidens Deum sibi , propter Christum , propitium fore* . Et eae *spes* , tertia ad justificationem dispositio , de qua dictum est : *Confide fili : remittuntur tibi peccata tua* . Ille enim , qui timore concussus ob patrata scelera gehennam promereri sentiebat , nunc ad Dei conversus misericordiam , sperat remittenda sibi esse peccata , et cum psalmista inquit : *Miserere mei Domine , quoniam infirmus sum* .

A spe illico transit homo ad *dilectionem* , ac Deum *tanquam justitiae fontem diligere incipit* , sicque magis ad justificationem disponitur , sciens , quod qui *non diligit* , *manet in morte* , ut Joannes ait ; displicet quippe sibi , injuriam ei intulisse , qui fons est et origo bonitatis , unde cuncta bona procedunt .

Dilectionis subinde stimulis agitatus , movetur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem ; agere proponit poenitentiam , seque ad Deum convertere , novam ducere vitam , et servare divina mandata ; hisque dispositionibus ad sacramentum accedens , discedit inde justificatus . Haec est catholicorum omnium firma fides circa dispositiones ad justificationem praerequisitas .

Non ita tamen recentiores haeretici Lutherani et Calvinistae . Hi neque spem , neque dilectionem , nec alia bona opera , tanquam necessarias ad justificationem obtinendam dispositiones , agnoscunt . Admittunt quidem necessitatem caritatis aliorumque operum supernaturalium ; sed necessitatem intelligunt merae *praesentiae* , ut inquiunt , non necessitatem *efficientiae* ; hoc est , volunt , non deberi justificationem caritati , aliisque operibus bonis

tanquam praeviis dispositionibus, sed ab illis dumtaxat comitari. Quam ergo requirunt dispositionem? Nempe solam fidem. Qui vere crediderit, inquiunt, justificationem consequetur et vitam aeternam. Sed neque fidei nomine id, quod catholici volunt, intelligunt. Etenim triplicis generis distinguunt fidem, *historicam* videlicet, *miraculorum*, et *promissionum*. Primam dicunt illam, qua credimus omnia, quae sacris codicibus continentur, et de qua inquit Paulus ad Hebr. cap. 11. *Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei*. Alteram eam appellant, qua Deum omnia facere posse credimus, de qua idem Paulus in I. ad Cor. cap. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*. Fidem denique promissionum definiunt eam, qua veras esse credimus promissiones a Deo factas de aeterna hominum salute, juxta illud Marci cap. ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*. Fides ergo ab haereticis ad justificationem requisita non est illa historica vel miraculorum, sed sola fides promissionum.

Et quoniam fidem hanc promissionum distinguunt in generalem et specialem, hanc, non illam necessariam arbitrantur ad justificationem. Est autem promissionum fides generalis illa, qua homo credit, Deum generaliter peccatorum promisisse condonationem omnibus, qui crediderint. Specialem vero dicunt generalium promissionum applicationem ad particulare subjectum, et hoc fere modo exprimitur. Deus promisit omnibus credentibus peccatorum condonationem. Ergo credo; ergo peccata mihi condonata sunt. Pessimi systematis hujus origo ex eo repetenda est, quod velint, omnia hominum opera sordes per se esse et inquinamenta. Unde ex consequente affirmant, nullam opera habere in justificatione partem. Singula systematis hujus capita totidem refutabimus propositionibus. Quare sit

CONCLUSIO I.

Homo non sola fide, sed spe quoque, caritate, ceterisque virtutibus disponitur ad justificationem.

Prob. 1. Script. Apostolus in epist. ad Gal. cap. 5. *In Christo Jesu*, inquit, *neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides, quae per caritatem operatur*. In I. ad Corinth. cap. 13. ait: *Si habuero fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum*. Petrus in sua I. ep. cap. 3. *Qui vult*, inquit, *vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Declinet a malo, et faciat bonum; inquirat pacem, et sequatur eam: quia oculi Domini super justos*. In Jacobi ep. cap. 2. legitur: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Nonne Abraham pater noster ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Fides ergo, quae justificat, operatur per caritatem, secumque omnia bona opera adnexa habet.

Prob. 2. ex PP. Clemens Alexandrinus in lib. II. strom. tradit, *Fidem*

praecedere, *timorem aedificare*, *dilectionem perficere*. Basilius in psal. XXXIII. *Timor salutaris*, inquit, *ad poenitentiam ducit*. Ambrosius initio lib. de poenit: *Nemo potest bene agere poenitentiam*, *nisi qui speraverit indulgentiam*. S. P. Augustinus lib. de grat. et lib. arb. cap. 7. ad illa Apostoli verba: *Fides*, *quae per caritatem operatur*, scribit: *Ipsa est fides*, *quae fideles Dei separat ab immundis daemonibus*; *nam et ipsi*, *sicut dicit Apostolus Jacobus*, *credunt*, *et contremiscunt*; *sed non bene operantur*. *Non ego habent istam fidem*, *ex qua justus vivit*, *id est*, *quae per dilectionem operatur*, *ut reddat ei Deus vitam aeternam secundum opera ejus*.

Prob. 3. ratione. Si sola fides absque reliquis virtutibus justificat hominem, dari poterit homo vere justus, qui nullo modo Deum diligat. Nam si sola fides justificat, statim ac homo fidem habet, quae certe prior est, saltem prioritate naturae, ipsa dilectione, homo justus erit, nec Deum diliget; quod est contra Scripturam, dicente Joanne in ep. I. cap. 3. *Qui non diligit*, *manet in morte*.

CONCLUSIO II.

Fides, *quae una est ex dispositionibus ad justificationem praerequisitis*, *non est fides specialis promissionum in sensu haereticorum*.

Prob. 1. ex sacris litteris. Joannis cap. 6. apostolorum princeps ita Christum alloquitur: *Verba vitae aeternae habes*. *Et nos credimus*, *et cognovimus*, *quia tu es Christus filius Dei vivi*. Ibid. cap. 20. *Haec scripta sunt*, *ut credatis*, *quia Jesus est filius Dei*, *et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Marci cap. ult. dicit Dominus discipulis suis: *Praedicate evangelium omni creaturae*. *Qui crediderit*, *et baptizatus fuerit*, *salvus erit*. Apostolus ad Hebr. cap. 11. inquit: *Fide intelligimus*, *aptata esse saecula verbo Dei* ... *Sine fide impossibile est placere Deo*. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, *quia est*. Jam vero fides, quae laudatis in testimoniis commendatur, quaeque hominem disponit ad justificationem, est fides non solum promissionum, sed historica et miraculorum, ut ex ipsa lectione patet.

Prob. 2. ex magno Augustino, qui lib. de natura et grat. cap. 2. *Si autem*, inquit, *non gratis Christus mortuus est*, *ergo omnis humana natura justificari et redimi ab ira Dei justissima* ... *nullo modo potest*, *nisi per fidem et sacramentum sanguinis Christi*, non autem promissionum ejus. Clarius adhuc in lib. de peccato orig. cap. 24. *Itaque sine ista fide*, *hoc est*, *sine fide unius mediatoris Dei et hominum*, *hominis Christi Jesu*, *sine fide*, *inquam*, *resurrectionis ejus*, *quam Deus hominibus definivit*, *quae utique sine incarnatione ejus ac morte non potest veraciter credi*: *sine fide ergo incarnationis*, *et mortis*, *et resurrectionis Christi nec antiquos justos*, *ut justi essent*, *a peccatis potuisse mundari*, *et Dei gratia justificari*, *veritas christiana non dubitat*.

Prob. 3. ratione. Omnibus catechumenis semper consuevit Ecclesia symbolum recitare Apostolicum, ut per fidem ibi contentam ad justificationem in baptismo recipiendam disponantur. Ast in symbolo Apostolorum non solum fides promissionum, sed et historica continetur, et miraculorum. Unde Tridentina synodus hanc merito edidit definitionem: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.*

Contraria argumenta refelluntur.

Obj. 1. cont. 1. thesim allatum superiore capite Apostoli testimonium ex ep. ad Rom. cap. 4. depromptum: *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Et infra: *Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam ... Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Juxta allatam Pauli sententiam Abraham et qui reputantur in semine ejus justificantur per fidem sine operibus. Sola igitur fides disponit hominem ad justificationem. II. Et dum Apostolus ait, justificari hominem per fidem, excludere plane intendit quaevis supernaturalia opera. Nam scopus ejus est demonstrare, justificationem fieri omnino gratis. Ait enim: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Quod si in justificatione partem haberent opera, quomodo fieret gratis? III. Intellexit hoc modo Apostoli mentem etiam Tridentina synodus, quae sess. VI. cap. 8. docet, ideo Apostolum affirmasse, justificari nos gratis, *Quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* IV. Neque recurrere juvat ad meritum de condigno, ut inquiunt, vel de congruo. Nam Augustinus in libro de fide et oper. cap. 14. ad citatam alludens Apostoli sententiam inquit: *Sciat se quisque per fidem posse justificare, etiamsi legis opera non praecesserint. Sequuntur enim justificatum, non praecedunt justificandum.* Quid ad rem nostram luculentius? Neque dici potest, loqui S. doctorem de operibus naturalibus; nam de illis loquitur operibus, quae subsequuntur justificationem, proindeque supernaturalia sunt.

Resp. ad 1. Abraham et qui reputantur in semine ejus per Apostolum justificantur utique sine operibus, et per fidem, sed sine operibus legis Mosaicae, et per fidem, quae per dilectionem operatur, adeoque adnexa habet supernaturalia opera. Jam Apostoli scopum exposuimus capite superiore. Nihilominus ut unicum eripiamus e protestantium manibus Scripturae testimonium, cui tantopere fidunt, exponamus adhuc fusius Apostolicam mentem. Sciendum itaque est, christianos Romae degentes, qui ex Judaismo ad baptismum accesserant, aspernari coepisse christianos, qui venerant ex gentilitate, dicentes, non quidem Gentibus, sed Judaeis repromissum fuisse evangelium, quod essent ex semine Abrahae, quod haberent circumcisionem, et quod legem per manum Moysis acceperint. Nec dubitabant aliqua

exercere legalia quasi ad aeternam salutem necessaria. Apostolus ergo ut horum confutaret errorem, demonstrandum assumit, coram Deo nec circumcisionem quidquam valere, neque praeputium, atque inutile prorsus esse et supervacaneum legalium rituum exercitium, hac ductus ratione, quoniam opera quaevis absque gratia patrata Deo placere non possunt. Porro in sententiae suae confirmationem ad exemplum provocat Abraham patrem omnium credentium, dicens, Abraham non ex circumcisione aut ex operibus legis, sed ex fide in futurum mediatorem fuisse justificatum; quia circumcisio aliaque opera legis absque gratia patrata nihil coram Deo valent. Quare dum ait Apostolus, hominem non justificari ex operibus legis, idem est ac si dicat, non justificari hominem per opera sine gratia patrata. Ait quidem Paulus justificari hominem per fidem. Sed de qua fide loquitur? De illa nimirum, quae per dilectionem operatur. Nam in ep. ad Gal. cap. 5., ubi idem versat argumentum, ita scribit: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides, quae per caritatem operatur*. Quae verba exponens Augustinus in lib. de fide et operibus cap. 14. inquit: *Paulus, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, quae per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quae sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: Si habeam omnem fidem, caritatem autem non habeam, nihil sum*. Animadvertere praeterea juvat, quod quum nonnulli ob eam Pauli propositionem, *Homo, non ex operibus, sed ex fide justificatur*, non bene perceptam existimarent, solam fidem, non autem opera necessaria esse ad aeternam salutem, Apostolus Jacobus in sua catholica epistola ut errorem hunc de medio tolleret, demonstrare assumpsit, fidem sine operibus mortuam omnino esse, idem afferens Abrahami exemplum, dicens: *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est*? Numquid Paulo contradicebat Jacobus? Absit. Ait quippe Augustinus in Q. 76. inter 83. *Qui putant istam Jacobi apostoli sententiam contrariam esse illi apostoli Pauli sententiae, possunt arbitrari, etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco: Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*.

Ad 2. Quando Apostolus ait, justificationem fieri gratis, affirmat id per oppositionem ad opera legis sine gratia patrata, non per oppositionem ad opera supernaturalia. Quinimmo affirmans, fieri justificationem gratis per fidem, quum de fide loquatur, ut diximus, quae per dilectionem operatur, supernaturalia opera tanquam dispositiones includit. Et nihilominus recte dicitur, fieri justificationem gratis, *Quia ipsa fides, unde incipiunt bona merita, gratuitum donum Dei est*, ait Augustinus in ep. ad Sixtum, et Tridentinum sess. VI. cap. 8. *Quia fides est humanae salutis initium* etc. Nec officit, quod solam fidem commemorans dicat, *Non ex operibus*. Nam *ne dicerent, ait idem S. P. lib. de grat. et lib. arb. cap. 7.*,

suis operibus se donum tale meruisse, continuo subjecit: Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Non quia negavit, aut evacuavit opera bona, cum dicat, Deum unicuique reddere secundum opera sua; sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides; ac per hoc ab illo sunt nobis opera justitiae, a quo est ipsa fides, de qua dictum est: Justus ex fide vivit.

Ad 3. Affirmat Tridentina synodus, neque fidem neque opera justificationem promereri. Cur ergo protestantes ad justificationem praerequirunt fidem? Itaque Tridentina synodus hoc sensu affirmat, fidem et opera justificationem non promereri, quatenus fidei et operibus, etiam cum gratia patratis, non inest ad justificationem meritum de condigno, sed tantum de congruo. Nam quum idem concilium in cap. 6. praecedente doceat et probet, fidem et opera supernaturalia ad justificationem absolute praerequiri, ex consequente tradit, fidem et opera promereri justificationem de congruo. Unde affirmans cap. 8., fidem et opera non promereri justificationem, intendit proculdubio statuere, fidem et opera non promereri justificationem de condigno. Quod si haeretici pertinaciter adhuc contendant, concilium a fide et operibus omne prorsus excludere meritum sive de congruo sive de condigno, non contradicam. Sed eo in casu loquitur concilium de fide informi et mortua, atque de operibus sine gratia patratis, quae plane nullum ad justificationem assequendam meritum habent. Huic solutioni favent concilii verba, quae e vestigio sequuntur: *Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia*. Apostolus autem per haec verba excludit a gratia opera naturalia.

Ad 4. Loquitur S. Pater de merito de condigno aeternae vitae; verborumque illius sensus est, opera, quae fiunt ante justificationem, etiamsi cum actuali gratia sint patrata, meritum non habere aeternae vitae, quae repromissa non est, nisi justificatis. Non autem excludit supernaturalia opera tanquam dispositiones ad justificationem. Quod patet 1. ex quo dicat, sermonem ibi facere de fide, quae per dilectionem operatur, ut supra observavimus; 2. ex quo cap. ejusdem libri 8. demonstret, iis, qui renovari per baptismum volunt, necessariam esse poenitentiam ex illo Act. Apost. loco cap. 2. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*; 3. quoniam ibid. ait, de hoc argumento se fusius pertractasse in lib. de spir. et litt. cap. 9. Ast eo loci inquit: *Justificati gratis per gratiam. Non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem: sed justificati gratis per gratiam ipsius; non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem.*

Obj. 2. adversus utramque propositionem. I. Matth. cap. 9. legitur, Christum dixisse mulieri: *Fides tua te salvam fecit*. Et Apostolus ad Rom. cap. 1. *Justus*, inquit, *ex fide vivit*. Et cap. 10. *Corde creditur ad justitiam*. His similia multa sunt in Scripturis, quae suadent, fidem justificare, non alia bona opera. II. Matth. citato cap. 9. Christus sic alloquitur paralyticum: *Confide fili; remittuntur tibi peccata tua*. Sola ergo fides specialis promissionum, quae in quadam consistit fiducia, sufficit ad justificationem.

Resp. ad 1. Loquitur memoratis in argumento locis Scriptura de fide, quae per dilectionem operatur, quaeque aliarum est initium gratiarum, non de fide nuda, vel mortua et informi. Responsio haec patet ex dictis. Illud dumtaxat animadverto, quod sacrae litterae salutem ac vitam aeternam tribuunt etiam timori, caritati, spei, ceterisque virtutibus. Saepius autem commemoratur fides, *quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur*, scribit S. P. Augustinus in lib. de praed. SS. cap. 7. Praeterea nonnulla Scripturae testimonia, in quibus sermo fit de caussa miraculorum, ut est illud Christi apud Lucam cap. 8. ad mulierem dicentis, *Crede tantum, et salva erit*, protestantium sententiam minime juvant. Nam sola fides, quae si nuda sit non sufficit ad justificationem, sufficere potest ad obtinendum a Deo miraculum, ut accidit filiae archisynagogi, de qua sermo fit apud Lucam, quaeque intuitu fidei patris sui a mortuis fuit a Christo revocata.

Ad 2. Illud Scripturae testimonium aliaque ejusdem generis, quae adduci possunt, demonstrant, ad justificationem requiri vivam fidem cum fiducia (a spe tamen non distincta) conjunctam; quod catholici non inficiantur. Non probant autem, sufficere solam illam ab haereticis excogitatam fiduciam. Nam antequam paralyticus in Christum confideret, habuit fidem in divinitatem et omnipotentiam illius, et habuit praeterea spem, quoniam fide tenens, Christum esse omnipotentem ac proinde Deum, speravit, fore ab eo salutem accepturum. Tantaque fides ac spes in illo fuit, ut e tecto una cum grabato in domum ad Christi pedes descenderit. Quare paralytici factum contrarium potius demonstrat. Alia, quae afferri ab haereticis possunt, solutionem habent ex dictis.

CAPUT IV.

De proprietatibus justificationis.

Tres sunt secundum omnes catholicos praecipuae justificationis proprietates, videlicet, *incertitudo*, *amissibilitas*, *et inaequalitas*. Quod idem est ac dicere, nemo certus esse potest certitudine fidei, cui falsum subesse nequeat, se esse revera justificatum; homo quantumvis justus potest per novum peccatum justitiam ac sanctitatem amittere; atque justitia, qua justi sumus ac sancti, non est in omnibus ac singulis justis aequalis, sed in alio major est, in alio minor. De prima justificationis proprietate, nempe de incertitudine, Tridentina synodus sess. VI. cap. 9. loquitur: *Quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*. De altera autem proprietate, seu amissibilitate, haec eadem S. synodus sentit ejusd. sess. can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere ... anathema sit*. Hoc denique statuit de tertia justificationis proprietate, ni-

mirum inaequalitate, can. sequente: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo, per bona opera ... anathema sit.*

E contra vero recentiores haeretici has justificationis proprietates esse statuunt, nempe certitudinem, inamissibilitatem, aequalitatem; et ajunt, certum esse hominem certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, de sua justificatione; a justitia semel accepta non posse per quodcumque peccatum amplius excidere; atque illam esse in omnibus justis aequalem, nec augeri posse nec minui. Monstruosi hujus systematis ratio ex eo petenda est, quod praefati haeretici teneant, justificationem haberi ex speciali divinarum promissionum fide. Quum enim quisque certus esse possit, firmam se habuisse in divinas promissiones fidem, certus proinde erit quoque de sua justificatione. Et quoniam non nisi praedestinati vera justificatione donantur, fit, ut justificatio in eo, qui semel justus evasit, immutabilis sit, quomodo immutabile est praedestinationis decretum. Fides autem specialis divinarum promissionum, aut Christi justitia hominibus imputata, aut non imputatio peccati est omnino aequalis in omnibus; proindeque aequalis in omnibus, juxta haereticos, est etiam justificatio. Singula nunc pessimae hujus doctrinae capita sunt refellenda. Propterea sit

CONCLUSIO I.

Nemo mortalium certus esse potest, certitudine fidei, se esse justificatum.

Prob. 1. Scripturis. Prov. cap. 28. legitur: *Beatus homo, qui semper est pavidus ... Qui confidit in corde suo, stultus est.* Eccles. cap. 9. *Sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Et Eccl. cap. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Ex N. T. Apostolus ad Rom. cap. 11. *Noli altum sapere, sed time.* In I. ad Cor. cap. 4. *Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum.* Ad Philipp. cap. 2. *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini.* Ubi ergo est illa ab haereticis jactata certitudo de propria justificatione?

Prob. 2. Augustini auctoritate, qui in lib. de perf. just. cap. 15. inquit: *Quantalibet justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex justus sederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa, de quibus dictum est: Delicta quis intelligit?* Gemina his ante Augustinum tradiderant Cyprianus de eleem., Basilius in const. monast. cap. 2., Hieronymus dial. I. adv. Pelag., et post Augustinum Gregorius M. lib. IX. mor. cap. 17., Bernardus serm. III. de adv., aliique.

Prob. 3. ratione. Ad justificationem habendam non solum requiritur voluntas Dei gratiam largientis, sed etiam voluntas hominis assentientis, atque exercentis virtutes, ut antecedente capite probavimus. Ast nemo certus

esse potest certitudine fidei de rectitudine propriae voluntatis. Quis enim certo scire potest, se totam legem in qualibet gravi materia servasse? Possumus quippe et per ignorantiam et per inadvertentiam in multa prolabi peccata, quum simus infirmi. Praeterea quot sunt opera, quae nobis prodiisse videntur ex radice caritatis, quum prodierint revera ex occulta radice cupiditatis? Denique certitudo illa ex speciali promissionum fide juxta haereticos profluens eodem modo respectu justificationis se habet, ac respectu praedestinationis et perseverantiae finalis. Ita opinantur haeretici. Ast nemo certus est certitudine fidei de propria praedestinatione ac perseverantia finali. Nec ergo certus esse potest certitudine fidei de propria justificatione.

SCHOLION.

Non inficiamur tamen, certum esse posse hominem de sua justificatione certitudine spei; quae consistit in hoc, ut homo divinae gratiae et bonorum operum innixus exercitio, certo speret, se esse justum, atque idcirco fore aeternam accepturum repromissionem. Haec autem certitudo conjuncta semper est cum formidine atque timore, ad differentiam certitudinis fidei, quae omnem excludit formidinem; quam certitudinem habere solemus de fidei nostrae mysteriis, et qua dicunt haeretici, nos certos esse debere de propria justificatione.

CONCLUSIO II.

Justificatio non est immutabilis; adeoque possunt justi a propria excidere sanctitate.

Prob. 1. sacris litteris. Ezech. cap. 33. legitur: *Fili hominis, dic ad filios populi tui: Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit.* Et iterum: *Cum recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis.* Apostolus in I. ad Cor. cap. 3. inquit: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et cap. 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* In ep. ad Eph. cap. 5. *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi, et Dei.* Accedunt his exempla plurima ex Scripturis deprompta. Satan, v. g., Adam, David, Simon magus nuncupatus, aliique fuerunt justi, et a propria deinde exciderunt justitia. Non est ergo justificatio immutabilis.

Prob. 2. ex PP. Tertullianus de poenit. inquit: *Nonne multi postea excidunt? Nonne a multis donum illud aufertur?* Cyprianus de exhort. mart. *Ereptos*, inquit, *de faucibus diaboli, et de laqueis saeculi liberatos non debere denuo ad saeculum reverti, ne perdant quod evaserint.* Chrysostomus hom. in cap. 8. ep. ad Rom. inquit: *Si dum hic es, depuleris*

a te spiritus gratiam, et non ea servata, abeas ex hac vita, periisti, quanquam resurrexeras. Hieronymus lib. II. cont. Jovin. *Si peccaverimus*, inquit, *et per peccati januam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit*. S. P. Augustinus in lib. de corr. et grat. cap. 13. ita scribit: *Credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quae per dilectionem operatur, incipere vivere ... et postea cadere, neque de hac vita, priusquam id contingat, auferri*. Innumeris autem in locis S. doctor tradit, justos a justitia ac sanctitate excidere, et praecipue in lib. de dono perseverantiae.

Prob. 3. theol. ratione. Experientia constat, plures homines, qui dum parvuli essent justificationem per baptismum receperunt, in peccata ac scelera prolabentes, impios evadere. Vel ergo dicendum est, non fuisse illos in baptismo justificatos, quod absurdum est; vel confitendum, posse hominem ab accepta excidere justificatione. Praeterea, si justus a recepta sanctitate recedere nequiret, quilibet justus actu finaliter perseveraret, quod falsum omnino est. Tandem, admissa semel protestantium sententia, frustra homo, qui semel justificatus est, gehennae poenas timeret; frustra ad legem adlaboraret observandam; frustra a Deo donum peteret perseverantiae. Quae absurdissima esse, nemo non videt.

CONCLUSIO III.

Justificatio non est in omnibus justis aequalis; et in singulis augeri potest.

Prob. 1. Script. Prov. cap. 4. sic habetur: *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectum diem*. Apostolus ad Philipp. cap. 1. *Hoc oro*, inquit, *ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia, ac in omni sensu*. Apoc. cap. ult. legitur: *Qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc*.

Prob. 2. orationibus Ecclesiae, quae Dom. XIII. post pent. sic Deum orat: *Da nobis fidei, spei, et caritatis augmentum*. Sunt in liturgia plures aliae consimiles orationes.

Prob. 3. ex PP. Ambrosius lib. V. in Luc. inquit: *Diversa merita sunt in regno caelorum*. S. P. Augustinus tract. VI. in Joann. scribit: *Ipsi spirituales sancti in Ecclesia sunt alii aliis sanctiores, alii aliis meliores*. Et tr. LXVII. in eumd. evangelistam, *Multae*, ait, *mansiones diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates*. Gregorius M. in lib. IV. mor. cap. 31. *In hac vita nobis est discretio operum*.

Prob. 4. ratione. Ad justificationem requiruntur fides, spes, caritas, aliaeque virtutes tanquam praeviae dispositiones. Hae autem virtutes ab aliis in sublimiore, in remissiore gradu ab aliis possidentur. Unde et justificatio in uno major est, in alio minor. Praeterea, essentia justificationis est aliquid renovans animam, eique interius inhaerens, et proprie est caritas. Ast vero quod interius animam renovat, eique inhaeret, seu caritas, nonne habet gra-

dus suos? Demum beatitudo, quae justificationi rependitur, non est aequalis in omnibus, ut de Dei visione agentes demonstravimus: quare nec justificatio, cui tanquam merces aeterna debetur beatitudo, est in omnibus justis aequalis.

Refelluntur adversariorum argumentationes.

Obj. 1. adv. 1. thes. Paulus in ep. ad Rom. cap. 5. inquit: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus.* Quid est pacem habere, nisi esse infallibiliter certum? II. Ibidem cap. 8. *Certus sum*, inquit, *quia neque mors, neque vita ... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei.* Justi itaque certi sunt de propria justificatione. III. Eodem capite scribit: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Ast testimonium Spiritus certum est et infallibile. IV. Idem Paulus in II. ad Cor. cap. 13. ita loquitur: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* Quid clarius?

Resp. ad 1. Apostolum nomine pacis eo in loco non infallibilem justificationis intelligere certitudinem, sed gratiam et reconciliationem per Christum, ut ex illius scopo et ex toto contextu luculentissime patet.

Ad 2. Apostolicae sententiae sensus hic est: *Certus sum*, hoc est, existimo, puto, spem habeo, quia neque mors etc. Quod patet, tum quia ea sumitur phrasis ab Apostolo cap. 15. subsequente, ubi inquit: *Certus sum, fratres ... quoniam et ipsi pleni estis dilectione*, et in II. ad Timoth. cap. 1. *Certus sum autem, quod et in te* habitat fides *non ficta;* tum quia Hieronymus in ep. ad Algasiam eumdem textum hoc modo legit: *Confido enim, quia neque mors etc.* Deinde quod de se ipso dicit Apostolus, non est afferendum in exemplum; ei quippe revelatum a Deo speciali modo fuerat, se esse justificatum, ut ex ep. ad Timoth. colligitur.

Ad 3. Hoc sibi vult Apostolus Paulus, quod nempe anima illa, in qua Spiritus Sanctus habitat, justa est ac Dei amica. Spiritus namque Dei non nisi justis datur ac sanctis. Verum quis certo novit, se inhabitantem Spiritum S. habere? Potest id justus sperare, probabilibusque agnoscere conjecturis, ex propria conscientia, ex Sacerdotis absolutione petitis. Ast certo et infallibiliter id cognoscere nemo potest, nisi specialem a Deo habeat revelationem, uti in Scripturis legitur de Moyse, Elia, Paulo, nonnullisque aliis sanctis viris.

Ad 4. Etiam hic loquitur Paulus de certitudine spei, non fidei; ait quippe: *Ipsi vos probate.* Qui autem de justificatione sua certus est certitudine fidei, non opus habet experimento. Deinde non loquitur ibi revera Apostolus de Christi praesentia per gratiam sanctificantem, sed de illius praesentia per virtutem miraculorum, aut per fidem annunciatam, ut ex contextus apparet lectione. Nec quidquam officit, quod ibidem dicat: *Nisi forte reprobi estis.* Nam idem ea phrasis valet, ac si diceret: Nisi forte viles estis, nullam habentes dignitatem, quemadmodum in versiculo se-

quente: *Spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi*. De certitudine spei et conjecturali intelligi debent multa alia Scripturae ac patrum testimonia, in quibus tantopere fidunt adversarii.

Obj. 2. cont. 2. prop. ex V. T. Psal. CXVIII. legitur: *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*. Psal. XXXVI. *Cum ceciderit, non collidetur*. Jer. XXXII. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me*. In Cant. cap. ult. *Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem*.

Resp. ad 1. psalmistam laudato in psalmo demonstrare, non posse simul consistere peccatum et justificationem. Qui namque iniquitatem operatur, is plane peccat; qui vero peccat, in viis Domini non ambulat. Atque idcirco facit laudatum oraculum contra haereticos autumantes, posse in eodem subjecto consistere simul peccatum et justitiam.

Ad 2. respondet S. P. Augustinus, qui in eumd. psal. serm. II. scribit: *Contingat illi, ut aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna, et cetera quaecumque abundant in vita ista: proponit sibi Dominum suum quanta genera tentationum passus est, et non conturbabitur cum ceciderit*.

Ad 3. Idem S. Pater lib. 4. cont. 2. epist. Pelag. cap. 6. demonstrat, loqui ibi prophetam de gratia non habituali, sed actuali. Actualis autem gratia deest aliquando etiam justis.

Ad 4. Vel sacer auctor sermonem ibi instituit de gratia habituali, et sensus est, hominem sanctificantem gratiam habentem, et gratiam actualem, et propriae voluntatis cooperationem, semper in justitia perseverare. Ast deest aliquando actualis gratia etiam justis; deest et propriae voluntatis cooperatio; atque ita amittit justus acceptam justificationem. Vel ibi sermo fit de Ecclesia, et sensus est, nec haereses, nec persecutiones, nec hominum scelera adversus Ecclesiae firmitatem quidquam posse, quum de ea dictum sit: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*.

Obj. 3. cont. eamd. ex N. T. Joannes in I. ep. cap. 3. *Omnis*, inquit, *qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*. Et cap. 5. ait: *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conservat eum*. Et de reprobis e contra inquit ibidem cap. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*. Etiam Christus Joannis cap. 4. ait: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum*. Et Paulus in I. ad Cor. cap. 13. scribit: *Caritas nunquam excidit*. Haec certe non demonstrant, justos non posse peccare et a justificatione non excidere; experientia quippe patet, etiam justos divinam infringere legem. Sed dicuntur non posse peccare et a caritate non excidere, quatenus, peccata quum eis non imputentur, acceptam semel non amittunt justificationem, quum e contra reprobis quidquid agunt vertatur in nequitiam.

Resp. ad 1. et 2. Illorum verborum sensus est, quod homo justus in sensu, ut inquiunt, composito nec peccat, neque peccare potest; videlicet, justus quamdiu justus est, nec peccat, nec potest peccare, quoniam

componi nequit peccatum cum justitia. Rem ita se habere, patet ex Joannis scopo, qui eo in capite filios Dei secernere intendit a filiis diaboli, ut inferat inde, praeter fidem necessaria esse ad aeternam consequendam vitam bona opera. Unde inquit: *Filioli, nemo vos seducat: qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis, qui natus est etc.* Quare sensus est: Qui semen habet Dei, et per gratiam a Deo regeneratus est, nec peccat, nec peccare potest, quoniam non a gratia et caritate, sed a diaboli malitia peccatum proficiscitur. Eodem sensu consimiles evangelii propositiones sunt explicandae. Ita quod legitur Matth. cap. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere*, et ad Rom. cap. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*: hoc est, nequeunt a caritate, quae est arbor bona, proficisci peccata, et opera carnis, quae sunt peccata, non possunt placere Deo.

Ad 3. respondeo cum Augustino, qui in lib. de dono persev. cap. 9. *Quid est, quaeso*, inquit, *non erant ex nobis? Nonne vocati fuerant ... ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis renovati? Sed si haec audiret ille, qui sciebat proculdubio quod dicebat, respondere posset, et dicere: Vera sunt haec; secundum haec omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam discretionem non erant.* Non ergo reprobi dicuntur non esse ex nobis, quod nunquam fuerint justificati; sed quia non erant ex numero electorum, licet fuerint aliquando et ipsi justi.

Ad 4. Loquitur Christus apud Joann. citato cap. de evangelio ac fide reparatoris, et sensus est, baptismum et evangelicam fidem dare cultoribus suis vitam aeternam. Vel aquae nomine intelligi cum Augustino potest aeterna beatitudo, quam qui semel gustaverit, nunquam amittet.

Ad 5. Vult Apostolus laudata in argumento sententia praeeminentiam demonstrare caritatis, ex qua fides, spes, aliaeque virtutes sunt in hac vita dumtaxat, quum caritas etiam in patria permaneat. Unde ait: *Caritas nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Obj. ultimo cont. eamd. thes. S. P. Augustinus tr. III. in I. Joann. ep. scribit: *Unctionis sacramentum est, virtus ipsa invisibilis; unctio invisibilis, Spiritus Sanctus; unctio invisibilis, caritas illa est, quae in quocumque fuerit, tanquam radix illi erit, quamvis ardente sole arescere non potest. Omne quod radicatum est, nutritur calore solis, non arescit.* II. Tract. VIII. ait: *Radicata caritas est? securus esto, nihil mali procedere potest.* III. In lib. autem de corr. et gr. cap. 9. *Tunc*, inquit, *vere sunt, quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur. Si autem perseverantiam non habent, id est, in eo, quod coeperunt esse, non manent, non vere appellantur quod appellantur.*

Resp. ad 1. Hoc in allata sententia exprimere voluit S. Pater, quod bona opera, quae fiunt ab hominibus caritatem habentibus, non pereunt, sed

permanent etiam post mortem, ad differentiam eorum, quae ab hominibus fiunt cupiditate praepeditis. Quapropter dicens Augustinus, caritatem non arescere, affirmare non intendit, nunquam caritatem a justo recedere, etiamsi peccet, sed fructus ac opera caritatis non perire. Ratio autem, cur ita ratiocinatur, est, quoniam ibi justos ac fideles homines hortatur, ne aures praebeant seductoribus tentantibus vel promissione bonorum vel poenarum mortisque comminatione, quippe quod haec temporalia a cupiditate profluentia cito transeunt et pereunt, quae proficiscuntur e contra ex radice caritatis, nunquam arescunt. *Nemo vos seducat*, inquit, *ad mortem*; *promissionem vitae aeternae desiderate. Quid potest mundus promittere? Quidquid libet promittat, fortassis crastina morituro promittit. Et qua fronte ad illum, qui manet in aeternum, exiturus es? Sed minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam. Quid minatur? Carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias; numquid ignem aeternum?* Ex quibus duo colligo: primum, allatis in argumento verbis S. Patrem comparationem instituere inter opera, quae ex radice veniunt caritatis, illaque ex cupiditatis radice proficiscentia, ac proinde non affirmare, caritatem in justis nunquam arescere; secundum, justos homines posse utique propriam amittere justificationem, quum eos post Joannem adhortetur, ne se a falsis hominibus seduci ob temporalia bona sinant ad justificationem et gratiam amittendam.

Ad 2. respondetur eodem modo. Loquitur nempe S. doctor de operibus a caritate profluentibus, meritoque ait, nihil mali a caritate procedere posse, quum malum proficiscatur a cupiditate. Unde inquit: *Radicata est cupiditas? species potest esse bonorum factorum, vere opera bona esse non possunt. Radicata est caritas? securus esto, nihil mali procedere potest*.

Ad 3. Nomine filiorum Dei intelligit ibi Augustinus filios Dei, seu justos finaliter, videlicet praedestinatos; et sensus est, nonnullos in hac vita videre nos homines, qui vere justi ac sancti sunt, quique adeo praedestinati a nobis existimantur. Sed coram Deo, quamvis justi sint et filii ejus ad tempus, non sunt tamen filii Dei finaliter, hoc est, electi ac praedestinati.

Quae opponere adversarii possunt adversus tertiam propositionem, explicata vide et soluta in lib. de visione Dei, ubi de inaequalitate disseruimus beatitudinis.

CAPUT V.

De merito hominis justi.

Haereticorum sententia circa hominis meritum haec est. 1. Omnia humana opera, si in se inspiciantur, sunt sordes et inquinamenta, proindeque nullius omnino meriti; quoniam opera, quae dicuntur bona, a concupiscentia, quae in unoquoque est, contaminantur. Contendunt tamen, non esse penitus infructuosa, siquidem Deus benignitate sua illa ad examen non revocare dignatur, eaque tanquam pura ac mercede digna acceptare. 2. Hinc

audaciter asserere non verentur, opera bona necessaria ad salutem aeternam non esse; quamvis aliquo titulo non omnino superflua esse doceant, praesertim, quod per illa fideles Christum glorificent, quod testimonium praebeant bonae conscientiae, et quod ad proximi valeant aedificationem. 3. Hoc falso posito systemate, invehunt vel in ipsum *meriti* nomen, et post Calvinum affirmant, esse a sacris Scripturis extraneum, atque ab aliquo *rabula sophista* (sic enim catholicos appellant theologos) inventum; quanquam et ipse Calvinus et multi alii novatores meriti nomen adhibere non dedignentur. Sed in eo admittendo tales requirunt conditiones, ut idem sit ac omnem meriti rationem ab humanis operibus amovere. Haec illi.

Catholici e contra tenent, multa esse hominum opera, quae in se inspecta bona sunt, dummodo per Dei gratiam fiant; esse illa christiano homini necessaria, non ob eas dumtaxat caussas ab haereticis assignatas, sed ob aeternam quoque vitam consequendam; ac propterea inesse operibus illis veram ac proprie dictam meriti rationem, quamvis meritum illud sit aliquando de *condigno*, aliquando vero de *congruo*, ut loquuntur theologi. Hinc errare ajunt haereticos, vel dum meriti nomen insolenter rejiciunt, vel dum illas statuunt conditiones, quae ab humanis operibus rationem meriti removent. Refellendi sunt ergo quoad singula errorum suorum capita.

Sed primo de nomine ipso atque divisione meriti aliquantulum est inquirendum. Meritum ergo, universim loquendo, nomen est, quod malo et bono operi promiscue tribuitur. Eccl. enim cap. 16 legitur: *Misericordia faciet unicuique locum secundum meritum operum suorum*. En meriti nomen operi bono tributum. Apostolus autem ad Hebr. cap. 10. nomen illud tribuit etiam operi malo dicens: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit?* Usus autem penes omnes invaluit theologos, ut non malo, sed bono dumtaxat operi nomen meriti tribuatur. Male autem Calvinus affirmat, nomen istud ab aliquo sophista rabula fuisse inductum; quum expresse habeatur in sacris litteris et in sanctis patribus. Nam praeter Ecclesiastici textum paullo ante relatum, ait Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 13. *Talibus enim hostiis promeretur Deus*. Atque ex SS. PP. scribit Cyprianus de praeceptis ecclesiasticis: *Praeceptis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem*. Et Augustinus in ep. ad Sixtum: *Vita aeterna meritis praecedentibus redditur*.

Meritum autem duplex distinguitur a theologis; unum de *condigno*, alterum vero de *congruo*. Primum est illud, cui ex justitia praemium seu merces debetur; alterum, cui debetur aliquid ex mera condecentia. Sed de hac meriti divisione egimus paullo fusius alibi. Nec est quod adversus hanc quoque divisionem insurgant haeretici, quasi absque ullo fundamento inventa sit a scholasticis. Nam licet in sacris litteris non reperiantur expresse nomina haec de congruo et de condigno, habentur tamen aequivalenter ac secundum significationem. Et praeterea licitum est theologis, novis emergentibus erroribus, nova procudere nomina, quemadmodum factum esse diximus cum vocabulo ὁμοούσιον.

Videamus modo quaenam requirantur ad utriusque meriti conditiones. Ad meritum de condigno requiruntur sequentes.

I. Opus, cui insit meritum de condigno, esse debet *bonum*, dicente Domino ad Cainum Gen. cap. 4. *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?*, et Apostolo ad Rom. cap. 6. *Stipendia enim peccati mors.* Operis autem boni nomine actum intelligimus, quo fruimur Deo, et utimur creaturis; quum e contra malum sit uti Deo, et creaturis frui.

II. Necesse est, ut opus sit *liberum*, non libertate modo a coactione, sed et libertate a necessitate, juxta illud Eccl. cap. 31. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit*. Hinc ab Innocentio X. damnata merito fuit illa propositio: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

III. Debet praeterea opus ab eo patrari, qui sit *in statu viae*. Opera quippe, quae fiunt ab homine in *termino* constituto, nullam habere possunt meriti rationem. Quo sensu ait Ecclesiastes cap. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit;* et Christus Joannis cap. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari;* et ad Hebr. cap. item 9. Paulus: *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium.*

IV. Nequit opus meriti de condigno nomen habere, nisi fiat ab homine *gratia habituali* adornato. Inquit enim Jacobus in sua epist. cap. 1. *Accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se;* et Christus ipse Joan. cap. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum;* et S. P. Augustinus ep. ad Anastas. *Bonus non est fructus, qui ex caritatis radice non surgit.*

V. Ad meritum de condigno exigitur tandem *divina promissio*. Unde in ep. Jacobi cap. 1. legitur: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se*. Et Apostolus ad Hebr. cap. 10. *Voluntatem*, inquit, *facientes, reportetis promissionem*. Et Augustinus enarr. in psal. 109. *Fidelis Dominus, qui se nobis debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, sed aliquid, quod ei placuit, promittendo*. Et Fulgentius ad Monim. *Se ipsum sua largitate dignatus est facere debitorem*. Unde Tridentina synodus sess. 6. cap. 16. merito inquit: *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda*. Haec quoad meritum de condigno.

Ad meritum autem de congruo duae dumtaxat requiruntur conditiones; nempe, ut opus sit liberum, et ut a gratia proficiscatur actuali. Requiri ad hoc meritum libertatem, non indiget demonstratione. Necessariam vero esse aliquam actualem gratiam, fuse demonstravimus contra Pelagianos et Semipelagianos. His hoc modo bene perpensis, ad rem tandem veniamus.

CONCLUSIO I.

Multa opera hominis in sua dignitate spectata bona sunt.

Prob. 1. ex Scripturis. Gen. cap. 4. legitur: *Respexit Deus ad Abel, et ad munera ejus*. Cap. 6. *Noe invenit gratiam coram Domino*. Matth. cap. 26. Magdalena dicitur *bonum opus operata*, ungendo pedes Jesu. Paulus in II. ad Timoth. cap. 4. de se ait: *Cursum consummavi, fidem servavi*. Et ad Titum appellat opera fidelium *bona, et utilia hominibus*. Hujus generis innumera invenies in sacris litteris.

Prob. 2. ex PP., qui in singulis eorum scriptis monent et hortantur fideles, ut bonis ac sanctis operibus Deo serviant, propriaeque respondeant vocationi. Id vero sancti patres non facerent, si omnia fidelium opera sordes essent et inquinamenta, ut inquiunt haeretici.

Probatur 3. ratione. Praecipua caussa, cur protestantes affirmant, bona hominum opera esse in se sordes et inquinamenta, est, quod contaminentur a concupiscentia. Verum id falsum penitus est; quoniam concupiscentia est poena, non culpa, nisi per liberum voluntatis arbitrium homo motibus illius assentiatur.

CONCLUSIO II.

Necessaria sunt homini opera bona ad vitam aeternam.

Prob. 1. ex sacris litteris, in quibus legitur, omnes prophetas hortari semper homines ad legem servandam, ut aeternam consequi valeant salutem. Matth. autem cap. 25. habetur, Christum in mundi fine dicturum electis: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare*. Alibi dixit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Jacobus in epist. cathol. cap. 1. inquit: *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos*. Et cap. sequente subdit: *Fides sine operibus mortua est*. Sed tempus terendum non est in re tam manifesta.

Prob. 2. ex SS. PP. Chrysostomus orat. V. cont. Anom. *Dogmatum*, inquit, *salubritati addamus illam, quae in vita et operibus est, puritatem, ne dimidiata tantum habeamus, quae ad salutem perducunt*. Ambrosius in cap. 4. epist. ad Hebr. ait: *Non sufficit fides, sed debet addi vita fidei condigna*. S. P. Augustinus in lib. de grat. et lib. arb. cap. 7. redarguit eos, qui putant, Paulum docere, solam fidem sufficere ad vitam aeternam.

Prob. 3. ratione. Nemo salutem consequi potest absque justificatione, ut ipsi concedunt protestantes. Nemo consequi potest a Deo justificationem, nisi ad illam per fidem, timorem, spem, caritatem, aliaque bona opera disponatur, ut supra demonstravimus. Nemo itaque sine bonis operibus potest aeternam consequi salutem.

CONCLUSIO III.

Bona opera hominis cum gratia actuali patrata nequeunt promereri de condigno gratiam habitualem, sed tantum de congruo; augmentum vero ejusdem justificationis promereri possunt de condigno.

Prob. prior thesis pars. I. S. P. Augustinus in ep. ad Sixtum, *Possunt quidem dicere*, inquit, *remissionem peccatorum esse gratiam, quae nullis praecedentibus meritis datur. Quid enim boni meriti habere possunt peccatores?* Quibus verbis intelligit S. Pater meritum de condigno, ut ex dicendis paullo post apparebit. II. Meritum de condigno, divina supposita promissione, ita justitiae innititur, ut quod merito debetur, debeatur ex justitia, dicente Fulgentio in prologo lib. ad Monim. de Deo: *Se ipsum sua largitate dignatus est facere debitorem*. Ast homini per solam actualem gratiam operanti nihil ex justitia debetur; supponitur quippe homo ille adhuc peccator. III. Ut homo aliquid de condigno mereatur, necesse est ut Christus, tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmitem, in ipsam virtutem influat, ut inquit Tridentina synodus sess. VI. cap. 16. Porro Christus non influit, tanquam caput in membra, vel tanquam vitis in palmitem, in hominem solam habentem actualem gratiam propriam virtutem, quum peccator homo ille supponatur.

Prob. altera pars prop. I. Magnus gratiae magister Augustinus in allata proxime epist. ad Sixtum inquit: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat exaltabitur*. Nomen meriti non sumit hic Augustinus ob rationes allatas pro merito de condigno; adeoque meritum intelligit de congruo. II. Fides, timor, spes, dilectio, aliaque bona opera cum actuali gratia patrata disponunt hominem ad justificationem, ut in superioribus diximus. Unde meritum aliquod in se utique habent; sed de congruo, non de condigno. III. Meritum de congruo illud est, cui aliquid rependit Deus ex sui condecentia. Quumque bona opera per actualem gratiam patrata sint a Deo et supernaturalia, Deus rependit illis ex quadam congruentia justificationem.

Prob. 3. pars thesis. I. Gratia habitualis non est aequalis in omnibus, sed potest augeri in justificatis, ut supra probavimus. Quare si homo justus per actualem gratiam bona opera exercet, debetur illi justitiae suae augmentum; alioquin augeretur justificatio in non operantibus. II. Sententia isthaec aperte definita est in Tridentino concilio sess. VI. can. 32. III. Deus, qui promisit diligentibus se dilectionem, magis se diligentibus majorem spopondit dilectionem. Ubi autem divina intercedit promissio, habetur meritum de condigno. Atque ita magis Deum dilegentes majorem de condigno promerentur dilectionem, quae justificationis est augmentum.

CONCLUSIO IV.

Homo quantumvis justus nequit bonis operibus suis promereri de condigno perseverantiam finalem.

Prob. 1. auctoritate S. P. Augustini, qui innumeris in locis et toto libro de dono pers. docet, perseverantiam finalem esse specialissimum Dei donum, quod idem nos fuse probavimus in superiore libro XXVIII. Quod si donum est specialissimum, sub meritum de condigno cadere nullo plane modo potest, quum ejusmodi meritum justitiae innitatur. Idcirco idem Augustinus in lib. de corr. et gr. cap. 8. scribit. *Si a me quaeratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, qua christiane viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo ... Si ergo confiteris, donum Dei esse perseverare in bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis.* Et in lib. de dono pers. cap. 9. ait: *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei.* Quod si justus homo finalem promereretur perseverantiam de condigno, nec recte S. doctor diceret, se nescire, cur unus, non alter finaliter perseveret, nec recte ad inscrutabilia Dei confugeret judicia.

Prob. 2. ratione. Una ex conditionibus ad meritum de condigno requisitis est divina promissio. Nullibi autem legimus, Deum promisisse, finalem se daturum perseverantiam hominibus gratiam etiam habitualem habentibus. Immo in Scripturis etiam justis praecipitur, ut cum timore ac tremore propriam salutem operentur.

CONCLUSIO V.

Homo justus suis bonis operibus vitam promeretur aeternam de condigno.

Prob. 1. Scripturarum oraculis. Sap. cap. 5. habetur: *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Matth. cap. 5. inquit Dominus: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Gemina his habentur Lucae cap. 6. *Ecce enim merces vestra multa est in caelo.* Apostolus in II. ad Timoth. cap. 4. *Reposita*, inquit, *est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.* Et ad Rom. cap. 2. scribit: *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Apocal. cap. ult. legitur: *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.*

Prob. 2. ex PP. Ignatius martyr in ep. ad Romanos inquit: *Sinite, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri.* Basilius de Spir. S. cap. 24. *Homo ex operibus justitiae salvatur.* Gregorius Nazianzenus orat. XL. hortatur homines *ad bona opera, ut non solum habeant gratiae donum, sed etiam praemium consequantur.* S. P. Augustinus in

ep. ad Sixtum: *Nulla sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt: sed ut justi fierent, merita non praecesserunt*. S. Prosper ad VI. obj. Gallor. *Justificatus homo, id est, ex impio pius factus, nullo praecedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat et meritum*. S. Bernardus serm. 81. in cant. *Omne, quod feceris, bonum malumve, quod quidem non facere liberum sit, merito ad meritum deputatur*.

Prob. 3. ex conciliis. Arausicanum II. can. 18. inquit: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant*. Concilium Tridentinum sess. VI. can. 32. ait: *Si quis dixerit, justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum ... fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, anathema sit*.

Prob. 4. ratione. Justificatio est supernaturale Dei donum intrinsecus animae inhaerens et illam renovans, ut supra vidimus. Qua de re operibus hominis, qui per justificationem renovatus est, dignitatem tribuit aeternae vitae. Neque enim ob aliud negant haeretici, hominibus justificatis meritum inesse de condigno aeternae vitae, nisi quia justitiam non admittunt inhaerentem.

SCHOLION.

Hic adnotare juvat, veteres nonnullos scholasticos, Durandum nempe, Gregorium Ariminensem, aliosque paucos aperte negare, in bonis creaturarum operibus meritum inveniri posse de condigno ad vitam aeternam. Sed nomine tantum, non re a nobis dissentiunt. Non re, inquam, quoniam admittunt reapse in bonis justorum operibus veram meriti rationem ad vitam aeternam. Ubi autem meritum negant de condigno, loquuntur absolute, et nulla divina praesupposita promissione, ut patet ex rationibus, quae ab ipsis afferuntur. Quod nec nos inficiamur. Nisi enim divina praesupponatur ordinatio, potest profecto Deus justos in hac vita conservare, nec unquam dare illis vitam aeternam. Potest creaturas in nihilum, unde illas eduxit, redigere. Potest ut supremus Dominus nihil creaturis suis conferre. Atque hoc sensu scholastici illi loquuntur. Ast si Dei praesupponatur promissio, non potest bonis illis operibus non accedere dignitas, quae ab inhaerente justitia exoritur, quod expresse fatetur noster Ariminensis. Immerito ergo ob veterum auctoritatem redarguimur ab haereticis. Concilium autem Tridentinum, ubi de merito loquitur justorum, ab hoc nomine, *de condigno*, consulto abstinet, ne praejudicium afferre videatur veteribus doctoribus.

CAPUT POSTREMUM

Refelluntur haereticorum argumentationes.

Antequam haereticorum recenseam objectamenta adversus statutas a

nobis antecedente capite propositiones, non abs re erit conditiones referre, quas ipsi ad meritum requirunt de condigno, meritaque refellere confutatione. Tria ergo ipsi requirunt ad veram meriti de condigno rationem. 1. Ut inter opera nostra, ac vitam aeternam perfecta intercedat aequalitas, quomodo intercedere debet inter datum, et acceptum. 2. Necesse est, inquiunt, ut opus nostrum meritorium non sit Deo ex alio titulo debitum. Neque enim ea, ad quae tenemur, cadere possunt sub meritum. Atque hoc sensus Christus Lucae cap. 17. homines totam legem observantes servos appellat inutiles. 3. Opus illud volunt esse meritorium, quod totum est nostrum, non ejus, a quo mercedem expectamus; alioquin remunerator coronabit opera sua. Quumque bona nostra opera, subdunt, nullam habeant ex recensitis conditionibus, (neque enim inter opera justorum, et vitam aeternam est perfecta aequalitas et proportio) aut indebita sunt Deo, qui est supremus Dominus omnium, aut vere nostra dici possunt, quum effectus sint divinae gratiae. Hinc Lutherani ac Calvinistae concludunt, non inesse operibus nostris meriti de condigno rationem ad vitam aeternam.

Verum sic philosophando a veritate quam longissime aberrant. Nam in primis inter opera bona, et vitam aeternam datur utique aequalitas ac proportio; sed virtutis non entitativae. Animata quippe sunt a gratia sanctificante, quae est bonorum operum radix, a qua tantam accipiunt perfectionem, quantam Deus exigit ut vitam rependat aeternam illis, quibus eam promisit. Neque enim huic aequalitati ac perfectioni quidquam officit, quod entitative comparanda non sint cum aeterna vita. Nam etiam actiones Christi, secundum suam entitatem consideratae, finitae erant ac limitatae; et nihilominus ob unionem hypostaticam valorem habebant infinitum, praesertim quum aeternae vitae collatio effectus sit justitiae distributivae, non commutativae. Atque haec quoad primam ab haereticis requisitam ad meritum de condigno conditionem.

Quoad alteram pauca notanda sunt. Quum homo ob libertatem arbitrii sit dominus actuum suorum, et Deus neminem ad bene agendum necessitet, si homo opera bona eliciat, meriti rationem profecto acquirit, quoniam bene dominio utitur suae libertatis; quamvis ex quo servus sit Dei, teneatur bonum operari. Etiam filii debent parentibus obedientiam; et nihilominus dum illam exercent, quia bene dominio suae libertatis utuntur, meritum sibi coram parentibus comparant.

Exponamus et tertiam. Quamvis bona opera nostra a gratia proficiscantur, non sequitur proinde non esse nostra. Dei videlicet sunt et nostra, quoniam non adimit gratia liberum voluntatis arbitrium, quod profecto cum gratia movente ac excitante libere operatur simul, ut in superioribus fuse probavimus. Falsis protestantium principiis hoc modo refutatis, accedamus nunc ad difficultatum nodos dissolvendos. Itaque

Obj. 1. cont. 1. thesim. Jacobus in cath. epist. cap. 3. inquit: *In multis offendimus omnes*. In III. Reg. cap. 8. ait Salomon: *Non est homo, qui non peccet*. Quod si non impii modo, sed etiam justi in peccata prolabuntur, jam nulla sunt hominum opera, quae, si in se spectentur, mala non

sint. II. Et hoc sane sensu Scripturae docent, justos peccare, quoniam omnia illorum opera sunt a cupiditate contaminata. Nam in oratione Dominica tenentur et justi quotidie dicere: *Dimitte nobis debita nostra*.

Resp. ad 1. Quando Scripturae affirmant, justos quoque peccare, intelligendae sunt loqui de venialibus, non de lethalibus peccatis. Nam nequit homo etiam justissimus in accepta se continere justitia absque ullo veniali peccato, nisi speciale a Deo obtineat privilegium, ut lib. XXVIII. fuse demonstravimus. Atque hoc ipsum catholicum dogma confirmant testimonia Scripturae in argumento laudata. Sed aliud est, hominem justum saepe venialiter peccare, et aliud, nullum patrare opus, quod a radice cupiditatis non sit vitiatum. Nam idem justus, qui opera aliquando facit ex cupiditate proficiscentia, adeoque peccat venialiter, plura operatur ex radice caritatis. Quae opera in sua dignitate spectata bona sunt et supernaturalia et meritoria.

Ad 2. Non inquiunt quotidie justi, *Dimitte nobis* etc., ut Deus illorum opera declaret veluti pura, quamvis sordida sint et inquinata, ut protestantes contendunt; sed orant, ut eis dimittantur delicta venialia, de quibus sermo fit in orat. Dominica. Solent adversarii contra hanc nostram thesim auctoritate abuti aliquorum PP., ut Chrysostomi in cap. 11. ep. ad Rom., Cypriani in exposit. orat. Dom., Augustini lib. II. de peccat. mer. cap. 7., Gregorii M. lib. IX. moral. cap. 26. Sed eodem loquuntur sensu patres, ac sacrae Scripturae mox explicatae.

Obj. 2. adv. alt. prop. Quum dicat Apostolus in I. ad Timoth. cap. 1. *Justo non est lex posita*, et in II. ad Corinth. cap. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, non tenentur justi ad legis observationem; ac propterea non sunt iis necessaria opera bona ad vitam consequendam sempiternam.

Resp. Lex, juxta Apostolum, non est posita justo, quoniam non vi, non coacte, sed lubens ac sponte justus se legi submittit. Unde S. P. Augustinus in lib. de spir. et litt. cap. 10. inquit, justum apprehendere justitiam per legem, quae caritatem inspirat, non per legem, quae sit tanquam suadens ac terrens paedagogus. Eodem modo aliud explicat S. doctor testimonium in lib. de nat. et gr. cap. 57. *Sub lege est enim, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiae, se sentit abstinere ab opere peccati*. Et liberi dicuntur justi ea libertate, qua nos donavit Christus Jesus, ut alibi scribit Apostolus.

Obj. 3. adv. 4. thes. Quamvis aeterna vita et sanctificantis gratiae augmentum sint dona specialissima Dei, nihilominus possunt justi mereri de condigno et vitam aeternam, et habitualis gratiae augmentum. Etsi ergo finalis perseverantia sit et ipsa donum specialissimum Dei, poterit tamen a justo de condigno promereri. II. Praesertim quum promissa sit justis una cum vita aeterna etiam finalis perseverantia tanquam bravium. Nam nequit justus vitam adipisci aeternam, nisi tanquam necessarium medium perseverantiam habeat finalem. Quum ergo aeterna vita promissa est justis bene operantibus, promissa quoque intelligitur perseverantia finalis, quae comparate ad vitam aeternam est medium, comparate autem ad gratiam habitualem est finis et merces. III. Quae adeo vera sunt, ut teneantur ju-

sti perseverantiam finalem in bonis operibus a Deo quotidie petere. Unde cadit et ipsa sub meritum de condigno. Hinc S. Augustinus in lib. de dono pers. cap. 6. de eadem perseverantia inquit: *Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest: sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest*. IV. Regnum caelorum petitur a nobis in oratione Dominica dicentibus, *Adveniat regnum tuum*; nec proinde sequitur, regnum caelorum non esse mercedem. Quare ex quo petimus perseverantiam, non sequitur, non esse praemium et coronam.

Resp. ad 1. Disparitatis ratio est, quod aeterna vita donum simul sit et bravium, seu merces, sic in sacris litteris appellata, ut supra dictum est, quia fuit a Deo expresse promissa bene operantibus. Id ipsum quoque de habitualis gratiae legitur augmento, quod repromissum est diligentibus Deum. Ast ubinam in Scripturis legitur, perseverantiam finalem esse mercedem a Deo bene operantibus repromissam? Immo traditur oppositum, quum semper dicatur donum Dei singulare ac specialissimum.

Ad 2. Si argumentum consisteret, demonstraret etiam, promereri posse de condigno gratiam habitualem, et ipsam quoque fuisse a Deo promissam gratiam habentibus actualem, cujus respectu merces esset atque finis, quamvis respectu finalis perseverantiae ac aeternae vitae esset medium. Nam gratia habitualis est revera medium ad aeternam vitam necessarium; ac proinde ex quo vita aeterna sit a Deo promissa, subintelligeretur etiam promissa gratia habitualis, quod absurdissimum est. Hoc ipsum dici quoque posset de gratia actuali. Perseverantia itaque finalis in sacris litteris appellatur semper donum, et quidem singularissimum, nunquam merces ac finis. E contra vero vita aeterna, quae non raro donum dicitur et gratia, quam saepissime appellatur etiam merces, praemium, finis, corona, bravium. Et rursus promissa dicitur non cuilibet justo, sed homini finalem habenti perseverantiam. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, inquit Christus Matth. cap. 10.

Ad 3. S. P. Augustinus loco in argumento laudato affirmat, posse hominem de congruo, non de condigno vitam aeternam emereri. Quod ex iisdem deprehenditur ab Augustino prolatis verbis. Appellat namque ibi perseverantiam donum, aitque emereri plane posse, sed *suppliciter*. Ast quod est donum, quodque per orationem impetratur, non est merces, non praemium, sed singulare beneficium, juxta illud ejusdem Augustini: *Oratio est certissima gratiae testificatio*.

Ad 4. Per illa verba, *Adveniat regnum tuum*, non petimus nos vitam aeternam, sed ipsam perseverantiam finalem, ut docet Augustinus lib. de dono persev. cap. 2. dicens: *Quid? Cum dicimus, Veniat regnum tuum, num aliud poscimus, nisi ut veniat et nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo et hi, qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate, quae illis data est, perseverent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his, qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum*.

Obj. 4. adv. 5. thes. Psal. CII. haec habentur: *Coronat te in miseri-*

cordia, *et miserationibus*. Isaiae cap. 55. *Venite*, *emite absque argento*, *et absque ulla commutatione vinum et lac.* Ad Rom. cap. 6. inquit Apostolus: *Gratia Dei vita aeterna*. Et ad Ephes. cap. 2. subdit: *Gratia enim salvati estis per fidem*, *et hoc non ex vobis*; *Dei enim donum est*; *non ex operibus*, *ut ne quis glorietur*. Quod si bonis operibus promererentur justi vitam aeternam, non gratia haec et misericordia, ut in Scripturis appellatur, sed merces ac bravium dicenda foret.

Resp. Vita aeterna in sacris litteris dicitur gratia, donum, misericordia, et dicitur etiam merces, praemium, corona, bravium. Et merito hisce nominibus insignitur. Nam, ut S. P. Augustinus ait in ep. ad Sixtum, *Ipsa vita aeterna meritis praecedentibus redditur*: *tamen quia eadem merita*, *quibus redditur*, *non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam*, *sed in nobis facta per gratiam*, *etiam ipsa gratia nuncupatur*, *non ob aliud*, *nisi quia gratis datur*; *nec ideo quia meritis non datur*, *sed quia data sunt et ipsa merita*, *quibus datur.* Solutio haec ad omnia valet solvenda argumenta, quae ex similibus elici possunt Scripturae testimoniis. Nihilominus exponamus singula, ut quam perditae caussae tutores sint videant haeretici.

Ad 1. ergo respondeo ejusdem Augustini verbis, qui in lib. de gr. et lib. arb. cap. 9. exponens allata in argumento psalmistae verba inquit: *Numquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in nobis operatur*, *de quo dictum est*, *Deus est enim*, *qui operatur in vobis et velle*, *et operari pro bona voluntate*, *ideo dixit psalmus*: *Coronat te in miseratione et misericordia*; *quia ejus miseratione bona operamur*, *quibus corona redditur*.

Ad 2. Isaias litteraliter loquitur de terra Canaan, mystice vero de vocatione ad fidem; quae duo profecto dona Dei sunt. Quod si de aeterna intelligendus sit vita, verbum, *emite*, a propheta usurpatum satis demonstrat, exhibenda esse merita nostra tanquam pretium ad illam comparandam. Et ideo ait, *sine argento*, *et absque ulla commutatione*; ut nempe demonstret, non hujus saeculi bonis commutabilibus, sed operibus a divina gratia animatis vitam aeternam comparari, ac etiam ut doceat, ex consecutione gloriae, quae fit ab hominibus, nullam accedere intrinsecam Deo gloriam.

Ad 3. solvendum do verba S. P. Augustini ex ep. ad Sixtum deprompta: *Cum posset dicere*, *et recte dicere*, *Stipendium autem justitiae vita aeterna*, *maluit dicere*, *Gratia autem Dei vita aeterna*; *quia ejus miseratione bona operamur*, *quibus corona reddetur*.

Ad 4. Apostolus inquit, per fidem nos salvos fieri, *Gratia salvati estis per fidem*, et non per opera mere naturalia. Addit deinde: *Non ex operibus*, quoniam opera sunt a fide, non fides ab operibus. *Ne dicerent* (homines), *se suis operibus donum tale* (fidei) *meruisse*, *continuo subjecit*, *non ex operibus*, *ne forte quis extollatur*. *Non quia negavit aut evacuavit opera bona*, *cum dicat*, *Deum unicuique reddere secundum opera ejus*; *sed quia opera sunt ex fide*, *non ex operibus fides.* Ita in hunc Pauli testimonium scribit S. P. in lib. de grat. et lib. arb. cap. 7.

Obj. 5. adv. eamd. thesim. Ut quis vitam aeternam de condigno possit

dromereri, requiritur etiam per catholicos universae legis observatio. Quam impossibilem esse multiplici ratione patet. I. Jacobus in epistola sua cap. 3. ait, *In multis offendimus omnes*, neminem prorsus excipiens. II. Nemo in hoc infirmitatis statu diligere valet Deum amore perfecto; quod tamen requiritur, ut primum legis adimpleatur mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. III. Quum concupiscentia nobis insit usque ad agonem, quis praeceptum illud, *Non concupisces*, servare poterit? IV. Ait quam saepissime S. P. Augustinus, Deum conferendo nobis vitam aeternam, non merita nostra, sed dona sua coronare. V. Et S. Bernardus affirmare non dubitat, non facturum Deum injuriam justo, si vitam aeternam ei denegaret.

Resp. ad 1. Dicens Jacobus, *In multis offendimus omnes*, de offensione loquitur veniali, seu de levi legis transgressione, quae meriti rationem a bonis operibus justi non aufert, quum caritatem minuat tantum, non extinguat.

Ad 2. Quamvis caritatis praeceptum nequeat ab homine viatore perfecte adimpleri, quomodo fit a beatis in patria, adimpletur tamen perfecte ea perfectione, quae convenit viatoribus, quaeque in eo consistit, ut omnem justus impendat conatum in caritatis gradibus augendis; quod sufficit, ut ipse maximum decalogi adimpleat mandatum.

Ad 3. Tunc homo plene praeceptum, *Non concupisces*, observat, quando concupiscentiae ad malum tentanti atque pellicienti assensum deliberate non praebet. Quare falsum est, impossibilem homini esse totius legis observationem.

Ad 4. Quoniam nemo meritum de condigno absque Dei gratia sibi comparare potest, ideo Augustinus ait, Deum merita nostra coronando coronare opera sua.

Ad 5. Optime cum Bernardo ajunt alii quoque patres, non teneri Deum conferre gloriam justis, si absolutum spectemus supremum Dei dominium, vel opera tantum justorum, Dei promissione praecisa. Ast divina praesupposita praedestinatione atque promissione, quum Deus se ipsum negare non possit, nequit absque injuria justis hominibus denegare mercedem.

Obj. postremo cont. eamd. prop. Ex catholico de merito operum ad vitam comparandam aeternam dogmate plura sequuntur absurda. I. Nullum esset inter vetus ac novum testamentum discrimen. In veteri namque necessaria erant opera; ast in novo absque ulla conditione aeterna promittitur vita. II. Tolleretur ab evangelii sectatoribus ea libertas, de qua loquitur Apostolus, quaeque profluit ex fide. Praeter namque fidem necessaria forent etiam opera. III. Si bonis operibus inesse dicamus meritum de condigno, facimus Deum creaturarum debitorem; quod supremo illius dominio repugnat.

Resp. ad 1. Decipiuntur adversae sententiae patroni, si utriusque testamenti discrimen in eo statuunt, quod in veteri, non autem in novo necessaria sint opera. Vetus quippe lex in hoc a nova differt, quod haec habeat mysteria, illa figuras et umbras; haec promissiones contineat caelestes, illa terrenas; haec caritatem, illa timorem inspiret. Ceterum in utro-

que testamento necessaria sunt opera, quibus de condigno merces aeterna rependatur.

Ad 2. In hoc christianae legis consistit libertas, quod modo liberi simus a peccato et a judaicis ritibus, nec non per gratiam et caritatem non servi, sed filii simus in Christo Jesu; quod quidem bonorum operum necessitatem plane non excludit, sed supponit.

Ad 3. Jam diximus, Deum debitorem reddi nostrum, non aliquid a nobis accipiendo emolumenti, quum nostri indigus non sit, sed vitam nobis aeternam promittendo. Quare sibi potius, quam nobis debitorem se facit. Atque hic, dum quinto institutionum nostrarum tomo finem ponimus, Deum bonorum omnium datorem deprecamur, ut creaturis suis divino rebellibus lumini gratiam impertiri dignetur, qua in viam redeuntes veritatis in uno spiritu fidei supremo omnium Domino nobiscum serviant.

FINIS QUINTI TOMI

INDEX

LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS.

Brevem continens historiam illorum, qui circa Christi gratiam errarunt, et simul demonstrans, quanti facienda sit S. P. Augustini in rebus ad praedestinationem et gratiam spectantibus auctoritas.

LIBER VIGESIMUS OCTAVUS.

Quo praecipua catholicae fidei dogmata circa gratiam et liberum arbitrium adversus haereticos propugnantur.

LIBER VIGESIMUS NONUS.

In quo praecipuae pertractantur quaestiones de gratia et libero arbitrio in scholis agitari solitae.

LIBER TRIGESIMUS.

De justificatione et merito.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 18 lin. 21 Absque	absque
» 32 lin. 37 potest	potest,
» 45 lin. 44 Burgnudiorum	Burgundionum
» 47 lin. 27 Quod ad Dei gratiam pertinet	Quoad Dei gratiam
» 52 lin. 18 De Cassiano, autem	De Cassiano autem
» 62 lin. 10 hom.	Hom.
» 63 lin. 22 omnes qui,	omnes, qui,
» 77 lin. 17 voluntate	voluntarie
» 77 lin. 35 17.	16.
» 86 lin. 2 recto fine id	recto fine
» 86 lin. 28 contraditionis	contradictionis
» 90 lin. 7 41.	21.
» 94 lin. 15 Britaniae	Britanniae
» 98 lin. 10 XXIX	XXX.
» 98 lin. 19 ac victricem	sive victricem
» 106 lin. 37 praeparatam	praeparatam;
» 118 lin. 25 in rebus	In rebus
» 123 lin. 31 Daniel	Danielis
» 128 lin. 14 peccarunt duce,	peccarunt, duce
» 149 lin. 26 estquam	est quam
» 151 lin. 24 eoqui	eo qui
» 151 lin. » eoqui	eo qui
» 160 lin. 30 ed	et
» 182 lin. 20 ubique	utique
» 182 lin. 31 multa	multae
» 193 lin. 38 de te somno	de somno
» 194 lin. 14 estet	est et
» 208 lin. 14 systhemate	systemate
» 209 lin. 31 recepisse, gratiam	recepisse gratiam,
» 219 lin. 39 plenitudinem. Tanquam	plenitudinem tanquam
» 226 lin. 2 ipsumvel-	ipsum vel-
» 231 lin. 30 multaneus	simultaneus
» 231 lin. 36 XXVI.	XXVII.
» 245 lin. 30 pradeestinatione	praedestinatione
» 249 lin. 37 ait:	ait,
» 270 lin. 20 Tamen	Tamen quoad
» 270 lin. 21 quoad auctoritatem	auctoritatem
» 270 lin. 22 XXVI.	XXVII.
» 290 lin. 5 preesens	praesens
» 294 lin. 1 cap. 5. in libro	cap. 5. scribit:
» 320 lin. 1 peccataomnia	peccata omnia
» 325 lin. 17 dealibata	dealbata
» 327 lin. 2 haeret	haerens
» 327 lin. 22 cap. 66.	cap. 64.
» 330 lin. 45 not	nos
» 332 lin. 23 eae	en
» 337 lin. 2 cum-	cum
» 338 lin. 10 mulierem	patrem puellae
» 346 lin. 46 οριοϑσιον	ομοϑσιον
» 356 lin. 1 dromereri	promereri

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Rambaldi
Lector, et Vicarius S. Officii Fulginiæ.

IMPRIMATUR

Pro Illmo, ac Revmo D. D. Episcopo Fulginatense
Nicolaus Prim. Rossi Revisor Deputatus.